MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALI

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORU
MERIDIONALIUM

VOLUMEN DUODECIMUM

ZAGRABIAE 1882

EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

LISTINE

O ODNOŠAJIH IZMEDJU JUŽNOGA SLAVENSTVA I MLETAČKE REPUBLIKE.

SKUPIO I UREDIO

SIME LJUBIĆ

PRAVI ČLAN JUGOSLAVENSKE AKADEMIJE ZNANOSTI I UMJETNOSTI ITD.

KNJIGA VII

OD GODINE 1412 DO 1420

NA SVIET IZDALA

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI

U ZAGREBU 1882

U KNJIŽARI LAVOSLAVA HARTMANA NA PRODAJU.

Kazalo.

I. God. 1412. 1. studenoga, u Mletcih.

Naputak za poslanike iduće k Celjskomu knezu u poslu mira.

1412. die primo novembris. Ser Andreas Contareno consiliarius, ser Nicolaus Victuri sapiens consilii, ser Bernabos Lauredano, ser Bertucius Pisani, ser Borbonus Mauroceno, sapientes guerre. Capta in consilio de centum. Machael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Thome Mozenigo procuratori ecclesie sancti Marci et Antonio Contareno dilectis civibus nostris, quod de nostro mandato ire debeatis nostri ambassiatores ad presentiam illustris et magnifici domini Hermani comitis Cilie Sagorieque cum nostris litteris credulitatis, cui presentatis litteris predictis et facta amicabili salutatione et oblatione cum verbis pertinentibus, prout cognoveritis esse honoris sue magnificentie et nostri dominii, dicere et exponere debeatis, quod per adventum suorum ambassiatorum, qui istis diebus elapsis fuerunt ad nostram presentiam, latissime fuimus informati de optima intentione et oblatione sua propter ratiocinia inter partes facta de interponendo magnificentiam suam ad pacem tractandam inter serenissimum dominum regem Sigismondum Romanorum et Hungarie et nostrum dominium, quod clare cognoscimus procedere, tum quia sua magnificentia desiderat comune bonum totius christianitatis et ne sanguis christianorum spargatur, tum propter amorem, quem erga nostrum dominium gessit et gerit; de quibus omnibus magnificentie sue regratiari debeatis parte nostra cum illis verbis, que cognoscetis necessaria fore. Subiungentes, quod de interpositione sua sumus tantum contenti quantum de aliquo alio domino mundi, quia tenemus, considerata optima et laudabili dispositione sue magnificentie, quod de tali interpositione premium a deo et laudem a mundo ac gloriam reportabit, nam speramus, quod mediante sapienti interpositione sua partes reducet ad bonam conclusionem et pacem, ad quam pacem semper inveniet nostrum dominium promptum, quia sequentes mores progenitorum nostrorum semper fuimus avidi et sumus cum quibuscumque pacifice vivere et specialiter cum serenissimo domino rege Sigismundo predicto, cum quo semper fuimus singulari benivolentia et amore coniuncti, et quantum fecerimus in honorem et comodum dicti serenissimi domini regis sua magnificentia plenissime est informata, et ideo missimus vos in nostros ambassiatores ad presentiam suam fulcitos sindicatu et libertate ad plenum, ut inveniantur modi et vie de intrando ad tractatum pratice pacis tractande, quos sua excellentia veluti sapientissima bene sciet invenire.

1. Et vos offeritis paratos cunctis diebus et horis esse cum sua magnificentia, et prout et sicut ordinabit pro dando principium tractatui dicte pacis pro ducendo illam ad bonam conclusionem.

2. Et quia dictus dominus comes per suos ambassiatores nobis exponi fecit, quod ad dictam pacem tractandam vellet habere secum magnificum dominum Nikolaum de Gara magnum comitem palatinum Hungarie, et reddimur certi, quod similiter vobis dicet, volumus, quod dicto domino comiti dicere et exponere debeatis, quod nostra dominatio semper fuit intrinseco amore coniuncta cum dicto domino magno comite et antecessoribus suis, et propterea omnis sua interpositio esset nobis grata, et multum nobis placet, quod in hoc simul cum magnificentia sua se interponat ad dictam pacem et concordium procurandum.

3. Et quia nostra intentio est, in quantum fieri potest, quod hec pratica fiat in Cilia et non alibi, volumus, quod procurare et instare debeatis, quod pratica predicta fiat in Cilia, et quod ibi sint ambassiatores regii habentes libertatem necessariam occasione predicta; et si hoc fieri non posset, quia videretur dicto comiti pro meliori executione, quod predicta praticari et tractari deberent in alio loco, ubi se reperiret rex seu habentes libertatem ab eo, sumus contenti, quod in hoc sequi debeatis, prout erit intentio dicti domini comitis, ne ob hoc restaret conclusio tanti boni.

4. Et quia reddimur certi, quod dictus dominus comes Cilie pro dando principium tractatui dicte pacis queret scire a vobis causas differentiarum existentium inter dictum dominum regem et nos, volumus, quod eidem dicere et respondere debeatis, quod nostra dominatio clare tenet et habet, quod excellentia sua de omnibus differentiis existentibus inter partes debeat habere plenam et claram informationem propter parentelam, quam habet cum serenissimo rege predicto. Sed nichilominus pro declaratione mentis sue magnificentie dicere debeatis, quod dictus serenissimus rex videtur gravari: primo de emptione per nos facta de terris et locis Dalmatie, et petit per nos sibi restitui debere terras et loca, que habemus et tenemus in partibus Dalmatie; secundo petit, quod solvere debeamus ducatos VII. mille, ad quorum solutionem singulo anno fiendam sue serenitati asserit nostrum dominium teneri; tercio petit per nostrum dominium relaxari debere omnes terras et loca, quas et que habemus et tenemus spectantes et pertinentes imperio, et ideo sua excellentia super predictis differentiis potest intentionem et spiritus suos intendere, ut inveniantur vie et modi, per quos removeantur differentie predicte.

5. Et quia super factis Dalmatie et de causis, propter quas illam emimus, videlicet propter predas, rapinas et raubarias, que in Jadra et aliis locis committebantur Dalmatie contra nostros et eorum bona, et ne ad alienas manus capitarent, de quibus dictus dominus rex et nos fuissemus male contenti, de quibus omnibus estis plenissime informati, volumus, quod cum illis rationibus, verbis et modis, qui vestre sapientie videbuntur, exponere debeatis causas predictas, que nos induxerunt ad faciendum emptionem predictam, et ostendendo, quod non fecimus in displicentiam nec vilipendium dicti domini regis. Similiter volumus, quod sustinere debeatis nostrum dominium non teneri ad solutionem ducatorum VII. mille, quia dictus dominus rex vigore pacis non observavit nec

potuit observare nobis ea, ad que obligatus est, sustinendo iura nostra cum illis honestis verbis et modis, qui vestre sapientie videbuntur utiles et necessarii; et ita facere debeatis de locis et terris, quas habemus et tenemus, quas dicit ad imperium spectare, declarando quantum iuste illas aquisivimus et cum quanta expensa, non contra voluntatem imperii nec ad eius dedecus, sed solummodo coacti et non voluntarii, et pro conservatione nostri status aliter facere non potuimus; ostendendo cum illis sapientibus rationibus, que vobis videbuntur, quod dictus dominus rex debet esse magis contentus, quod dominemur terris predictis quam alii, a quibus nullum servitium seu parvum habere poterit; et cum istis et aliis verbis et rationibus super qualibet dictarum partium sustinere et iustificare debeatis iura nostri dominii, de quibus estis plenissime informati.

6. Et ut de intentione nostra super facto Dalmatie sitis informati, volumus, et sic vobis damus libertatem, quod pro habendo Dalmatiam secundum formam venditionis nobis facte, quam Dalmatiam sumus contenti recognoscere a dicto domino rege, possitis promittere ad partem ad partem usque ducatos septemmilia singulo anno solvendos, in festo pascatis vel pentecostes cum conditione, quod nostrum dominium libere absolvetur a solutione ducatorum septemmilium, ad quam dictus dominus rex asserit nostrum dominium teneri vigore pacis celebrate in Taurino, nec vigore illius nec pro preterito nec pro futuro aliquid nostro dominio peti possit; ita quod dicti semptemmilia ducatorum de cetero solvantur pro recognitione Dalmatie a sua serenitate. Et si super hoc caderet difficultas pro Spalato et Ragusio, sumus contenti, quod vos retrahere debeatis de factis Spalati et Ragusii, et quod solummodo nobis remaneant Jadra cum omnibus terris et locis, quas tenemus et possidemus ad presens, Sibinicum et Tragurium cum iuribus et pertinentiis suis.

7. Et si dictus dominus rex de dicta solutione ducatorum VII. mille facienda pro recognitione Dalmatie non esset contentus, facta per vos omni possibile experientia damus vobis libertatem possendi promittere dicto domino regi ultra dictam solutionem ducatorum VII. mille ad partem ad partem usque ad quantitatem ducatorum centum millium per illos quam longiores terminos poteritis.

8. Et facta per vos omni possibili experientia, si hoc obtinere non possetis, sumus contenti, quod remaneant nostro dominio Jadra cum omnibus terris et locis, quos habemus et haberemus et possideremus tempore conclusionis pacis.

9. Quando vero facta per vos omni possibili experientia de veniendo ad pacem per modum et cum promissionibus suprascriptis dictus dominus rex condescendere nolet, quia omnino velet solutionem ducatotorum septemmilium secundum formam et continentiam pacis celebrate in Taurino per nos fieri debere, et vos videritis, quod pro dictis septem milibus ducatis solvendis, ut supra, restaret conclusio pacis, et quod, si isti ducati VII. mille eidem darentur per modum contentum in pace Taurini, pax deberet concludi, in isto casu sumus contenti, quod possitis promittere de solvendo dicta septem milia ducatorum singulo anno secundum formam et tenorem pacis Taurini predicte cum conditione, quod pro tempore elapso nostrum dominium ad aliquam solutionem faciendam

de dictis septemmilibus ducatis nullo modo teneatur; declarando, quod non solvamus nisi septem milia ducatos in anno.

10. Super factis et terris imperii, quas habemus infra terram, in quibus dictus dominus rex dicit ius habere et ad se spectare, damus vobis libertatem possendi promittere dicto domino regi, quod sumus contenti dictas terras et loca recognoscere ab imperio, et sumus contenti facere erga imperium pro terris et locis, que possidebantur per quondam dominum ducem Mediolani illud, quod faciebant dominus dux Mediolani et dominus Franciscus de Carraria tempore, quo dominabantur terris et et locis predictis.

11. Si vero per vos, facta omni possibili experientia de veniendo ad conclusionem pacis per aliquem modorum predictorum, comprehenderetis, quod expendendo maiorem summam denariorum possetis venire ad pacem, in isto casu damus vobis libertatem expendendi alios ducatos centum millia per illos quam longiores terminos poteritis, ut causa denariorum non restet conclusio pacis.

12. Insuper procurare debeatis, si ad conclusionem pacis devenietis, quod omnes terras, castra et loca nostra, captas et occupatas per gentes dicti domini regis et sequaces suos, nostro dominio restituantur, in qua restitutione sit castrum Ostroviz, si hoc facere poteritis.

13. Et si dictus dominus rex peteret similiter, quod nostrum dominium restitueret terras, castra et loca sua et recommendatorum suorum per nos et gentes nostras captas et occupatas, sumus contenti, quod promittatis restitutionem dictarum terrarum, exceptis terris atque locis Dalmatie, que habemus vel ad manus nostras pervenissent. Et similiter debeatis instare et procurare, quod remaneant nostro dominio Bulleas et Portulas, que sunt in partibus Istrie, propter causas, quas scitis; et si hoc obtinere non possetis, procurare debeatis, quod dicta castra dirrui debeant, et quando non, illa promittatis restituere.

14. Volumus etiam, quod procurare debeatis, quia ista esset perpetua securitas locis nostris Dalmatie, quod habeamus cum aliis locis castrum Tenini; et quando hoc sequi non posset, non restetis propterea de concludendo, si per alios modos ad conclusionem venire poteritis.

15. Insuper si in dicta pratica requireremini de intentione nostra circa transitum domini regis predicti pro accipiendo coronam suam in Italiam, debeatis respondere et offerre nostrum dominium promptum et paratum, secuta pace, honorare prefatum dominum regem et comitivam suam super territoriis nostris devote et amicabiliter, ut fecimus recolende memorie suum genitorem, quando simili de causa accessit in Italiam; que oblatio habeat locum sequente pace.

16. Insuper si in dicta pratica fieret vobis mentio vel requisitio aliqua de galeis nostris contra infideles, damus vobis libertatem possendi, et antequam exprimatis totam quantitatem et post, quando et sicut vobis videbitur posse prodesse nostris intentionibus suprascriptis, promittere tenere in partibus Gretie a quinque usque decem galeas armatas nostris expensis in subsidium et favorem christianitatis et ipsius domini regis Romanorum et Hungarie, quando et donec sua maiestas personaliter cum potenti exercitu erit et stabit in partibus Gretie contra infideles; declarando et ostendendo, ut est rei veritas, quanta gravedo

et expensa nobis erit tenere tot galeas in dictis partibus, et quantus favor christianitatis et regni Hungarie, et quantum damnum et incommodum cedet nostris locis confinantibus cum Turchis, et etiam mercatoribus nostris conversantibus in locis Turchorum; que promissio galearum habeat locum, si concludetur in pace.

Ceterum debeatis omnino includere in hac pace et concordium magnificum dominum Nicolaum marchionem Estensem et magnificos dominos Karolum et Pandulphum de Malatestis et spectabilem virum dominum Tristanum de Sovrignano et alios colligatos, adherentes et recommendatos nostros.

Similiter viceversa si dictus dominus rex velet includere in hac pace patriam Foroiulii, sumus contenti, quod ponatur et includatur in ea, et quod possitis promittere, quod restituemus terras et loca ecclesie Aquileiensis, que in presenti guerra ad manus nostras pervenissent preter Portulas et Bulleas, ut superius dictum est.

Et si dominus rex velet omnino, quod remaneret in patriarchatu dux Dech, sumus contenti, quod propter hoc desistere non debeatis, et quod remanere debeat in patriarchatu cum conditione, quod dictus patriarcha iuret et promittat observare pacta nostra et franchisias nostras, et si illis contrafaceret, possimus guerram innovare dicto patriarche, et dominus rex de dicta guerra non debeat se intromittere, nec aliquod auxilium dicto patriarche dare nec dari facere; et similiter promittat non molestare dominum Tristanum nec alios recommendatos nostros.

Et ut possitis mittere executioni nostras intentiones predictas, damus vobis libertatem possendi expendere usque ad quantitatem ducatorum XX. mille in illis personis, que vobis videbuntur posse ad hoc prodesse, cum conditione, quod ipsi denarii non solvantur nisi secuta pace.

Verum non obstante, quod preponamus vobis intentiones et voluntates nostras, debeatis vos, qui estis informati, dicere et aperire et alegare dictas nostras intentiones tempore et loco debitis, et non exeundo ab effectu et continentia suprascriptorum capitulorum, confidentes in vestris sapientiis, relinquimus in libertate vestra secundum occurentia postponere et preponere partita, intentiones et modos et capitula predicta, secundum quod videbitis posse melius redundare nostro dominio, non transeundo tamen effectum dictarum nostrarum intentionum, reducendo vobis ad memoriam, quod non debeatis aperire intentiones nostras predictas, nisi videatis et comprehendatis per verba dicti comitis vel per alias vias, quod dictus dominus rex sit contentus venire ad concordium.

Verum quia credimus, quod forte necesse erit, quod compareatis vel vos reperiatis in presentia domini regis Hungarie, volumus, quod, facta debita reverentia et devota salutatione, debeatis exponere, quod ivistis de nostro mandato ad presentiam illustris domini comitis Cilie causa tractandi pacem, etiam quia nostra dominatio non potest credere, quod mens ipsius domini regis Hungarie, multis respectibus sed spetialiter pro bono christianitatis et respectu eorom, que fecimus in complacentiam et comoditatem ipsius domini regis et regni Hungarie, velit perseverare in guerra nobiscum, maxime cum si sue maiestati placebit,

possit fieri pax conveniens et rationabilis et accomoda et grata sue serenitati et nostro dominio.

Et si per aliquem modorum predictorum non possetis venire ad pacem, volumus, quod differentias occurentes inter partes presto nostro dominio scribere debeatis, et non recedere et expectare nostrum mandatum. De parte 49. 74.

Ser Thomas Michael consiliarius, ser Franciscus de Bernardo, ser Laurentius Bragadino, ser Marcus Venerio sapientes guerre. In consilio centum. Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Thome Mozenigo procuratori ecclesie sancti Marci et Antonio Contareno dilectis civibus nostris, quod in bona gratia ire debeatis nostri ambassiatores sd presentiam illustris et magnifici domini Hermani Cilie Sagorieque comitis cum nostris litteris credulitatis, et facta amicabili salutatione et oblatione cum verbis amoris et dilectionis, prout cognoscetis fore honoris sui et nostri dominii, dicere et exponere debeatis, quod nostra dominatio per adventum suorum ambassiatorum ad presentiam nostram fuit latissime informata de optima voluntate et dispositione sua et de lata oblatione facta de interponendo se ad pacem tractandam et procurandam inter serenissimum dominum Sigismundum Romanorum et Hungarie regem et nostrum dominium, de qua sua oblatione excellentie sue referimus dignas gratiarum actiones, cognoscentes hoc procedere a magna humanitate et pro bono christianitatis, ne sanguis christianorum spargatur, et propter amorem, quem continue habuit erga nostrum dominium; et tenemus firmiter, considerata magna sapientia sua et optima voluntate, quod interpositio sua erit causa reducendi partes ad bonam conclusionem et pacem, quia a parte nostra sequentes mores progenitorum nostrorum semper fuimus promti ad pacem et cum quibuscumque pacifice vivere et potissime cum serenissimo rege Sigismundo, cum quo nostra dominatio semper fuit coniuncta singulari benivolentia et amore, et quicquid fecerimus pro domino rege predicto in signum benivolentie et amoris, sue magnificentie notum est. Et quia dicti sui ambassiatores, dum essent ad presentiam nostram, ex parte sue magnificentie dixerunt, ut vellemus providere de viis et modis, cum quibus deveniri posset ad tractatum pacis, terminavimus vos mittere, sicut dictis suis ambassiatoribus diximus, in nostros ambassiatores ad presentiam sue magnificentie cum libertate et mandato ad plenum, ut inveniantur vie et modi necessarii ad incipiendum tractatum pacis et concordie pertractande. Et ideo vos offertis esse cum sua magnificentia omnibus diebus et horis, et quando sua magnificentia ordinabit, pro dando principium pratice dicte pacis, ex quo sua excellentia potest dare illum ordinem, qui sue magnificentie placet, quia semper eritis parati ad faciendum et sequendum ex parte vestra, quicquid erit necessarium facere et sequi pro bona et pacifica conclusione ponenda inter partes.

Et si dictus dominus, audita expositione vestra, erit contentus intrare ad interpositionem pacis, prout sumus certi, quod fuerit, et sit intentio sua, et erit contentus, quod pratica dicte pacis fiat in Cilia, tunc in bona gratia dare debeatis principium pratice predicte, si ibi erunt ambassiatores dicti domini regis sive alii habentes ab eo liberta-

tem super facto dicte pacis tractande. Si vero videretur dicto domino comiti pro meliori executione dicte pacis et concordie tractande, quod dicta pratica fieri debeat in Isagabria vel Buda vel in alio loco, ubi esset dominus rex, sumus contenti et sic vobis mandamus, quod in hoc sequi debeatis, prout fuerit intentionis dicti domini comitis. Et quia dictus dominus comes per suos ambassiatores nobis exponi fecit, quod vellet habere penes se ad tractandum dictam pacem magnificum dominum Nicolaum de Gara magnum comitem palatinum Hungarie, quibus ambassiatoribus respondimus, quod hoc nobis multum placebat, propterea si dictus dominus comes Cilie vobis faciet mentionem de hoc, respondere debeatis, quod nostra dominatio semper fuit coniucta cum dicto magno comite Hungarie ac suis antecessoribus intrinseco amore, ac propterea multum nostro dominio placet et gratum habemus, quod dictus dominus comes sit cum magnificentia sua ad procurandum et tractandum pacem predictam. Et si erit necessarium, quod sitis cum dicto magno comite super hoc, fecimus vobis fieri litteras credentiales dicto domino, quas eidem presentari debeatis, et uti illis verbis, que vestre sapientie circa hoc necessaria videbuntur.

Et quia reddimur certi, quod dictus comes Cilie pro dando principium tractatui dicte pacis queret scire a vobis causas differentiarum existentium inter dictum dominum regem et nos, volumus, quod eidem dicere et respondere debeatis, quod nostra dominatio clare tenet et habet, quod excellentia sua de omnibus differentiis existentibus inter partes debeat habere plenam et claram informationem propter parentelam, quam habet cum serenissimo domino rege predicto; sed nichilominus pro declaratione mentis sue magnificentie dicere debeatis, quod dictus serenissimus dominus rex videtur gravari. Primo de emptione per nos facta de terris et locis Dalmatie, et petit per nos sibi restitui debere terras et loca, quas habemus et tenemus in partibus Dalmatie. Secundo petit, quod solvere debeamus ducatos VII. mille, ad quorum solutionem singulo anno fiendam sue serenitati asserit nostrum dominium teneri. Tercio petit, per nostrum dominium relaxari debere omnes terras et loca, quas et que habemus et tenemus, spectantes et pertinentes imperio. Et ideo sua excellentia super perdictis differentiis potest intentionem et spiritus suos intendere, ut inveniantur vie et modi, per quos removeantur differentie predicte.

Et quia super factis Dalmatie et de causis, propter quas illam emimus videlicet propter predas, rapinas et raubarias, que in Jadra et aliis locis Dalmatie committebantur contra nostros et eorum bona, et ne ad alienas manus capitarent, de quibus dictus dominus rex et nos fuissemus male contenti, de quibus omnibus estis plenisime informati, volumus, quod cum illis rationibus, verbis et modis, que vestre sapientie videbuntur, exponere debeatis causas predictas, que nos induxerunt ad faciendum emptionem predictam, et ostendendo, quod non fecimus in displicentiam nec vilipendium dicti domini regis. Similiter volumus, quod sustinere debeatis, nostrum dominium non teneri ad solutionem ducatorum septemmilium, quia dictus dominus rex vigore pacis non potuit nobis observare nec observavit ea, ad que obligatus est; sustinendo iura nostra cum illis honestis verbis et modis, que vestre sapientie videbun-

tur utiles et necessarii; et ita facere debeatis de locis et terris, quas habemus et tenemus, quas dicit ad imperium spectare; declarando, quantum iuste illas acquisivimus et cum quanta expensa, non contra voluntatem imperii nec ad eius dedecus sed solummodo coacti et non voluntarii, et pro conservatione nostri status aliter facere non potuimus; ostendendo cum illis rationibus sapientibus, que vobis videbuntur, quod dictus dominus rex debet esse magis contentus, quod dominemur terris predictis quam alii, a quibus nullum servitium seu parvum habere poterit; et cum istis et aliis verbis et rationibus super qualibet dictorum partium sustinere et iustificare debeatis iura nostri dominii, de quibus estis plenissime informati.

Et ut de intentione nostra super factis Dalmatie noticiam habeatis, volumus, quod per illos honestos modos et vias, qui vestre sapientie videbuntur, procurare debeatis de habendo et senciendo intentionem et voluntatem dicti domini regis super factis predictis; et quando hoc sentire non possetis, quia velet nostram intentionem scire, damus vobis libertatem possendi promittere dicto domino regi pro tota Dalmatia secundum formam nostre emptionis ad partem ad partem et per illos quam longiores terminos poteritis usque ad summam ducatorum ducentorum millium. Et si totam Dalmatiam habere non possetis, quia non assentiret dare nostro dominio Spalatum et Ragusium, sumus contenti, quod possitis promittere pro Jadra et aliis terris, quas habemus et tenemus, et pro Sibenico et Tragurio ad partem ad partem et prout melius et per quam longiores terminos facere poteritis ducatos ducentos milia. Et si hoc facere nolet, quia speramus presto habere in manibus nostris Sibenicum et forte etiam Tragurium, damus vobis libertatem pro Jadra et aliis terris, quas habemus et possidemus, seu haberemus et possideremus usque in diem conclusionis concordii et pacis in partibus Dalmatie, possendi promittere dictos ducatos ducentos milia per illos quam longiores terminos posseritis, considerata conditione nostra.

Si vero per aliquem modorum predictorum non possetis ad pacem venire, facta per vos omni possibili experientia, sumus contenti, quod pro recognitione Dalmatie possitis promittere ad partem ad partem usque quantitatem ducatorum septemmilium in anno solvendorum in festo paschatis vel pentecostes dicto domino regi, regno et corone Hungarie et successoribus suis, cum conditione, quod nostrum dominium libere absolvatur a solutione ducatoru VII. mille, ad quam dictus dominus rex asserit nostrum dominium teneri vigore pacis celebrate in Taurino, nec vigore dicte obligationis pro preterito nec futuro aliquid nostro dominio peti possit, ita quod dicti septem milia ducàti sive illa pars, de qua fueritis in concordio, solvantur de cetero dicto domino regi, regno et corone Hungarie et successoribus suis pro recognitione Dalmatie. Et quando hoc facere non possetis, sumus contenti, quod promittere possitis dicta septem milia ducatorum pro recognitione Dalmatie et vigore pacis celebrate in Taurino pro tempore futuro, ita quod per elapsum nichil solvere debeamus.

Quando autem facta per vos omni possibili experientia de veniendo ad pacem per modos et cum promissionibus suprascriptis, dictus dominus rex ad hoc condescendere nolet, quia omnino velet solutionem ducatorum

septemmilium secundum formam et continentiam pacis celebrate in Taurino, et vos videretis, quod pro dictis septemmillibus ducatis solvendis, ut supra, restaret conclusio pacis, sumus contenti, quod in isto casu possitis promittere de solvendo dicta septemmillia ducatorum singulo anno secundum formam et tenorem pacis Taurini predicte, cum conditione, quod pro tempore elapso nostrum dominium ad aliquam solutionem faciendam de dictis septem millibus ducatis nullo modo teneatur; declarando in omni casu, quod non solvamus nisi septem millia ducatos in anno.

Quando vero dictus dominus rex omnino esset dispositus non dimittere nostro dominio Jadram et alias terras et loca, quas habemus et possidemus in Dalmatia, facta per vos omni possibili experientia de veniendo ad compositionem per aliquos modorum supra scriptorum, et hoc non possetis obtinere, debeatis dicere, quod non obstante, quod illam iuridice teneamus, ut dominus rex videat et cognoscat, nostrum dominium esse dispositum velle cum sua serenitate in pace vivere, sumus contenti eidem restituere Jadram et alia loca, que habemus. Et in isto casu damus vobis libertatem possendi promittere dicto domino regi, quod simus contenti restituere dicto domino regi Jadram et omnia alia, que habemus, tenemus et possidemus in Dalmatia, et dictus dominus rex restituat nobis denarios emptionis, quos solvimus, et omnes expensas per nos factas ultra introitus dictorum locorum cum conditione, quod illas teneamus et possideamus, donec nobis restitueret denarios predictos et expensas factas ultra introitus usque diem, qua restituemus terras et loca predicta. Et in isto casu promissio facta de dictis VII. mille ducatis et ducentis milibus non valeat nec teneat; et subiungant, ad dictam solutionem VII. mille nostrum dominium non teneri.

Super factis et terris imperii, quas habemus a parte terre, in quibus dictus dominus rex dicit ius habere et ad se spectare, damus vobis libertatem possendi promittere dicto domino regi, quod sumus contenti illos recognoscere ab imperio et pro terris et locis, que possidebantur per quondam dominum ducem Mediolani et dominum Franciscum de Cararia, erga imperium facere illud, quod faciebant dictus dominus dux Mediolani et dominus Franciscus de Carraria temporibus, quibus domini predicti dominabantur terris et locis predictis.

Insuper procurare debeatis, si ad conclusionem pacis devenietis, quod omnes terre, castra et loca nostra, capta et occupata per gentes dicti domini regis et sequaces suos, nostro dominio restituantur, in qua restitutione sit castrum Ostroviz.

Et si dictus dominus rex peteret similiter, quod nostrum dominium restitueret terras, castra et loca sua et recommendatorum suorum per nos et gentes nostras captas et occupatas, sumus contenti, quod promittatis restitutionem dictarum terrarum, castrorum et locorum exceptis terris et locis Dalmatie, que habemus vel ad manus nostras pervenissent; et similiter debeatis instare et procurare, quod remaneant nostro dominio loca Bullearum et Portularum, que sunt in partibus Istrie, propter causas, quas scitis, et quando non, illa dimittere debeatis.

Insuper si in dicta pratica requireremini de intentione nostra circa transitum domini regis predicti pro accipiendo coronam suam in Italiam,

debeatis respondere et offerre nostrum dominium promptum et paratum, secuta pace, honorare prefatum dominum regem et comitivam suam super territoriis nostris devote et amicabiliter, ut fecimus recolende memorie suum genitorem, quando simili de causa venit in Italiam, que oblatio habeat locum sequente pace.

Insuper si in dicta pratica fieret vobis mentio vel requitio aliqua de galeis nostris contra infideles, damus vobis libertatem possendi, et antequam exprimatis totam quantitatem et post et quando et sicut vobis videbitur posse prodesse nostris intentionibus suprascriptis, promittere tenere in partibus Gretie a quinque usque decem galeas armatas nostris expensis in subsidium et favorem christianitatis et ipsius domini regis Romanorum et Hungarie, quando et donec sua maiestas personaliter cum potenti exercitu erit et stabit in partibus Gretie contra infideles; declarando et ostendendo, ut est rei veritas, quanta gravedo et expensa nobis erit tenere tot galeas in dictis partibus, et quantus favor christianitatis et regni Hungarie, et quantum damnum et incommodum cedet nostris locis confinantibus cum Turchis et etiam nostris mercatoribus conversantibus in locis Turchorum, que promissio galearum habeat locum, si concludetur in pace.

Ceterum debeatis omnino includere in pace hac et concordio magnificum dominum Nicolaum marchionem Estensem et magnificos dominos Karolum et Pandulfum de Malatestis, magnificum dominum Opizonem de Polenta Ravenne etc. et spectabilem virum Tristanum de Sovrignano et alios alligatos, adherentes, recommendatos et sequaces suos.

Similiter vice versa si dominus rex vellet includere in hac pace patriam Foroiulii, sumus contenti, quod ponatur et includatur in ea, et possitis promittere, quod restituemus terras et loca ecclesie Aquilegiensis, quas in presenti guerra ad manus nostri dominii pervenissent preter Bulleas et Portulas, nisi ut superius dictum est.

Et si dominus rex velet omnino, quod remaneret in patriarchatu dux Dech, sumus contenti, quod propter hoc desistere non debeatis, et promittatis, quod sumus contenti, quod remaneat in patriarchatu cum conditione, quod dictus patriarcha iurat et promittat nobis observare pacta et franchisias nostras, et si illis contrafaceret, quod possimus dicto patriarche guerram facere, et dictus dominus rex non debeat se intromittere nec aliquod auxilium, favorem vel subsidium dicto domino patriarche dare nec dari facere, et similiter promittat non molestare nec molestari facere dominum Tristanum de Sovrignano, castra et loca sua.

Et ut possitis mittere executioni nostras intentiones predictas, damus vobis libertatem possendi expendere usque ad quantitatem ducatorum XX. mille in illis personis, que vobis videbuntur posse ad hoc prodesse, cum conditione, quod dicti denarii non solvantur nisi secuta pace.

Verum non obstante, quod preponamus vobis intentiones et voluntates nostras, debeatis vos, qui estis informati, dicere et aperire et allegare dictas nostras intentiones tempore et loco debitis, et non exeundo ab effectu et continentia capitulorum suprascriptorum. Et confidentes de sapientiis vestris, relinquimus in libertate vestra secundum occurrentia postponere et preponere partita, intentiones et modos et capitula pre-

dicta, secundum quod videbitis posse melius redundare nostro dominio, non transeundo tamen effectum dictorum nostrorum intentionum.

Insuper quia credimus, quod forte necesse erit, quod compareatis vel vos reperiatis in presentia domini regis Hungarie, volumus, quod facta debita reverentia et devota salutatione debeatis exponere, quod ivistis de nostro mandato ad presentiam illustris domini comitis Cilie causa tractandi pacem, etiam quia nostra dominatio non potest credere, quod mens ipsius domini regis Hungarie multis respectibus sed specialiter pro bono christianitatis et respectu eorum, que fecimus in complacentiam et comoditatem ipsius domini regis et regni Hungarie, velit perseverare in guerra nobiscum, maxime cum si sue maiestati placebit, possit fieri pax conveniens et rationabilis et accomoda et grata sue serenitati et nostro dominio.

Et quia posset occurrere, quod in praticis, que fient inter partes, per dictum dominum regem seu per alios eius nomine vobis fieret requisitio de stando iuri de differentiis existentibus inter partes, sicut alias fecit, volumus, quod si hec requisitio vobis fieret de stando iuri, quod dicere et exponere debeatis, quod nulla res tantum placet nostro dominio, quantum sequi via iuris, quia semper dileximus et diligimus viam iuris; sed consideravimus et consideramus, quod sequi via iuris de differentiis existentibus inter partes est res, que duceret partes in longum, sicut sua serenitas bene considerare potest; et etiam consideratis differentiis partium male reperiri posset iudex, qui tantum onus vellet in se assumere; et etiam quando partes ad invicem litigant, necesse est pro favore suorum iurium interdum allegare et dicere de verbis, que non sunt partibus grata, et pro celeriori conclusione et pro evitatione eorum, que habeant indignationem inter partes inducere, necesse est per viam interpositionis differentias removere et concordare, et ideo videtur nostro dominio utilius fore, quod dominus comes Cilie tanquam interpositor audiat differentias partium, et illas per medium et interpositionem suam ducat ad conclusionem pacificam.

Et si per aliquem modorum predictorum non possetis venire ad pacem, volumus, quod differentias occurrentes inter partes presto nostro dominio scribere debeatis, et non recedere, et expectare nostrum mandatum. De parte 9.

Ser Sanctus Venerio consiliarius. In consilio centum. Nos Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Commitimus vobis nobilibus viris Thome Mocenigo procuratori ecclesie sancti Marci et Antonio Contareno dilectis et honorabilibus civibus nostris, quatenus cum gratia summi creatoris, infusione spiritus sancti ac protectione beatissimi Marci Evangeliste, cuius intercessione divina potentia clementer viam concordie dirigat atque pacis. Ire igitur debeatis in nostros solemnes ambassiatores occasione pacis tractande inter novum electum et Hungarie regem ac nostrum dominium ad illustres et magnificos dominos comites Cilie, qui pro Interpositione et medio huius fructuosi operis se alacriter obtulerant, ut nostis, in quo operabimini virtutem et sapientiam vestram, sicut de vobis plene confidimus.

Debeatis igitur ire prestissime secundum ordinem datum, de quo estis plene informati, ad partes Cilie ad illustram dominum Hermanum

comitem Cilie et ad magnificum dominum Fridericum primogenitum suum, quorum amborum parte pridie ad nos venerunt duo ambassiatores. Et propterea volumus, quod delibertatio remaneat in vobis, qui eritis presentes, et melius scietis modum servandum pro maiori honore et contentanento illorum dominorum ac meliori executione agendorum circa expositionem ambassiate patri et filio simul aut divisim vel reperiendo alterum ipsorum, quoniam ad quemlibet habetis litteras credentie. Cum ergo eritis ad presentiam suam, presentatis litteris credentie, portabitis eis fraternas et amicabiles salutes et hortamina cum verbis amoris et dilectionis et cum oblationibus, que vestre prudentie videbuntur ad honorem sue magnificentie et nostri dominii condecere.

Subsequenter exponetis causam accessus vestri, et qualiter per honorabiles ambassiatores suos ad nos missos occasione nota sue excellentie comprehendimus benignam et humanam mentem suam circa interpositionem pacis et concordii inter serenissimum dominum Romanorum et Hungarie regem ac nostrum dominium, quam interpositionem cognoscimus procedere a naturali et optimo suo proposito circa universale bonum totius christianitatis et a sincera affectione amoris, quam gerit excellentia sua nostro dominio, de quo eidem referimus dignas grates. Verum quia sui ambassiatores dixerunt parte sue magnificentie, ut vellemus providere de viis et modis possendi dare principium concordio et paci tractande et eis diximus, quod, ut tales vie et modi posseut reperiri, mitteremus nostram legationem ad excellentiam suam, sic servavimus, et comprehendentes maximam spem et confidentiam in ipsa sua excellentia ob maximam et inavatam eius sapientiam et virtutem, tum propter intrinsecam et coniunctam parentelam, quam habet cum serenissimos Romanorum rege, cuius mentem et secreta cordis comprehendisse debet circa inclinationem pacis. Voluimus, ut cognoscatur, quod non deficiat a parte nostra, sicut nunquam defecit in mittendo tot legitiones ad dominum papam et ad partes Hungarie pro deveniendo ad pacem, quam a natura nostra et nostrorum progenitorum semper dileximus, etiam vos destinare presentialiter in nostros ambassiatores ad excellentiam suam, considerata tali solemni et utile interpositione sua, que sumus certi procedit, ut acquirat meritum a deo et a mundo perpetuam gloriam atque famam, et ut etiam evitetur sparsio sanguinis inter christi fideles. Rogamus itaque bonam amicitiam suam, quatenus pro executione huius utilissimi fructus placeat et velit operire vobis et confidenter dicere vias et modos, qui viderentur sapientie sue tenendi pro bona conclusione tractatus pacis, quia confidentissime etiam vos aperietis omnia iura nostra et alia aperienda, ita quod cognoscetur a parte nostra non defficere pacem, dummodo illam possimus habere iustam, rationabilem et honestam, nec aliter unquam diximus.

Et quia prescripti sui ambassiatores dixerunt nobis, fore intentionis illustris domini sui habere penes se magnificum comitem palatinum Hungarie, debentibus vobis venire supra pratica concordii, nobis videtur principaliter, ut certificemini, si dispositio domini regis Hungarie est, quod ipse illustris dominus comes Cilie, aut ipse et filius et similiter magnus comes palatinus sint interpositores huius facti, nam sumus contenti, quod ipse illustris dominus comes Cilie iuxta latam oblationem

suam factam et solus, et filius secum et etiam magnus comes insimul secum sint in hac interpositione, in quantum sibi placeat.

Et capta deliberatione de modo et ordine interpositorum predictorum, et de loco, ubi debebit praticari tractatus predictus, nam intentio vestra esset libentius, ut pratica fiat in terris dominorum comitum Cilie pro honore nostro et medio loco partibus ac magis comodo, si magnus comes illuc venerit et erit, ut speramus presentatibis vos ad ipsum cum nostris litteris credentie, quas habetis, et cum salutibus et oblationibus ac aliis pertinentibus verbis amoris et dilectionis, secundum quod deliberaveritis cum domino comite Cilie, et vobis videbitur pro honore nostri dominii et bono medio agendorum. Et quia forte dominus comes Cilie deliberabit et volet, ut eatis ad partes Hungarie et forte ad conspectum domini regis, volumus, quod hoc sequente presentatis litteris credentie, quas habetis, ac facta debita reverentia et devota salutatione, debeatis exponere, quod ivistis de nostro mandato ad illas partes ad persuasionem illustrium dominorum comitum Cilie causa tractandi pacem, etiam quia dominatio nostra non potest credere, quod mens ipsius domini regis Hungarie multis respectibus sed specialiter pro bono christianitatis et ob intuitum illustrium dominorum comitum Cilie coniunctorum suorum ac respectu eorum, que per tempora retroacta fecimus in complacentiam et comoditatem ipsius domini regis et regni Hungarie, velit perseverare in guerra nobiscum, maxime quia, si sue maiestati placebit, possit fieri pax conveniens et rationabilis ac commoda sue serenitati et nostro dominio, et hoc erit placidum deo et universale bonum totius christianitatis.

Et antequam declaremus vobis finalem mentem nostram, volumus reducere ad memoriam vestram differentias, quas habemus cum domino rege Hungarie, licet sint vobis note, que principaliter tres sunt.

Prima pro factis Dalmatie, et hec continet duas partes; primo, quantum ad dominium terrarum, secundo propter solutionem VII. mille ducatorum.

Secunda differentia est de terris spectantibus ad imperium, et ista etiam includit duas partes, videlicet de terris et civitatibus, quas ad presens tenemus, et de aliis, quas amisimus, et nobis occupantur.

Tercia differencia poterit esse de terris et locis, quas et que aquisivimus in patria Foroiulii et in Istria.

Super predictis autem differentiis considerato, quantum plene vos advisati estis tam propter praticas hic habitas quam in alia ambassiata vestra, et habito respectu, quantum sumus de omnibus in pleno iure, sicut vobis manifestum est, proposuimus respectu etiam sapientie et fidelitatis vestre dicere et aperire deliberationem nostram subcinte et modos, qui ut supra dictum est videntur nobis rationabiles et honesti, volendo dimittere alias peticiones, quas iuridice possemus facere de tota Dalmatia, et aliis nostris iuribus ac de multis damnis et magnis secutis in detrimentum nostrum et maximis ac innumerabilibus expensis etc., que et quas non declaramus, prosequi volendo vestigia progenitorum nostrorum, qui semper dilexerunt pacem, et pro vivendo in quiete et amore cum serenissimo domino Romanorum rege, qui multis respectibus haberet causam diligendi nostrum dominium statumque nostrum, si bene vult considerare, secundum quod poteritis dicere et estis plene informati.

Et ut omnia vobis clarefiant super modis pratice, comprehendentibus vobis et certificatis, quod dominus rex Hungarie sit contentus de tali interpositione suprascripta, sicut non dubitamus, dicimus, quod per omnes illas honestas vias et modos, qui vestre sapientie videbuntur, studeatis procurare de sciendo animum et intentionem domini regis, antequam de aliqua re vos aperiatis vel elergietis, nam multum facit pro factis nostris ante scire voluntatem regiam, quam aliquid aperire. Et quia credendum est, quod fiant et preponentur vobis generales peticiones, ad quas, quia sapientissime estis informati de intentione nostri dominii, de iuribus nostris et de praticis alias habitis et factis, poteritis et scietis plenissime et sufficienter respondere et allegare, sustinendo tamen iura nostra honeste et cum verbis convenientibus, et que viderentur vobis posse esse inductiva pacis; facta per vos omni honesta et possibili experientia, videlicet de sciendo intentionem et voluntatem regiam, et non possendo scire, pro non se lutanando a pratica, sumus contenti, quod in nomine omnipotentis dei vos dicatis cum illis modis et quam melioribus verbis, qui vobis videbuntur, quod dominatio nostra disposita ad bonum concordium atque pacem, volens ostendere in conspectu dei et toti mundo suam optimam voluntatem et propositum, dicit et contentatur venire ad ipsam pacem cum infrascriptis modis rationabilibus et honestis.

Modi autem sunt hi, videlicet quod debeant nobis remanere civitates, terre et loca, que ad presens tenemus et possidemus in Dalmatia, et illis dominemur pacifice et quiete, et pro evitando omnem causam novitatis et guerre per futurum, et quod ipsi domino regi placeat vobis concedere Tragurium et Sibenicum, et si iam habuissemus Sibenicum, sicut speramus, quod illud nobis remaneat libere et pacifice, et concedatur nobis Tragurium, ut est dictum, et insuper quod fiat nobis per dominum regem Hungarie et regnum et coronam Hungarie quietatio VII. mille ducatorum pro tempore preterito et futuro.

Similiter videtur nobis conveniens, quod restituantur nobis omnes civitates, terre, castra et loca ubicumque sita, que nobis ablata sunt et occupata per gentes vel sequaces prefati domini regis, et que reperirentur ablata tempore conclusionis pacis. De aliis autem terris et de locis et de suprascriptis, que petuntur restitui,quarum alique dicuntur spectare ad imperium, licet deberent nobis libere remanere, considerato cum quanto iusto titulo et cum quanta expensa et iustis occasionibus illas acquisivimus pro trahendo de tirannitate, nichilominus ut pro hoc non remaneat omne bonum concordium et pax, sumus contenti illas recognoscere ab imperio. Et pro recognitione omnium suprascriptorum dominatio nostra contenta est promittere et dare ipsi domino regi illam quantitatem pecunie, que sit honesta et rationabilis, et deveniendo ad aliquam promissionem levem fiendam annuatim, habeatis menti, quod fiat promissio de per se pro factis Dalmatie et pro se pro terris imperii, non exprimendo propterea vos quantitatem aliquam, sed dimittendo, quod faciat adversa pars peticionem suam, quia in hoc comprehendetur, si erit sue intentionis deveniendi ad compositionem pro pecunia. Et si pars adversa non vellet incipere aliquid specificare de quantitate, sed requireret, ut per vos deberet primo specificari, quantum velimus expendere et contribuere, sumus contenti, ut videatur, quod non velimus discedere a tractatu pratice,

sed quod velimus devenire ad concordium, quod captato tempore condecenti et ad propositum possitis promittere in hoc principio usque ad summam ducatorum C mille, quia hoc erit causa incitandi partem aliam ad aperiendum et declarandum postea suam mentem.

Super modis autem predictis tantum honestis et rationabilibus volumus, quod debeatis instare et procurare iuxta posse, quia sicut supradiximus dimittendo alias peticiones, quas de iure facere possemus, posuimus nos ad istas tam iustas et rationabiles, quantum plus dici potest. Si vero facta per vos illa debita experientia, que vestre sapientie videbitur, et vos videretis non posse obtinere dictam nostram intentionem, quia specialiter differentia foret occasione VII. mille ducatorum, comprehendentibus vobis de aliis rebus posse esse de concordio, licet hoc sit nobis grave, nec teneamur, tamen pro sequendo ad concordium atque pacem, sumus contenti, quod fiat promissio VII. mille ducatorum aut minoris quantitatis, si fieri poterit, videlicet incipiendo a V. mille ducatis et ultimo usque ad VII. mille pro futuro tempore tantum, possendo esse, ut est dictum, de aliis rebus in concordio, et in hoc adhibeatis omnem virtutem, diligentiam et sapientiam vestram, quia nos ponimus ad plusquam iusta et rationabilia.

Super facto autem terrarum et locorum, quas et que aquisivimus in Foroiulio et in Istria, relinquimus in libertate vestra dimittendi illas Foroiulii, cum electus fuerit patriarcha, qui non sit inimicus nostri dominii et acceptus et gratus partibus, et in manibus suis illa loca conferri faciemus. De illis autem terris et locis Istrie adeptis, volumus non esse astrictos dimittere, sed quia sunt simul confinata cum nostris et insita, sumus contenti concordari pro illis cum ecclesia.

Pro conclusione vero dictorum modorum est ultimo nostra intentio, ut tantum bonum et exaltatio status nostri possit sequi, confidentibus nobis de sapientia et virture ac fidelitate vestra et de longa et bona pratica, quam habuistis super factis sicut de nobis propriis, dicimus, quod facta per vos omni possibili experientia de partitis dictis superius pro honore et bono status nostri, de quo notabilis pars estis, stringendo nos ad ultimiora, que possumus, nostre intentionis est, quod remaneant nobis terre et loca, que et quas presentialiter tenemus, et que teneremus tempore conclusionis concordii in Dalmatia, et similiter restitutis nobis locis amissis, et que nobis occupata erunt usque ad diem conclusionis pacis, ut est dictum superius, et concessis nobis omnibus terris et locis, quas et que tenemus, expectantes imperio in vicariatu. In aliis autem differentiis dimittimus et relinquimus in discretione et libertate vestra ad faciendum id, quod vobis videbitur melius et maioris honoris et boni civitatis nostre, nec quantitatem pecunie vobis specificamus, nam secundo partita meliora et minus bona possitis expendere plus et minus, secundum quod vestris sapientiis videbitur, quia bene scitis ea, que per alias vices voluerunt fieri. Recordando vobis in omni casu, quod habendo modum debeatis de tempore in tempus nos advisare, super quibus terminis vos reperietis et parere vestrum, non expectando tamen responsionem, dummodo non impediret praticam sive conclusionem, si deo placebit dare pacem.

Vult etiam alias partes comunes notatas in commissione capta, videlicet de promittendo pecuniam illis personis, que forent proficue et utiles et causa tractatus, et de facto galearum promittendarum, et ulterius de facto recommendatorum ac de facto patriarche Aquilegiensis.

Ultimo si videretur vobis factibile et posse prodesse, quod loco VII. mille ducatorum, et quod de hoc contentaretur adversa pars habere ad imprestita ducatos C mille, sumus contenti illa sibi concedere pro comodo suo, non existentibus nobis obligatis ad solutionem VII. mille ducatorum, quousque non restituerit nobis pecuniam suprascriptam. De parte 18.

Ser Antonius Mauro procurator, ser Marinus Karavello procurator, ser Rossus Marino sapientes consilii. In consilio centum.

Nos Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. ut in commissione suprascripta et cum salutationibus, oblationibus et aliis opportunis et convenientibus etc.

Subsequenter exponetis causam accessus vestri ad excellentiam suam, videlicet qualiter per honorabiles ambassiatores suos ad nos missos occasione sibi nota comprehendimus benignam et humanam mentem suam circa interpositionem pacis et concordii inter serenissimum dominum Romanorum et Hungarie regem ac nostrum dominium, quam interpositionem cognoscimus procedere a naturali et optimo suo proposito circa universale bonum totius christianitatis et a sincera caritate et benivolentia, quam gerit nostro dominio, de quo eidem referimus dignas grates. Verum quia sui ambassiatores dixerunt parte sue magnificentie, ut vellemus providere de viis et modis possendi dare principium concordio et paci tractande, et ei diximus, quod ut tales vie et modi possent reperiri, mitteremus nostram legationem ad excellentiam suam, sic servare voluimus. Et aprehendentes spem et confidentiam in ipsa sua, excellentia tum ob sapientiam et virtutem suam tunc ob intrinsecam et coniunctam parentelam, quam habet cum serenissimo rege Romanorum et Hungarie, cuius mentem et secreta comprehendisse debet et scire circa inclinationem pacis, dixerunt etiam ipsi ambassiatores fore intentionis domini supradicti velle libenter habere magnificum comitem palatinum Hungarie apud se, debentibus ipisis venire super pratica concordii, de quo multum contentamur, si est beneplaciti sui, et similiter de filio illius domini comitis Cilie, secundum quod melius sue excellentie videtur et placet, quia de hoc remanebimus valde contenti. Voluimus igitur, ut cognoscatur, quod non deficiat a parte nostra, sicut nunquam defecit in mittendo tot legationes et ad dominum papam et ad partes Hungarie pro deveniendo ad bonam pacem, quam a natura nostrorum progenitorum et nostra semper dileximus, destinare vos presentialiter in nostros ambassiatores ad excellentiam suam, considerata tali solemni et utile interpositione sua, que, ut sumus certi, procedit, ut acquirat meritum a deo et perpetuam gloriam atque famam a mundo, et ut etiam evitetur sparsio sanguinis inter christi fideles; rogando bonam amicitiam suam, quatenus pro executione huius fructuosi operis placeat et velit aperire vobis et confidenter dicere vias et modos, qui viderentur sapientie vestre tenendi, et qui forent iusti et rationabiles pro veniendo ad praticam tractatus et ad bonam conclusionem concordii et pacis, quia sic confi-

dentissime etiam vos aperietis aperienda; ita quod cognoscetur, a parte nostra non deficere pacem, dummodo illam possimus habere iustam, rationabilem et honestam.

Et super hoc debeatis instare per omnes illas vias et modos habiles et cum omnibus illis dulcibus et utilibus verbis et rationibus, que vobis fuerint possibiles ad tenendum modum, quod per dominum comitem Cilie dicantur et aperiantur vobis vie et modi possendi dare bonum principium ad praticam et ad tractatum concordii, dicendo, quod ipse, qui est coniunctus stricta parentela cum domino rege, debet audivisse a dicto domino rege et esse informatus de causis differentiarum, propter quas dominus rex tenet se gravatum contra nostrum dominium, et de quibus conqueritur, et sciendo illas et causas ipsarum, debet multum bene scire, cum quibus modis iustis et rationabilibus posset amoveri et placari animus et cor domini regis, quando vellemus pro ipsis differentiis facere et convenire ad res honestas; ita quod rationabiliter remaneremus in bona amicitia et benivolentia cum maiestate sua. Sperando igitur nos, quod ipse dominus comes Cilie velit et possit esse causa tanti quieti et universalis boni totius Italie, rogamus excellentiam suam, quatenus velit apponere spiritus suos ac virtutem et providentiam suam ad hoc, nam bene scimus, quod poterit omnia facere cum domino rege genero suo, ita quod cognoscemus hoc processisse ex notabili et bona sua interpositione. Et cum his et aliis verbis et rationibus procuretis obtinere nostram intentionem, quod detur introitus bonus pratice et tractatui. Isto principio dato, leviter sequetur ad ulteriora. Possendo in isto casu facere illas cautas promissiones pecuniarum et quomodo et quantus vobis videbitur usque ad summam ducatorum vigintimilium pro dando illis personis post conclusionem tractatus, que vobis videbuntur proficere et esse causam inducendi dominum regem et inclinandi ad praticam et tractatum pacis per vias rationabiles et honestas, et pro illa quantitate pecuniarum, que foret conveniens pro omnibus differentiis, quas habemus insimul, ut inferius dicetur.

Et quia essemus contenti, quod tractatus predictus fieret in partibus Cilie pro honore nostri dominii et pro medio loco, partibus et magis comodo; si hoc poterit sequi, placebit nobis multum; sed si pur dominus comes vellet, ut iretis ad partes Hungarie et ad conspectum domini regis pro meliori executione rei, sumus contenti, quod eatis, comprehendendo vos, quod dominus rex sit contentus inclinare ad pacem et ad conveniendum nobiscum in illis rebus, que fuerint iuste et rationabiles. Et euntibus vobis, cum fueritis ad ipsum dominum regem, presentatis sibi litteris credentie ac facta debita reverentia et devota salutatione, debeatis exponere illa verba, que continentur in capitulo commissionis ser sancti Venerio consiliarii circa hoc capitulum.

Et si, ut dictum est, poteritis trahere et sentire de modis et viis predictis, ita quod per dominum comitem Cilie vel per alios interpositores declarabitur et aperietur vobis mens domini regis circa partes predictas, poteritis cum dei gratia intrare ad praticam, ut dicetur inferius.

Si autem non possetis tenere modum de trahendo ab ipso domino comite nec declarari ab aliis, ut est dictum, quia vellent, ut declare ret

vos et aperiretis in aliquo mentem nostri dominii, poteritis pro favore iurium nostrorum, de quibus estis plene informati, dicere, quod si adversa pars vult bene considerare differentias nostras, cognoscetur, quod a parte nostra non est secuta res, de qua dominus rex posset iuste gravari; et si ponderat et examinet in archano sapientie sue modos honestos et deo et mundo, quos servavimus tam in emptione Dalmatie, que est principalis differentia, sicut dominus rex tenet, quam in omnibus aliis, non haberet tam molestum nec deberet habere, quod ipsa Dalmatia pervenisset ad manus nostras modo emptionis predicto, sed tanquam sapientissimus princeps debet considerare, quod id non fecimus pro inferendo causam displicentie et odii, imo credidimus auferre ex animo suo omnem passionem, quam habuisset propter extraxisse terras Dalmatie de manibus inimici sui, propter quas non sine rancore vivebat ob vicinantiam inimicam ipsarum terrarum, et nos tanquam coactos oportuit emere ipsas terras, nam quotidie committebantur derobationes, damna et piratica contra nostrates, ita quod ipse terre erant reductus piratarum in maximum damnum, dedecus et verecundiam nostram. Similiter possemus dicere et iustificare iura nostra cum multis rationibus, de quibus estis plenissime informati, et de beneficiis insuper, que fecimus in honorem et comodum serenitatis sue et corone Hungarie, et que possemus facere in futurum, que poteritis prudentissime sustinere. Idcirco velit ipse dominus rex ponere se ad iusta et rationabilia, quoniam et nos se ponemus ad rationabilia et honesta, ut possit tractari et componi insimul bona pax atque concordia. Et sic volumus, quod studeatis trahere ab illis, qui erunt pro adversa parte, sive ab interpositoribus sentire, si mens et intentio domini regis est nobiscum convenire pro omnibus differentiis, quas simul habemus, per vias honestas et pro illa quantitate pecunie, que sit iusta et rationabilis; specificando vobis pro declaratione vestra omnes differentias videlicet pro terris Dalmatie ac locis, quas et que tenemus et possidemus ad presens, et pro Tragurio et Sibenico, videlicet a Tragurio citra inclusive et Sibenico et aliis terris, quas tenemus, et pro facto VII mille ducatorum ac pro facto civitatum et terrarum imperii, et pro terris et locis, quas et que amisimus, et que nobis occupantur, et aliis differentiis, quas insimul haberemus.

Et si videbitis et comprehendetis, dominum regem sive deputatos ab eo contentari et velle inclinare ad pacem et convenire nobiscum pro omnibus predictis per quantitatem pecunie, sumus contenti in nomine omnipotentis dei et in bona gratia, quod intretis praticam, et veniatis ad effectus pratice et tractatus in hunc modum, videlicet: quod pro omnibus terris et locis Dalmatie, quas et que tenemus et possidemus ad presens in Dalmatia, et pro Tragurio et Sibenico, que dentur in manibus nostris, licet speremus illud Sibinicum habuisse antequam deveniretis ad conclusionem, et quod teneamus et possidamus ipsas terras et loca a Tragurio inclusive citra usque Venetias cum omnibus insulis, iurisdictionibus et pertinentiis pacifice et quiete, et pro absolutione VII mille ducatorum tam pro preterito quam pro futuro tempore et quietatione de non essendo obligatos aliqua causa, ac pro restitutione terrarum et locorum amissorum et nobis occupatorum eo tempore, quo fiet

concordium, et pro confirmatione civitatum et terrarum imperii, quas tenemus a parte terre, et sumus contenti, quod possitis promittere ad partem ad partem usque ad summam ducatorum CCC mille in quampluribus et longioribus terminis fieri poterit; et si in pratica et tractatu comprehendissetis clare, quod intentio regalis pretenderet omnino ad solutionem VII mille ducatorum, ita quod non possetis suprascripto modo obtinere, habeatis bonam advertentiam in hoc, quia non consonaret, quod foret promissa tanta summa CCC mille ducatorum, et postea defalcare C mille et promittere CC mille. Idcirco si non contentabitur modo predicto, et vellet VII mille ducatos, possitis promittere ipsa VII millia ducatorum pro futuro tempore tantum pro recognitione terrarum Dalmatie, existentibus nobis quietatis de qualibet obligatione, et ducati CC mille tantum pro omnibus differentiis suprascriptis.

Et si poteritis modis predictis, in bona gratia concludatis, et exequamini ad conclusiones et ad ea, que requiruntur in conclusione cum promissionibus, instrumentis, obligationibus, quietationibus et aliis necessariis et opportunis, sicut prudentiis vestris videbitur pertinere.

Si vero licet adversa pars contentaretur per quantitatem pecunie conveniri, et fecisset suam peticionem denariorum in tali quantitate, ut faciet et vos fecissetis promissionem ad illam summam, de qua habetis libertatem, et non possendo vos promittere plus, nec adversa pars vellet condescendere ad illam, ita quod aliqua differentia pecuniarum foret, debeatis in isto casu propter libertatem, quam non haberetis, subito nobis scribere omnia particulariter et distincte, et expectare nostrum mandatum, nam prestissime vobis scriberemus nostram finalem intentionem.

Si autem sequeretur oppositum eius, quod est dictum superius, videlicet quod comprehenderetis et videretis, dominum regem sive deputandos ab eo non inclinare nec inclinare velle nec velle convenire nobiscum seu concordari de omnibus suprascriptis differentiis per quantitatem pecunie, sed velle, sicut alias petiit, terras Dalmatie sibi debere dari et VII mille ducatos, et similiter vellet terras imperio spectantes, et non condescendere vellet ad compositionem per viam pecuniarum; aut quod sic et vellet convenire per viam pecuniarum, sed faceret petitionem pecuniarum nimis excessivas et extra modum, tunc in quolibet istorum duorum modorum et casuum volumus, quod eatis ad alium tercium modum finalis intencionis, videlicet: quod si in praticis et tractatibus predictis dictum fuerit per adversam partem aliquod verbum, per quod videretis placere sibi de stando iuri, et quod differentie predicte cognoscerentur de iure, sumus contenti in quolibet dictorum casuum, quod dicatis, qualiter in pratica facta tetigerunt, quod essent contenti stare iuri pro differentiis existentibus inter partes. Et est verum, quod per tempora preterita si diximus de volendo devenire ad pacem per viam concordii, fecimus pro veniendo cicius ad effectum pacis et pro maiori quiete et amore partium, quoniam via comunis concordii est magis inductiva et conservativa amoris et pacis, et propterea si dominus rex est contentus nunc stare iuri, et quod differentie pro factis Dalmatie cognoscantur de iure, nos, qui nolumus fugere ea, que sint de iure, et id, quod sit conveniens atque iustum, ut cognoscatur mundo

per omnes, quod non deficiat pro nobis quolibet modo honesto et convenienti venire ad compositionem pacis, erimus contenti, quod dicte differentie cognoscantur de iure.

Si autem nulla mentio vobis fieret de stando iuri, sumus contenti, quod dicatis a vobis intrando ad propositum, quod scimus, alias dominum regem dixisse seu fecisse proponi per suos ambasciatares, quod erat in bono iure, et quod esset contentus stari iuri; idcirco debeatis proponere et sentire, si dominus rex esset contentus modo predicto, quia etiam nos erimus contenti.

Et dicentibus domino rege sive deputandis ab eo, quod sit contentus de stando iuri per modum predictum, volumus, quod subiungatis, qualiter remanemus contenti ut est dictum, sed quod requiritur in tali casu, quod per partes fiant sufferentie, et quod fiat certa treugua usque ad aliquod tempus, quia aliter fieri non posset, et sic semper consuetum est servari, tenentibus partibus ea, que tenent, et removentibus se a molestiis et damnis, quousque cognitum et determinatam fuerit de iure id, quod fuerit iuridicum et debitum equitatis.

Et si in praticis predictis et tractatibus videretur vobis aliquid proponendum aut postponendum pro bono et utili agendorum nostrorum, hoc sit in libertate vestra disponendi in hoc, secundum quod vobis melius et utilius apparebit pro bono et avantagio agendorum.

Poni debeant etiam alia capitula generalia, que notata sunt in commissione sapientum, videlicet de recommendatis, de domino Tristano, de promissione pecunie illis, qui se exercerent pro votiva executione et aliis ibi notatis et lectis De parte 27, 29; de non 3; non sinceri 3, 6.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 76. et seq. u mlet arkivu.

God. 1412. 1. studenoga.

Sigmund ugar.-hrv. kralj potvrdjuje Nikoli knezu krčkomu otok Krk.

Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Ungarie, Dalmatie Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, marchio Brandenburgensis nec non Bohemie et Lucemburgensis heres, universis et singulis christi fidelibus presentibus et futuris, presentium notitiam habituris salutem in salutis largitore. Ne transeant in tempore, que in tempore aguntur, providentia adinvenerit humana, ut rerum gestarum series sub litterarum offitio perpetue memorie commendetur. Proinde ad universorum tam presentium quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod magnificus vir dominus Nicolaus comes Vegle, Segne, Modrusie etc. ad nostre maiestatis presentiam veniens, nobis porrexit privilegiales patentes litteras predecessorum nostrorum regum illustrium Ungarie progenitorum nostrorum, supplicans ex inde nostre celsitudini humiliter et devote, ut eas litteras regales iuraque sua ac omnia in ipsis continentia sibi heredibusque suis heredumque suorum approbare, ratificare et nostro dignaremur patenti regalique privilegio confirmare. Ideo nos ultra benevolentiam nostram regiam, quam sibi pro suis meritis grata libertate gessimus, visis, auditis et diligenter intellectis iuribns suis, inclinatique iustis requisitionibus suis, attendentique fidelitates et servitiorum merita gratiosa per eum nostro culmini exhi-

bita, insulam suam Veglem, civitatem, castra, villas, nemora, portus maritimos, salinas, scopulos vocatos videlicet Pervich, Plavfnich, et Almiscum, illorum pertinentias, iuraque patronatus ecclesiarum nostra autoritate regia perpetuo ipsi magnifico viro comiti Nicolao predicto suisque heredibus ac heredum successoribus approbamus, ratificamus ac relinquimus pacifice possidere, habere et tenere pleno iure et cum omni integritate, in cuius rei memoriam presentes concessimus litteras has nostras privilegiales authentici sigilli nostri duplicis, quo videlicet ut rex Ungarie utimur, munimine roboratas.

Date per manus reverendi in christo patris domini Eborardi episcopi Zagrabiensis aule nostre maiestatis summi cancellarii, fidelis nostri grati et dilecti, anno MCCCCXII calendis novembris, regnorum autem nostrorum anno Ungarie etc. XXVI. Romanorum vero III.

Vincentius Rognolus publicus venetus notarius hec tria suprascripta privilegia aliena manu cum autenticis auscultata et accordare inventa ex libro cartarum 66 cartono cohoperto in quarto existente penes spectabilem dominum Faustinum Moisesum foro Juliensi et ad eius instantiam exemplari fecit, et in fidem et robur subscripsit et signavit in fidem.

*Cod. 13771. * (Suppl. 2528) u dvorskoj knjižnici u Beču.*

God. 1412. 3. studenoga, u Mletcih.

Izabran providur za Šibenik.

1412. die 3. novembris. Capta in consilio C. Cum pridie captum fuit in hoc consilio propter adeptionem civitatis Sibinici, quatenus viro nobili ser Zacharie Trivisano militi, cuius presentia multum prodesset, debere scribi et mandari, quod deberet ire simul cum nobili viro ser Leonardo Mocenigo capitaneo nostro culfi ad accipiendum tenutam et possessionem terre predicte, et quod ibi remanere deberet per duos menses pro hortamine illorum fidelium nostrorum ac pro conservatione et securitate illius terre, nam dinterim data notitia nobis de obtentione et tenuta, subito provideremus de uno rectore illuc mittendo; et aliquantulum sit dubium, si ser Zacharias reperietur per galeotam in Jadra sive in viagio; considerandumque sit, quantum in hoc principio necessarium est, ut nostri nobiles sint ad regimen illius civitatis Sibinici pro regulando facta deinde, nam dato bene principio habebitur forte modus et via prosequendi ad felitiora de factis Tragurii et aliorum locorum; vadit pars, quia capitaneus noster culfi iam scripsit, obtinuisse dominium terre predicte, quod per scruptinium in hoc consilio eligi debeat unus noster provisor, qui possit accipi de omni loco et officio et de iudicatu peticionum; respondeat hodie vel cras ad tercias, et non possit refutare sub pena ducatorum ducentorum. Et si refutaverit pro eundo extra, teneatur transire alpes seu Quarnarium, et stare duobus mensibus ultra. Recedere debeat ad beneplacitum dominii, et vadat Sibinicum ad dictam provisoriam, ubi esse debet cum nobili viro ser Zacharia Trivisano, si ibidem fuerit, silicet ubi ser Zacharias est electus per duos menses, sit ipse provisor eligendus per menses quatuor, habendo de salario in mense ducatos octuaginta, et tenendo famulos quatuor et sotium unum ac cancel-

larium unum cum salario et expensis secundum quod concordabitur. Et sint ad regendum, gubernandum et exercendum simul omnia, que cedant ad honorem nostri dominii et bonum regimen illius terre, fidelium et subditorum nostrorum deinde, adherendo continentie capitulorum noviter concessorum comunitati Sibinici, ac ad bonam et vigilem custodiam civitatis predicte, quousque aliud duxerimus ordinandum. Verum si in receptione huius nostri mandati iam recessisset de Jadra ser Zacharias Trivisano predictus cum familia sua venturus Venetias, sit in libertate et beneplacito suo sequendi viagium suum Venetias. Si autem non recessisset de Jadra in receptione huius nostri mandati cum familia sua, debeat sequi formam et continentiam mandati et partis suprascripte, in quantum ad eum spectat. De parte 61, non 8, non sinceri 1.

Electus provisor ser Sanctus Venerio quondam ser Andree.

Secreta consilii rogatorum V. u mlat. arkivu.

God. 1412. 7. studenoga u Mletcih.

Buduć se izabrani načelnik Šibenika zahvalio, izabran je drugi mjesto njega.

1412. die VII novembris. Capta in consilio C. Quod loco nobilis viri ser Sancti Venerio, qui refutavit provisor Sibinici eligatur unus alius cum illis modis, salario, pena et omnibus conditionibus, cum quibus fuit electus dictus ser Sanctus, salvo quod ubi habebat nomen provisoris, habeat nomen rectoris et gubernatoris, ut comunitas nostra Sibinici, que obligatur nostro dominio vigore pactorum suorum dare pro salario rectoris ducatos VII. centum in anno, illos contribuat, quia si esset solum provisor, videretur, quod nostrum dominium solvere teneretur totam expensam, et existente rectore et provisore, ipsa comunitas tenebitur dare et contribuere illos ducatos VII. centum pro salario suo Et sit dictus rector et gubernator nunc et imposterum eligendus ad conditionem XII. regiminum. De parte omnes alii, de non 0, non sinceri 2. Electus rector et gubernator Sibinici ser Petrus Zacharia maior.

Secreta consilii rogatorum V, u mlet. arkivu.

God. 1412. 21. studenoga, u Mletcih.

Izpravlja se povelja izručena Šibenčanom.

1412. die XXI. novembris. In Centum. Capta. Quia videtur esse certa lictera in privilegio concesso comunitati nostre Sibinici ex eo, quod ubi petebant posse facere domos XXV. de suo consilio, videtur, quod privilegium loquatur solum de XX. quod processit erore, et ubi petabant, quod rector noster cum iudicibus suis, non exprimendo numerum, faceret regimen etc. in responsione nostra dicitur de tribus iudicibus, et illi habere consueverunt quatuor iudices, vadit pars, quod dictum privilegium reformetur in illis partibus duabus, videlicet quod dicat de domibus XXV. fiendis de suo consilio et de iudicibus quatuor, ubi dicit de XX. domibus et tribus iudicibus, sicut consulunt capitaneus culfi et ser Zacharias Trivisano miles rector Sibenici, licet iam ellecti sint dicti quatuor iudices et XXV. domus de suo consilio, que ellectio ex nunc debeat confirmari. De parte 82, de non 1, non sinceri 1.

Secreta cons. rog. V. u mlet. arkivu.

God. 1412. 22. studenoga, u Mletcih.

Riešeno, da se ugovara mir sa poslanici vojvode Sandalja kao sa Balšinimi zastupatelji.

1412. indictione VI. 22. novembris. Capta in rogatis. Cum ambassiatores domini Sandali, qui dixerant et exposuerant nostro dominio habere plenariam libertatem a suo domino, et quod de omni eo, quod concluderent, Balsa esset contentus, et quod dominus Sandali teneret modum, quod Balsa observaret et teneret firmum et ratum, quod captum foret, ut deberet dici et responderi, quod quando Balsa mitteret ambassiatores suos ad nostram presentiam cum libertate ad planum, illo tunc possemus tractare et concludere id, quod foret bonum pro partibus etc. Et facta responsione ambassiatoribus Sandali, dicant, quod id, quod petunt et dicunt, petunt pro parte Sandali cum scitu et voluntate tamen Balse, qui Balsa iam dixit pluries misisse ad nos ambassiatores, et nihil potuisse concludi, et quod mater ipsius Balse nec ipse Balsa vult plus mittere ambassiatam suam ad nos ullo modo, et quod dominus Sandali dicit velle promittere nomine Balse, quod observabit promissiones. aliter erit eius inimicus capitalis, et cum aliis similibus verbis, propter que bonum est et facit pro nostro dominio non stare in istis terminis, imo querere concordium et quietem pro pacifico statu aliarum nostrarum terrarum et locorum partium Albanie, et antequam aliud occurrat de novo de ipsis locis; vadit pars, quod debeat praticari et tractari per collegium sive per deputandos ab ipso cum ambaxiatoribus Sandali, legitimando excusationes nostras, quibus moti sumus ad faciendum sibi responsionem pridie datam cum illis sapientibus verbis et rationibus, que videbuntur deputatis ad hoc, et recordando modos servatos alias per Balsam, ob quos non possumus ita bene capere confidentiam; sed tamen ob intuitum et considerationem magnifici domini Sandali condescendimus et contentamur ad praticam et tractatum, tenentes a firmo, quod ipse dominus Sandali, qui est civis et nobilis noster, et quem habemus in singularem amicum et benevolum nostri dominii, faciet observare promissiones, si ad aliquam conclusionem devenimus. Et ex eo habeat colegium libertatem possendi concludere cum modis et conditionibus notatis in parte pridie posita ad consilium per sapientem consilii et sapientes ordinum, in qua continetur, quod possit fieri promissio de illis duabus terris, videlicet Dulcigni et Budve et de provisione ducatorum mille in anno, que provisio fieri possit ultimate, quando aliter fieri non possit, devento ad ultimum, quando aliter fieri non poterit, cum illis contentis in parte pridie posita, de qua supra fit mentio. Bene debeat in pratica et conclusione, que fiet, teneri modus et haberi promissionem, quod illi subditi et habitatores locorum, que sibi dabuntur et alienabuntur, tractabuntur dulciter et benigne ac humane, et nulla fiet molestia nec novitas occasione fidelitatis et temporis, quo steterunt sub protectione nostra, et guerrarum secutarum hoc tempore.

Secreta cons. rog. V. 85, u mlet. arkivu.

God. 1412. 26. studenoga, u Mletcih.

Ugovor mira medju Balšom i Mletčani.

1412. indictione VI., 26. novembris. Pax cum magnifico domino Balsa Stracimiri. MCCCCXII. indictione VI. die XXVI. novembris in forma litere misse magnifico domino Sandalio mediatori predicte pacis.

Michael Steno dei gratia dux Ventiarum etc. magnifico et potenti domino Sandalio magno vaivode Bosne, amico dilecto, salutem et sincere dilectionis affectum. Ex eo potissime rerum omnium creatori iugi devotionem teneri nos arbitramur, quod quasi patrimonium nobis a progenitoribus nostris relictum, affectionem pacis et concordie quodam innato desiderio possederimus, et illas totis conatibus semper fuerimus amplexati. Hinc est, quod cum vestra magnificentia, mota pie caritatis affectione et pacis amenitate, qua nil suavius aut iocundius inter mortales haberi potest, miserit ad presentiam nostram spectabilem virum dominum Grubacium Debreavig honorabilem suum ambassiatorem pro tractando et concludendo et veram pacem atque concordiam inter nos et nostrum comune ex una parte et magnificum et potentem dominum Balsam Stracimiri quondam domini Georgi Stracimir de Balsis etc. dominum Zente ex alia, cum inter partes ipsas guerrarum disturbia et dissidiorum vigeretur, pro quibus sedandis et removendis magnitudo vestra studiose et laudabiliter interposuit vices suas, nos qui, ut supra diximus, pacem et concordiam quasi nobis hereditariam affectamus, et ad eas semper cum quibuscunque christi fidelibus totis spiritibus hanelamus, moti etiam requisitionibus vestre magnitudinis, cui optamus facere aliquam notabilem et egregiam complacentiam, et volentes in hoc specialiter eidem vestre magnificentie complacere, contenti sumus ac placet nobis cum supra dicto magnifico domino Balsa puram, veram, sinceram et favente deo perpetuo duraturam pacem atque concordiam introire atque concludere ac firmare, remissis eidem omnibus iniuriis, offensionibus, damnis atque molestiis dominio nostro per eum factis. Et ex nunc ad instantiam et requisitionem magnitudinis vestre ipsam pacem et concordiam cum dicto domino Balsa introimus atque firmamus, cum istis tamen conditionibus atque modis, qui in dispositione magnificentie vestre dimittimus, quod pro stabilimento et firmitate predicte pacis possitis nomine nostro ac successorum nostrorum dare ipsi domino Balse pro se et heredibus eius Dulcignum et Buduam cum omnibus et singulis eorum iuribus, pertinentiis, districtibus et confiniis; et insuper promittere nomine nostro et successorum nostrorum mille ducatos auri pro ipso domino Balsa et heredibus suis, solvendos eisdem singulo anno de introitibus locorum nostrorum, que habemus in illis partibus, cum illis modis, conditionibus et formis, cum quibus eos solvebamus olim magnifico domino Georgio patri suo. Et quod omnia alia loca, que vendita fuerunt et data dominio nostro per eundem dominum Georgium eius patrem, debeant nobis expedite et sine ulla contradictione vel molestia libere cum omnibus eorum iuribus, districtibus, pertinentiis et confiniis in perpetuum remanere, damusque magnitudini vestre tenore presentium libertatem plenariam et arbitrium disponendi et faciendi de predictis locis Dulcigni et Budue ac pertinentiis suis et de promissione mille duca-

torum suprascriptorum cum supradicto domino Balsa, prout eidem magnitudini vestre videbitur et placebit. Nam suprascriptus dominus Grubacius ambasciator vester vigore libertatis per vestras literas sibi tradite per patentes literas bulla vestra bullatas nomine magnitudinis vestre promisit nostro dominio, quod eadem vestra magnificentia faciet cum effectu, quod idem dominus Balsa litteris suis patentibus bullatis bulla sua et factis solemniter suprascriptam pacem ratificabit, omologabit et approbabit ac inviolabiliter observabit, nec eam infringet aliqua causa vel eventu. Item quod omnes gentes suas armigeras subito removebit ab infestatione et damnificatione locorum et subditorum nostrorum, et alia loca nostra et subditos non molestabit nec molestari faciet aut permittet per suos subditos aut fideles aliquo ingenio, causa vel colore, neque de locis nostris aut ipsorum aliquo se intromittet in futurum vel impediet ullo modo. Item quod cives et subditos predictorum locorum Dulcigni et Budue ac eorum districtuales tractabit humaniter et benigne, nec aliqua per eos facta contra suam magnitudinem imputabit eisdem, nec ullam molestiam eis inferret dicta causa, sed omnia mandabit oblivioni non aliter, quam si contra eum nunquam aliquid comisissent, tam subditos et fideles nostros quam suos in statum pristinum ac terminos totaliter reducendo. Si autem contingeretur, quod idem magnificus dominus Balsa in aliquo pactorum ullo unquam tempore contrafaceret vel veniret aliquo modo ingenio, colore vel causa, tunc idem dominus Balsa teneatur restituere dominio nostro predicta loca Dulcigni et Budue cum omnibus eorum pertinentiis, iuribus, districtibus et confiniis integra et illesa; quod si nollet illa reddere nostro dominio, tunc et in eo casu eadem vestra magnificentia teneatur etiam nobiscum et dare nostro dominio suprascripto auxilium et favorem opportunum pro compellendo dictum dominum Balsam ad restituendum eidem nostro dominio dicta loca, ut dictum est. Et insuper, quod ex tunc liberati simus et absoluti nos et successores nostri a dando eidem domino Balsa et heredibus suis sepe dictos mille ducatos singulis annis, ut supra diximus. Promittimus enim tenore presentium, quod cum predicte litere ratificationis et approbationis suprascriptorum ipsius magnifici domini Balse pervenerint ad manus rectorum nostrorum, qui sunt in locis predicti Dulcigni et Budue, vel capitanei nostri Scutari, idem rectores dictorum locorum vel capitaneus Scutari ad placitum et requisitionem vestre magnificentie prenominato domino Balse vel cuicumque legitimo suo nuntio, habenti super inde ab eo arbitrium et libertatem recipiendi et acceptandi eadem loca Dulcigni et Budue cum eorum districtibus et pertinentiis, libere consignabuntur; et similiter disponemus et ordinabimus cum effectu, quod supra scripti mille ducati eidem domino Balse et eius heredibus per nos et successores nostros cum illis conditionibus, modis et formis, quibus prelibato genitori suo solvebantur, anuatim persolventur. Remansimus enim supra predictis concordes cum prenotato domino Grubacio ambasciatore vestre magnificentie, qui ex nunc vigore libertatis per vestras literas ei tradite promisit nostro dominio vestro nomine pre dicta omnia se facturum et effectualiter curaturum. In quorum fidem et evidentiam pleniorem presentes literas fieri iussimus, et bulle nostre plumbee pendentis munimine roborari. Date in nostro ducali palatio die

vigesimo sexto mensis novembris, indictione VI, millesimo quadringentesimo duodecimo. Predicta pax in forma litere, que remansit apud serenissimum ducale dominium cum bulla sua plumbea et bulla aurea ipsius domini Sandalis pendentibus.

Commemoralium X. 132, u mlet. arkivu.

God. 1412. 26. studenoga, u Mletcih.

Mletačka vlada javlja, da je sklopila mir sa Balšom, i pod kojimi uvieti.

Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam presentibus quam futuris, ad quos presentes advenerint, salutem et sincere dilectionis affectum. Tenore presentium vobis facimus manifestum, quod cum magnificius et potens dominus Sandalius, magnus voivoda Bosine, motus pia caritatis affectione ac pacis dulcedine, qua nihil suavius inter mundana gustari potest, misisset ad presentiam nostram spectabilem virum dominum Grubacium Dobreavig honorabilem suum ambasciatorem ad tractandum et concludendum veram pacem atque concordiam inter nos et nostrum comune ex una parte et magnificum et potentem dominum Balsam Stracimiri quondam domini Georgi Stracimiri de Balsis dominum Zente etc. ex alia, cum inter ipsas partes guerrarum disturbia et dissidiorum vigerent, pro quibus sedandis et removendis idem magnificus dominus Sandalius studiose et laudabiliter interposuit vices suas. Nos, qui pacem et concordiam semper cum omnibus affectavimus, et semper affectamus, et ad eas semper totis spiritibus hanelamus, moti etiam requisitionibus et instantia ipsius magnifici domini Sandalii, et volentes in hoc ei specialiter complacere, contenti fuimus et placuit nobis ac contentamus et nobis placet cum suprascripto magnifico domino Balsa puram, veram, sinceram et favente deo perpetuo duraturam pacem atque concordiam introire, concludere atque firmare, remissis eidem omnibus iniuriis, offensionibus, damnis atque molestiis dominio nostro per eum factis. Et ex nunc ad instantiam et requisitionem eiusdem magnifici domini Sandalii ipsam pacem et concordiam cum dicto domino Balsa introimus atque firmanus cum istis condictionibus atque modis, quod in dispositionem ipsius magnifici domini Sandalii dimittimus, quod pro stabilimento et firmitate predicte pacis possit nomine nostro ac successorum nostrorum dare ipsi domino Balse pro se et heredibus eius Dulcignum et Buduam cum omnibus et singulis eorum iuribus, pertinentiis, districtibus et confiniis. Et insuper promittere nomine nostro et successorum nostrorum mille ducatos auri pro ipso domino Balsa et heredibus suis solvendos eidem singulo anno de introitibus locorum nostrorum, que habemus in illis partibus cum illis modis, condictionibus et formis, cum quibus eos solvebamus olim magnifico domino Georgio patri suo, et quod omnia alia loca, que vendita fuerunt et data dominio nostro per eundem dominum Georgium eius patrem, debeant nobis expedite et sine ulla contradictione et molestia libere cum eorum iuribus, districtibus, pertinentiis et confiniis in perpetuum remanere. Dedimusque predicto magnifico domino Sandalio tenore nostrarum patentium literarum, que suprascripto ambasciatori

sue magnificentie fecimus exiberi, libertatem plenariam et arbitrium disponendi et faciendi de predictis locis Dulcigni et Budue ac pertinentiis suis et de promissione mille ducatorum suprascriptorum cum supradicto domino Balsa, prout eidem magnitudini sue videbitur et placebit. Nam suprascriptus dominus Grubacius ambasciator predicti domini Sandalii vigore libertatis per literas prelibati sui domini sibi tradite per has patentes litteras, quas ipse ambasciator sigillo ipsius domini Sandali, quod secum habebat, in fidem, robur et testimonium supra et infra scriptorum impressit, munivit et roboravit nomine dicti domini sui, promisit nostro dominio, quod idem dominus Sandalius eius dominus faciet cum effectu, quod sepe dictus dominus Balsa literis suis patentibus bullis eius bullatis et factis solemniter suprascriptam pacem ratificabit, omologabit et approbabit et inviolabiliter observabit, nec eam infringet aliqua causa vel eventu. Item quod omnes gentes suas armigeras subito removebit ab infestatione et damnificatione locorum et subditorum nostrorum, et aliqua loca nostra et subditos non molestabit nec molestare faciet aut permittet per suos subditos aut fideles aliquo ingenio, causa vel colore. Neque de locis nostris aut ipsorum aliquo se intromittet in futurum vel impediet ullo modo. Item quod cives et subditos predictorum locorum Dulcigni et Budue ac eorum districtuales tractabit humaniter et benigne, nec aliqua per eos facta contra suam magnitudinem imputabit eisdem, nec aliquam molestiam eis inferret dicta de causa, sed omnia mandabit oblivioni non aliter quam contra eum nunquam aliquid commisisset; tam subditos et fideles nostros quam suos in statum pristinum ac terminos totaliter reducendo. Si autem contingeret, quod idem magnificus dominus Balsa in aliquo pactorum ullo unquam tempore contrafaceret vel veniret aliquo modo, ingenio, colore vel causa, tunc idem Balsa teneatur restituere dominio nostro predicta loca Dulcigni et Budue cum omnibus eorum pertinentiis, iuribus, districtibus et confiniis integra et illesa. Quod si nollet illa reddere nostro dominio, tunc et in eo casu dominus Sandalius suprascriptus teneatur esse nobiscum, et dare nostro dominio suprascripto auxilium et favorem opportunum pro compellendo dictum dominum Balsam ad restituendum eidem nostro dominio dicta loca, ut dictum est. Et insuper quod ex tunc liberati simus et absoluti nos et successeres nostri a dando eidem domino Balse et heredibus suis sepe dictos mille ducatos singulis annis, ut supra diximus. Promittimus enim tenore litterarum nostrarum suprascriptarum, et ita promittimus per presentes, quod cum predicte litere ratificationis et approbationis suprascriptorum ipsius magnifici domini Balse pervenerint ad manus rectorum nostrorum, qui sunt in locis predictis Dulcigni et Budue vel capitanei nostri Scutari, ipsi nostri rectores dictorum locorum vel capitaneus noster Scutari ad beneplacitum et requisitionem ipsius magnifici domini Sandali prenominato domino Balse vel cuicumque legitimo suo nuntio, habenti super inde arbitrium et libertatem ab ipso recipiendi et acceptandi, eadem loca Dulcigni et Budue cum eorum districtibus et pertinentiis libere consignabuntur. Et similiter disponemus et ordinabimus cum effectu, quod supra scripti mille ducati eidem domino Balse et eius heredibus per nos et successores nostros cum illis conditionibus, modis et formis, quibus prelibato domino

Georgio Stracimiri genitori suo solvebantur, annuatim persolventur. Remansimus enim super predictis concordes cum prenotato domino Grubacio ambasciatore domini Sandalii, qui ex nunc vigore libertatis per literas magnifici eius domini sibi tradite promisit nostro dominio nomine sui domini sepe dicti predicta omnia se facturum, et effectualiter curaturum. In quorum fidem et evidentiam pleniorem has nostras patentes literas bulla nostra plumbea pendente bullatas antedictus dominus Grubacius impressione suprascripti sigilli magnifici domini Sandali sepe dicti, quod penes se habebat, ad cautelam munivit et roboravit, ex nunc nomine prenotati domini sui ratificans, approbans et confirmans promissiones supra factas nomine sui magnifici domini prelibati. Data in nostro ducali palatio die XXVI novembris, indictione VI, millesimo quadringentesimo duodecimo.

Commemorialium X. 133, u mlet. arkivu.

God. 1412. 28. studenoga, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju poslaniku napuljskoga kralja, da su pripravni stupiti s njim u savez proti kralju Sigmundu.

1412. die 28. novembris. Ser Andreas Contareno, ser Sanctus Venerio consiliarii; ser Antonius Mauro procurator, ser Marinus Karavello procurator, ser Rossus Marino sapientes consilii; ser Franciscus de Bernardo, ser Bernabos Lauredano, ser Bertucius Pisani sapientes guerre. Capta in consilio de centum. Cum diebus elapsis egregius vir judex Pandellus ambasiator serenissimi domini regis Ladizlai nobis fecerit responsionem super his, que alias fecimus dici et responderi dicto domino regi de intentione nostra ad ligam particularem contra dominum regem Sigismondum et non ad generalem, responderit videlicet, quod in effectu talis liga particularis non faceret pro statu ipsius domini sui domini regis, sed quod bonum et utilis res foret, quod ad defensionem statuum cuiuslibet partium attenderetur et fieret liga generalis, sicut sapienter exposuit, et super hoc requirat responsionem habere a nostro dominio, quod responsum habito respectu ad nova, que habemus de perseverancia, duricie et obstinatione domini regis Sigismondi non inclinandi ad pacem, quam tot honestis viis, ut deo et mundo patet, quesivimus, ita quod nobis licet vigilare ad omnem fructuosum remedium; vadit pars, quod dicto ambassiatori fiat responsio in hac forma: quod si non dedimus responsionem sue nobilitati diebus elapsis, magis presto id processit ex multis occupationibus et etiam bona causa et respectu, ita quod prudentia sua debet nos habere merito excusatos. Nunc autem illam sibi damus; et primitus, quia ipse ambasiator dixit nobis, serenissimum dominum suum dominum regem habere optimam dispositionem et voluntatem erga nostrum dominum ac ad honorem et conservationem status nostri, dicimus et declaramus, quod versa vice eamdem dispositionem et perfectum animum et voluntatem habuimus continue, habemus et intendimus habere erga regiam maiestatem suam, et hoc deo et mundo volumus esse clarum, nam semper affectu sincero dileximus serenissimam maiestatem suam regiam, et semper de quolibet honore ac de

omni prosperitate sua fuimus participes in corde nostro, et optamus ipsum honorem suum tanquam proprium nostrum; et ideo suprascriptis occasionibus et pro recordando regie maiestati sue de aliis, que poterunt esse et redundare ad augumentum honoris, exaltationem status sui regii, providemus velle eligere et mittere honorabilem legationem nostram ad serenitatem suam, per quam significabimus etiam mentem et intentionem nostram; et ideo hortamur ipsum ambasiatorem, ut velit presto scribere et notificare maiestati regie hanc deliberationem nostram et responsionem, quam sibi facimus.

Et ex nunc captum sit, quod eligi debeant duo nostri solemnes ambasiatores ad serenissimum dominum regem Ladizlaum, qui possint accipi de omni loco et officio. Respondeant die, qua fuerint electi vel sequenti ad tercias, et non possint refutare sub pena ducatorum CC; habeant pro hac ambasiata ducatos . . . . pro quolibet, et ducant secum unum notarium cum uno famulo ac tres domicellos, duos ragatios et unam saumam pro quolibet, possendo expendere in omnibus expensis sibi occurentibus ducatos quinque in die non computatis agociis equorum nec nabulis navigiorum, et vadant cum illa commissione, que sibi dabitur per istud consilium. De parte 41, 46, 46, 43, 43, 46, 47, 47, 47, 46, 46, 50; de parte ser Barboni Mauroceno sapientis guerre 11; de non 31, 40, 38, 39, 40, 39, 39, 39, 39, 40, 41, 39; non sinceri 13, 9, 12, 12. 13. 11, 11, 10, 11, 10, 9, 8.

Electi ambasciatores: *ser Barbonus Mauroceno*, refutavit, *ser Andreas Contareno consiliarius*, refutavit, *ser Sanctus Venerio consiliarius*, refutavit, *ser Bernabos Lauredano*, *ser Bertucius Pisani*, refutavit, *ser Marcus Venerio sancti Samuelis*.

Ser Bernabos Mauroceno sapiens guerre. Cum serenissimus dominus rex Ladizlaus iam bono tempore et modo noviter in ultima responsione nobis data parte sua per iudicem Pandellum ambasiatorem suum requisiverit nostrum dominum de liga ad defensionem statuum, circa quam requisitionem dominatio nostra nondum prebuit aures pro videndo, qualiter procederent nostra negotia, et modo sit tempus volendi nos intelligere cum dicto rege Ladizlao, cuius favor et amicitia, sicut expresse cognoscitur, est non tamen utilis sed necessaria factis nostris pro his, que facere habemus cum rege Hungarie; vadit pars, quod debeat responderi dicto iudici Pandello, quod his diebus preteritis intelleximus resposionem, quam nobis fecit pro parte serenissimi domini regis predicti, que fuit in effectu, quod in casu quod dominatio vellet unionem et ligam cum prefato domino suo rege ad defensionem statuum, ipse erat paratus mittere suam ambasiatam Venecias ad nostram presenciam pro tractando huiusmodi ligam etc. Ad que si non dedimus hucusque responsionem, processit propter multas arduas occupationes, que nobis occurrerunt, sicut ipse considerare potest, et propterea habeat nos merito excusatos de ista dilatione; sed quia intencio et dispositio nostra semper fuit conservare et augere fraternam amiciciam et cordialem benevolentiam, que diu fuit inter suam serenitatem et nostrum dominium, et que concedente deo erit in futurum, nos dicimus, quod quandocumque sua maiestas deliberabit mittere et mittet suos ambasiatores super tali materia lige et confederationis pro defensione et conservatione

statuum, nos videbimus illos multum alacriter et libenter, et praticabimus secum de rebus que tam rationabilibus et honestis, quod erit honor et comodum utriusque partis.

Et quoniam ista non poterunt tractari et concludi ita cito, sperantes in prefato domino rege, quem, sicut multis experientiis vidimus, scimus esse promptissimum et perfecte dispositum ad omnia comoda nostra et statui nostro utilia presertim contra regem Hungarie comunem inimicum sue serenitatis et nostrum, cuius descensus in Italia non potest esse nisi damnosus et preiudicialis sue excellentie sicut etiam nostro dominio, ad quod nos sumus dispositi et resistere et obviare toto posse; pro tanto rogamus cordialiter et eo affectuose, qua possumus, suam maiestatem, quatenus pro presenti in his nostris arduis negociis dignetur et velit complacere nostro dominio de lanceis V centum suarum gentium armigerarum et pedites CC, ut cum illis et aliis gentibus, quas habemus, possimus resistere huic comuni inimico et turbare intentionem suam, quia sic faciendo poterunt melius et commodius fieri de rebus, que concernant honorem et comodum ac exaltationem status sui, quem diligimus tanquam proprium, nam parati sumus subito, cum dicte gentes venerint ad hec nostra servitia, facere eis pagam duorum vel trium mensium, ut possint nobis bene servire. De parte 11.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 85 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1412. 29. studenoga, u Mletcih.

Kapetanu Skadarskomu, neka izruči Balši gradove Ulčinj i Budvu, čim isti Balša potvrdi mir.

1412. 29. novembris. Litera missa capitaneo Scutari pro executione ultra scriptorum. Ad instantiam et requisitionem magnifici domini Sandalii magni vaivode Bosine, qui super inde misit nobis suam ambasciatam, devenimus ad pacem et concordiam cum magnifico domino Balsa Stracimiri quondam domini Georgii Stracimiri domino Zente etc. in forma, cuius copiam vobis mittimus in folio his incluso pro informatione vestra plenaria. Et quum, ut ibi videre poteritis, ratificante predicto domino Balsa pacem supra notatam, debetis facere consignari Dulcignum et Buduam cum omnibus iuribus, districtibus et pertinentiis suis predicto domino Balse vel eius nuntio, habenti super inde libertatem et arbitrium eadem acceptandi, cum nostris consiliis rogatorum et additionis vobis scribimus et mandamus, quatenus, cum receperitis literas patentes ipsius domini Balse bulla sua bullatas, per quas ratificet dictam pacem et omnia et singula contenta in ea, debeatis dicta loca Dulcigni et Budue ad omnem requisitionem suprascripti domini Sandalii prenotato domino Balse aut eius legitimo nuntio, ut supra diximus, cum omnibus eorum iuribus, pertinentiis, districtibus, confiniis, libere consignare seu facere per rectores nostros dictorum locorum, quibus superinde scribimus per literas alligatas presentibus, quas eis mittere debeatis, libere consignari. Observando etiam et faciendo predicto domino Balse de solutione annua mille ducatorum et de omnibus aliis in dicta pace contentis, quantum in vobis fuerit inviolabiliter ob-

servari. Mandamus autem vobis, quod, ratificante ipso domino Balsa predictam pacem prius, quam consignetis eidem et faciatis consignari predicta loca, debeatis dextro modo inde trahere omnes munitiones tam victualium quam armorum, cuiuscumque generis sint, et reducere illa Scutari, nam volumus illa pro nostro comuni, ut iustum est etc. Die XXVIII novembris MCCCCXII.

Commemorialium X. c. 133, u mlet. arkivu.

God. 1412. 29. studenoga, u Mletcih.

Knezu ulčinjskomu, neka izruči grad Balši u smislu sklopljena mira.

1412. 29. novembris. Litera missa comiti et capitaneo Dulcigni pro dicta causa. Ad instantiam et requisitionem magnifici domini Sandali magni vaivode Bosine, qui superinde misit nobis suam ambasciatam, devenimus ad pacem et concordiam cum magnifico domino Balsa Stracimiri domino Zente etc. Et cum, ratificante predicto domino Balsa pacem supra notatam, capitaneus noster Scutari debeat facere consegnari Dulcignum et Buduam predicto domino Balse vel legitimo eius nuntio; idcirco tenore presentium fidelitati vestre cum nostris consiliis rogatorum et additionis scribimus et mandamus, quod ad requisitionem capitanei nostri Scutari supradicti, cui dedimus oportunum ordinem super inde, consignare debeatis suprascripto domino Balse aut legitimo eius nuntio locum Dulcigni vobis commissum cum omnibus suis districtibus, pertinentiis et confiniis, quum sic in dicta pace conventum est. Mandamus autem vobis, quod ratificante predicto domino Balsa pacem supra notatam, prius quam consignetis eidem predictum locum Dulcigni, debeatis dextro modo inde trahere omnes munitiones tam victualium quam armorum, cuiuscumque generis sint, et illa Scutari mittere, nam volumus illa pro nostro comuni, ut iustum est. Data ut supra.

Similis in vulgari Bernardo Jordano castellano Budue mutatis mutandis.

Commemorialium X. 133, u mlet. arkivu.

God. 1412. 29. studenoga, u Mletcih.

Mletčani pišu Sandalju, da će mu povratiti poklad od 6000 duk. do četiri mjeseca.

1412. indictione VI. 29. novembris. Litera data oratori magnifici domini Sandalii de deposito VI mille ducatorum, quos dominium promittit eidem usque menses quatuor. Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Magnifico et potenti domino Sandalio magno vaivode Bosine, amico dilecto, salutem et sincere dilectionis affectum. Propter caritatem et sinceram affectionem, quam cognovimus vestram magnitudinem dominio nostro gerere, et nos ad eamdem magnificentiam vestram gerimus vice versa, semper facieremus pro ea, quecumque possibilia nobis forent. Hinc est, quod cum spectabilis vir dominus Grubatius Dobreavig honorabilis vester orator a nobis requisiverit parte vestra de

certis depositis extrahendis, nos volentes dicte vestre magnitudini complacere, quamvis foret contra leges et ordines urbis nostre, contenti fuimus vestris requisitionibus assentiri. Verum idem orator vester contentus fuit et remansit concors nobiscum, quod de tali deposito duodecim millia ducatorum medietas, videlicet ducati sex mille, usque menses quatuor vestre magnitudini consignentur, et reliqui sex mille ducati usque dictum terminum magnificis dominabus Banize et Catarine ipsius filie similiter numerentur. Quare vestra magnitudo poterit ad dictum terminum mittere suum nuntium aut scribere nobis, cui velit dari dictos sex mille ducatos, nam eos faciemus, cuicumque volueritis, ad dictum terminum integraliter assignari. Data in nostro ducali palatio die vigesimo nono mensis novembris, indictione VI. MCCCCXII.

Commemorialium X. 134, u mlet. arkivu.

God. 1412. 29. studenoga, u Mletcih.

Mletčani pišu banici udovi pok. Vuka i kćeri njezinoj Katerini, da će jim povratiti njihov poklad od 6000 dukata do četiri mjeseca.

1412. indictione VI. 29. novembris. Litera supra eadem materia, data oratori magnificarum dominarum Banize et Catarine eius filie. Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Magnificis et potentissimis dominabus Banize relicte magnifici domini Volchi bani et Catarine eius filie, amicis dilectis, salutem et sincere dilectionis affectum. Propter mutuam affectionem, que fuit olim inter magnificum dominum Volchum et nos, et nunc est inter magnitudinem vestram et nostrum dominium, semper pro vobis faceremus, quecumque possibilia nobis forent. Hinc est, quod cum spectabilis vir dominus Radozlavus orator vestre magnificentie a nobis requisiverit parte vestra de certis depositis extrahendis, nos volentes dicte vestre magnitudini complacere, quamvis foret contra leges et ordines urbis nostre, contenti fuimus vestris requisitionibus assentiri. Verum idem orator vester contentus fuit et remansit concors nobiscum, quod de tali deposito duodecim millium ducatorum medietas, videlicet ducati sex mille, usque menses quatuor vestre magnitudini consignentur, et reliqui sex mille ducati magnifico domino Sandalio magno vaivode Bosine similiter numerentur. Quare vestra magnitudo poterit ad dictum terminum mittere suum nuntium aut scribere nobis, cui dari velit dictos sex mille ducatos, nam eos faciemus, cuicumque volueritis, ad dictum terminum integraliter assignari. Data in nostro ducali palatio die vigesimo nono mensis novembris, indictione VI. MCCCCXII.

Commemorialium X. 134, u mlet. arkivu.

God. 1412. 5. prosinca, u Mletcih.

Upućuju se dalje poslanici odpremljeni k Celjskomu knezu u poslu mira.

1412. die 5. decembris. Ser Sanctus Venerio consiliarius, ser Nicolaus Victuri sapiens consilii, ser Franciscus de Bernardo, ser Bertucius Pisani sapientes guerre. Capta in consilio de centum. Cum ambassiatores

nostri, missi ad magnificum comitem Zilie pro pace tractanda, redierint Justinopolim, unde nobis scripserunt per eorum litteras, significantes nobis colloquia et praticas secutas cum domino comite, dicente illo in conclusione, differentias cadere pro duobus causis videlicet nomine imperii et nomine regni Hungarie, et exinde fore intentionis regalis velle nomine regis Hungarie terras Dalmatie, quas pro quantitate pecunie dicit nullo modo velle alienare, et velle solutionem VII mille ducatorum, et ulterius nomine imperii velle terras spectantes imperio; et quia pur de aliqua parte condescenderet, et super hoc propositum mentem regalem expresserit, sed tamen in conclusione dominus comes dixerit ambassiatoribus, quod venirent Justinopolin, et scriberent nostro dominio, quia habita voluntate nostra, et significando sibi, veniret ultra Postoynam, et mitteret pro ipsis cum sufficienti scorta; et sit necessarium declarare animum nostrum domino comiti, ita quod nullam spem habeat, quod velimus trahere terras Dalmatie de manibus nostris, et declinet a proposito suo: vadit pars, quod rescribatur ipsis ambassiatoribus in hac forma:

Auditis et intellectis litteris vestris datis XXI, XXII et XXIIII novembris in Postoyna et in Justinopoli super colloquiis et praticis habitis cum magnifico domino comite Zilie et cum aliis duobus nobilibus missis per dominum regem, et omnibus contentis in ipsis, pro quibus sapientiam vestram merito commendamus, succinte providimus vobis cum nostro consilio de centum respondere, mandantes, quatenus receptis presentibus mittere debeatis prudentem virum Franciscum notarium nostrum ad ipsum dominum comitem parte vestra, dicendo magnificentie sue et similiter domino cardinali legato apostolico et comiti Bertoldo, si ibi erunt, qui se reperierunt in alia collatione, quod nos, audita continentia litterarum vestrarum, per quas comprehendimus, dominum comitem nomine regio facere et perseverare ad multas et magnas petitiones, certe non modicum cogimur admirari, videndo honestatem et iustitiam nostram et convenientes promissiones, quas facimus pro deveniendo ad pacem, non obstante quod in nullo simus obligati, et quod ipse dominus rex, qui videt hoc fieri magis pro causa honoris corone sue quam pro debito, perseveret in suo proposito. Preterea sperabamus, ipsum magnificum dominum comitem, qui tantum se obtulit late debere acquirere hunc honorem et perpetuam famam suam et maxime, ut sanguis christianorum non spargeretur. Sed tamen quia estis certi, quod dominus comes predictus post recessum vestrum consideravit maturius fructum pacis secuturum partibus et amicis partium, vultis domestice et lucide declarare sibi mentem nostri dominii et propositum, quem habemus precipue super terris Dalmatie, super quibus videtur dominum regem potentissime pretendere, videlicet:

Quod habito respectu ad iustas causas emptionis per nos facte de Dalmatia rationibus notatis in commissione vestra, et de quibus estis plene informati, facitis sibi notum, quod animus noster non est ullo modo trahere de manibus nostris terras et loca Dalmatie, que et quas tenemus et teneremus tempore, quo perveniretur ad contractum pacis, licet satis ab emptione totius Dalmatie declinare velimus, et hoc sibi dici facitis, ut dominus comes non teneat spem in hoc, sed si placet ei,

quod reperiantur alii modi, qui possent esse honoris et utilitatis maiestatis sue, per quos poterit et debebit merito contentari, quia erimus parati a parte nostra facere de rebus, que possint esse causam bone pacis. Et hoc est conveniens et licitum domino regi facere erga nos, qui per tempora peterita ostendimus tantam caritatem et benivolentiam, et in futurum ostendere possemus cum honore et comodo sue corone, quoniam similiter fecit de Spaleto, Cataro et aliis terris erga aliquos dominos, sicut est manifestum. Super facto autem terrarum spectantium imperio, dicimus, quod sumus contenti contribuere pro recognitione ipsarum id, quod contribuebant domini de la Schalla aut dominus dux Mediolani aut illi de Carraria, aut ulterius secundum formam vestre commissionis, et deberet dominus rex esse contentus, quod pocius illas teneremus et recognosceremus ab imperio, quam tirani, quoniam iusticiam servamus et equitatem, ipsi autem vivunt alio modo et non cum contentamento populorum; insuper posset sperare habere graciora et meliora servicia a nostro dominio quam a predictis, ita quod racionabiliter contentari debet.

Auditis igitur et comprehensis omnibus, que vobis dabuntur pro responsione pro possendo venire ad praticam, quia dictus comes foret contentus, exequemini et procedatis ulterius secundum formam vestre commissionis, et sicut de virtute vestra speramus et confidimus. Si autem videretis perseverantiam in adversa parte et non mutare propositum, nec quod ulla spes foret, tunc notificato sibi, quod manifestum est deo et mundo, qualiter omnes honestatis et rationabiles vias pacis quesivimus, et non defecit pro nobis. Et propterea videndo non posse illam sequi non vestra de causa, invocamus omnipotentem deum, cui omnia nota sunt et nostra optima voluntas pacis, qui deus odit guerram et optantes guerram, dignabitur clementia et gratia sua nobis prestare auxilium et favorem in honorem et conservationem status nostri; et facta resposione et intentione sua, subito illam nobis significetis, non recedendo deinde nisi aliud vobis exibueramus in mandatis. De parte 36, 53.

Ser Antonius Mauro, ser Marinus Karavello procuratores, ser Rossus Marino sapiens consilii, ser Barbonus Mauroceno sapiens guerre. Cum nostri ambassiatores, missi ad magnificum dominum Zilie pro pace tractanda inter novum electum et Hungarie regem ac nostrum dominium, redierint Justinopoli, unde nobis scripserunt, significantes nobis ratiocinamenta et praticas habitas simul cum domino comite Zilie et cum domino cardinali legato apostolico et cum comite Bertoldo missis a domino rege, dicentes, differentias cadere pro duabus causis, videlicet nomine imperii et nomine regni Hungarie, et exinde fore intentionis regalis, velle nomine regis Hungarie terras Dalmatie et nullo modo velle ipsas pro quantitate pecunie alienare, et velle solutionem VII mille ducatorum, et nomine imperii terras spectantes imperio, et si pur condescenderet de terris imperii, faceret de parte ipsarum, quoniam promiserit alias; et super hoc proposito videtur firmasse mentem suam regalem, ita quod si persistimus in proposito nostro dato in commissione ambasciatorum nostrorum et dominus rex in duritie sua, guerra per consequens duratura est, plusquam velimus. Et quia intentio nostra

est non dare ullatenus terras Dalmatie, quas iuste emimus, nullum alium medium videtur consonum et iustissimum deo et mundo nisi hoc medium, a quo adversa pars cum honestate nullo modo recedere debet: vadit pars, quod secundum ordinem, quem dedit dominus comes in recessu ambassiatorum nostrorum de Postoyna, debeant scribere, quod habent redire ad magnificentiam suam iuxta ordinem predictum, dummodo habeant scortam sufficientem, et habita scorta, vadant ad presentiam suam, et dicant in hac forma:

Qualiter auditis litteris nostrorum ambassiatorum et omnibus, que continentur in illis super praticis et colloquiis et raciocinamentis secutis cum domino comite Zilie et cum aliis duobus nobilibus missis per dominum regem, auditisque magnis atque altis peticionibus factis per dominum comitem nomine regio, certe non modicum admiramur videndo, quod dominatio nostra se moveat cum tota honestate et iusticia et cum modis tam rationabilibus et honestis non obstante, quod de differentiis existentibus inter partes tam pro factis Dalmatie quam de facto VII mille ducatorum in nichilo simus oblati, et tamen occasione pacis et consideratione amoris, que serenitati sue semper gessimus, consentire velimus et facere de rebus placidis, et de quibus contentari merito deberet, quas res ipse dominus rex debet cognoscere fieri velle per nos magis occasione honoris corone sue quam pro debito; preterea spem gerebamus, quod maiestati et digna interpositio et ampla oblatio sua tam sincere facta deberet multum prodesse agendis istis, et tam consideratione evitandi sparsionem sanguinis inter christi fideles quam pro acquirendo perpetuam gloriam et famam, licet simus certi, quod de novo post vestrum recessum considerare voluerit fructum pacis, qui posset sequi partibus et amicis partium et non amittere tantum honorem magnifice domui sue; et cum his et aliis prudentibus verbis et rationibus debeatis experiri, si potestis exequi et obtinere iuxta continentiam vestre commissionis.

Et si possetis obtinere modis predictis, bene quidem; si autem videretis adversam partem sive dominum comitem nomine regis perseverare in his, que vobis dixit, et non inclinare velle; facta per vos omni possibili experientia, tunc si in praticis et colloquiis secutis dictum fuisset aliquod verbum, ad quod possetis vos applicare, quia videretur adversam partem contentari vel dicere de stando iuri videlicet quod differentie de terris Dalmatie et VII mille ducatorum cognosci deberent de iure, volumus, quod dicatis, audivisse tale verbum in colloquio suo, per quod ipsi viderentur contentari de stando iuri, et propterea licet veritas sit, quod per elapsum diximus voluerimusque querere viam compositionis et concordii, id certe fecimus bona intentione et respectu et pro veniendo cicius et cum maiori quiete ad conclusionem pacis, quoniam via comunis concordii est magis inductiva et servativa amoris et pacis, tamen ut non dicatur, quod velimus fugere ea, que sunt de iure, sed quod cognoscatur manifeste per omnes voluntas nostra ad pacem, remanemus contenti, quod, sicut dicunt, eatur per viam iuris modis infrascriptis:

Sed si nulla mentio fieret nec aliquod verbum moveretur per alteram partem de stando iuri, tamen in omni casu sumus contenti et sic

vobis mandamus, quatenus intrando vos ad propositum cum illis verbis, que vestre sapientie videbuntur, dicere debeatis, quod manifestum est et scimus, dominum regem proprium dixisse et adhuc fecisse proponi a suis ambassiatoribus multociens, et ulterius scripsisse et significasse dominis mundi, quod erat in pleno iure; sed quod nos existentes requisiti recusabamus stare iuri. Idcirco volentes, quod in aliquo non possit opponi nobis, licet novit deus hactenus quesiverimus, ut est dictum, pacem per viam conventionis, fuimus contenti hoc facere pro conservatione amoris et benivolentie inter partes et pro prestiori et magis quieta via ad conclusionem pacis; sed postquam dixit, dici fecit et publicari per modum, quod vult stare iuri, et quod nos denegavimus viam iuris, ut appareat sinceritas nostra, volumus, quod sive altera pars principiaverit dici de stando iuri sive vos, quod dicatis, qualiter sumus contenti, quod contribuendo nos pro recognitione terrarum, quas tenemus, spectantes imperio id, quod solebant contribuere dominus de la Scalla aut dominus ducas Mediolani aut illi de Carraria, nam in hoc non caderet difficultas magna, eo quod bene scimus conveniens esse, ipsas terras debere recognosci ab imperio, recordando, quod dominus rex debet esse magis contentus velle habere contributionem a nostro dominio quam a tirannis propter iusticiam et equitatem, quam servamus erga subditos nostros, et dominus rex etiam id in nobis cognovit, et vidit experientiam temporum preteritorum, et magis ample potest sperare in futurum habere grata servicia et comoda corone sue, ita quod contribuendo nos pro recognitione, ut est dictum, sumus contenti, quod de aliis differentiis, videlicet terrarum Dalmatie et VII mille ducatorum, cognoscatur et decidatur id, quod sit et spectat de iure.

Verum si, ut credendum est, fiet dubium et interogacio per alteram partem et inter vos, quis debeat esse iudex vel iudices eligendi pro decisione differentiarum predictarum, nominando aut non nominando aliquem, sed pur partes volent declinari, debeatis dicere, quod erit iudex vel iudices ille vel illi, qui erunt placidi, vel eligantur per partes. Et propterea dicant, quia etiam vos subito advisabitis nostrum dominium de hoc, et dabimus vobis responsionem, ut deliberato de iudice vel iudicibus, fiat postea, quod sit iuridicum et debitum equitatis; verum si specificaretur vobis per aliam partem, si essemus contenti, quod dominus papa foret iudex, debeatis respondere, quod sic, hoc nobis presto significando.

Et interim debeatis totis spiritibus vestris, sicut consuetum fieri in talibus pro bono principio rei, et sicut requiritur pro non acendendo maiorem flammam et ignem, et ex inde quod multiplicent differentie, procurare, quod fiant sufferentie, et si posset fieri treugua, removentibus se partibus a damnis et molestiis alterius partis et altera alterius, quousque cognitum foret et determinatum de iure, faciendo iuxta posse vestrum, quod terre et loca nostra amissa et occupata usque ad tempus factionis sufferentiarum vel treugue restituentur nobis, quia essemus contenti restituere illas, quas tenemus in patria Foroiulii, sin autem, quod partes teneant ea, que possident tempore factionis sufferentiarum vel treugue.

Ultimo si per alteram partem denegaretur de stando, et quod non possetis obtinere modo predicto, volumus, quod dicatis, qualiter deus

novit pro possendo devenire ad pacem bonam servavimus omnes honestates et omnes modos et experientias nobis possibiles, et videmus, quod nec per viam amicabilis compositionis nec viam iuris altera pars vult condescendere, quod est oppositum et contra id, quod fecit dici et publicari per mundum, videlicet quod denegamus viam iuris; unde sicut apud deum cognitorem veritatis fuit et est nota optima voluntas pacis per viam comunis concordii et per viam iuris, sic dispositi sumus declarare et publicare dominis mundi innocentiam et sinceritatem nostram, et quod non deficit pro parte nostra, servata qualibet honestate; sperantes in altissimum, quod ipse, qui est summa pax, odiens guerram et optantes guerram dignabitur prestare gratiam suam ac subsidium et favorem contra optantes opprimere quietem status nostri. De parte 26, 32.

Ser Bartholomeus Nani sapiens consilii, ser Laurentius Bragadeno sapiens guerre. Quod respondeatur nobilibus viris ser Thome Mocenigo procuratori sancti Marci, et ser Antonio Contareno oratoribus destinatis ad magnificum dominum comitem Zilie pro pace tractanda inter regem Hungarie et nostrum dominium in hunc modum videlicet:

Recepimus die XXVI novembris elapsi litteras vestras datas Postoyne die XXI et XXII et alias datas Justinopoli die XXIIII novembris, in quibus scribitis modos per vos observatos, praticas habitas cum magnifico domino comite Zilie et collationes habitas cum legato apostolico et comite Bertoldo et omnia alia, que dixistis et fecistis circa facta, pro quibus vos misimus ad partes illas, et denique qualiter de consensu dicti domini comitis Zilie venistis Justinopolim cum finali responsione ipsius domini comitis, qui conclusive dixit, quod nostro dominio significaretis ea, que vobis dixit, ut si contenti essemus attendere ad ea, que videbantur esse de intentione domini regis Hungarie, ipse posset, habita responsione nostra, intrare ad tractatum pacis etc., sicut in vestris litteris multum distincte et ordinate cavetur. Que omnia bene intelleximus et diligenter consideravimus, et de omnibus per vos dictis et factis usque ad presens, que nobis admodum placuerunt, summam sapientiam vestram digne recommendamus. Et propterea cum nostro consilio centum sapientum vobis scribimus et mandamus, quatemus, recepto presenti nostro mandato, scribere debeatis per litteras vestras sub nomine vestro prefato domino comiti, et illas mittere per sufficientem et bonum nuncium, qualiter vos notificastis nostro dominio omnia, que secum fecistis et praticastis, et omnia, que ipse vobis proposuit et dixit circa materiam, que tractatur, et quod expectastis nostram responsionem, ut tantum bonum, quantum est effectus huius pacis et concordie, possit habere locum; sed quod dominatio nostra, auditis tam arduis et excessivis peticionibus, quas facit pro parte ipsius domini regis, sumpsit et sumit permaximam admirationem, cum sit ultra omnem iustam et rationabilem mentem; nec minus admirati sumus, quod dominus rex vel sua magnificentia nomine suo se retrahat ab ista pace et concordia, consideratis his, que versus eum facere velle dixistis nomine nostro cum tanto honore et comodo sue serenitatis. Et propterea disposuistis hec nota facere sue magnificentie, et quia cognoscitis optimam dispositionem quam habet ad reducendum ista negocia ad bonam conclusionem, et quia etiam cognoscitis magnam prudentiam et sapientiam suam, nec

ullo modo credere potestis vel immaginari, quod sua magnificentia, quantum in ea fuerit, assentire velit, quod iste novitates et guerre perseverent, et quod tot mala, pericula et inconvenientia sequantur cum tanta effusione sanguinis christiani inter partes, quod sunt sine dubio secutura, si res iste procedent in longum. Pro tanto vos rogatis suam magnificentiam, que a longe sciret remedium reperire, quatenus velit et placeat immaginari et reperire aliquam viam et modum convenientem et honestum et comunem partibus, per quem deo dante deveniri possit ad hunc laudabilem finem pacis, quoniam si proponet et reperiet vias et res congruas, honestas et rationabiles, vos estis certissimi, quod dominacio nostra, que in quibuscumque suis negociis semper amavit equitatem, ius et honestatem, erit prompta et perfecte disposita per omnes modos et vias honestas et rationabiles et cum honore prefati domini regis ad pacem et concordiam bono animo devenire. Et propterea placeat sue magnificentie vobis scribere aut aliter declarare, si habet aliquam viam vel medium rationabile circa hoc, ut possitis secundum perditionem temporis deliberare, quod facturi sitis in isto negocio, avisando suam magnificentiam, quod si aliud dicere non vellet nec ad alia condescendere quam ad illa, que vobis dixit, et perseverare vellet in peticionem, quam facit pro parte domini regis, non esset expediens, quod laboraret ulterius circa hanc praticam, quia videtis, quod per illam viam isti tractatus nunquam possent habere conclusionem; sed quod speratis in altissimo deo nostro, qui est iustus iudex et dominus, quod nobiscum erit, et ad ista negocia bene et salubriter providebit; rogando suam magnificentiam, quod placeat per nuncium, quem mittetis, vobis per suas litteras respondere.

Scriptis autem predictis ac expectata responsione sua in Justinopoli, subito cum ipsam responsionem habueritis, qualiscumque fuerit, debeatis nos de ea et de omnibus, que habebitis, distincte et ordinate per vestras litteras informare, non recedendo deinde sine nostro speciali mandato. De parte 21, de non 4, non sinceri 12, 16.

Secreta cons. rogatorum. Vol. 5, p. 88 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1412. 5. prosinca, u Mletcih.

Prvi knez mletački u Šibeniku.

1412. die 5. decembris. Capta in consilio centum. Cum pro subita provisione fienda post adoptionem terre Sibinici, comitteretur ex auctoritate huius consilii nobili viro ser Zacharie Trivisano militi, qui compleverat regimen suum Jadre, quatenus in isto principio et introitus regiminis deberet ire ad regulandum et gubernandum ipsam terram pro tempore duorum mensium, nam ipso interim mitteremus nostrum rectorem, et ipsa de causa captum foret, quod ipse ser Zacharias habere deberet ducatos LX in mense, ut in parte continetur, et istud tale mandatum missum foret ser Zacharie suprascripto, qui illo recepto obedienter et fideliter, ut debent facere notabiles cives, se obtulit ire, et ivit Sibenicum, sed nobis scripserit per litteras suas, qualiter semper esset dispositus et promptus obedire nostris mandatis et servire ibidem

et alibi usque ad mortem, sed quod pro tali fideli servitio vult liberaliter et sine premio salarii servire, et sit condignum, postquam nobilis vir se obtulit, non consentire, quod ad suas expensas stet ibidem; vadit pars, quod rescribatur et respondeatur nobili viro ser Zacharie predicto, quod consideravimus bene et per elapsum et pro nunc suam proclivam intentionem, obedientiam et promptitudinem ad mandata et honores nostros, ita quod habemus causam habendi ipsum merito recommissum, et acceptamus suam oblationem, sed non in totum, quia nolumus, quod stet ad expensas suas, et sufficit nobis de servitio fideli; sed volumus, et sic ex nunc captum sit, quod possit expendere in expensis sibi occurrentibus usque ad summam pecunie limitatam per partem captam et sibi missam, et ultra illam expensam possit expendere in nabulo navigii, quod conducet ipsum Venetias, quando sibi mandabitur per nostrum dominium. De parte 61, de non 10, non sinceri 4.

Secreta cons. rogatorum. Vol. 5. p. 90, u mlet. arkivu.

God. 1412. 10. prosinca, u Mletcih.

Naputak poslanikom idućim napuljskomu kralju, da s njim sklope savez proti Sigmundu.

1412. die 10. decembris. Ser Nicolaus Victuri, ser Antonius Mauroceno procurator, ser Marinus Karavello procurator, ser Rossus Marino sapientes consilii. In consilio centum. Nos Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Bernabovi Lauredano et Marco Venerio dilectis et honorabilibus civibus nostris, quatenus de nostro mandato ire debeatis in nostros solemnes ambasiatores ad serenissimum dominum regem Ladizlaum, ad cuius presentiam cum eritis, presentatis nostris litteris credentie, facietis serenitati sue parte nostra honorabiles ac reverentes salutes et oblationes, secundum quod ad honorem sue maiestatis et nostri dominii vestre prudentie videbitur convenire.

Subsequenter explicabitis sue maiestati sub hoc primitus effectu, videlicet quod natura bonorum et sincerorum amicorum semper provocat et satagit corda et animos partium ad vera signa et indicia copulati amoris et benivolentie, ut ex tali coniuncta amicitia consequatur comunis et particeps fructus; et ideo naturata caritas, que inter regiam viget maiestatem et nos, inducit, ut iam diu optaverimus et quesiverimus, conformari in liga et unione insimul, sicut iam alias diximus ambaxatori regie maiestatis, et etiam fecimus dici per nostras deinde regie maiestati sue, quia intentio nostra fuit, quod ipsa liga fieret pro principali causa, que movere debet regiam maiestatem et nos ad hoc faciendum; principalis causa est, quod iam diu vidimus et comprehendimus, et ipse debet vidisse et comprehendisse, animum et voluntatem insaturabilem regis Sigismondi vigillare et pretendere ad multa et magna, et tam contra regie maiestatis sue honorem et statum quam contra nostrum vigilanter, et inter alia ob venditionem per eum factam et propter emptionem factam per nos de terris Dalmatie; ergo ex principali causa nos cognoscentes, ipsum regem Sigismundum esse comune

inimicum suum et nostrum, et querere effectum sue male dispositionis in volendo descendere in Italiam ad obtinendum coronam imperii, quod potest considerare regia maiestas sua et nos consideramus, quantum faceret pro statu suo et nostro, quesivimus usque nunc et diximus, quod sicuti coniuncti sumus vera affectione, sic effectu exequemur ad ligam contra ipsum inimicum suum et nostrum; et ut clare videat, hanc fuisse nostram optimam intentionem, et cum quali proposito movimus nos et sic nunc movimur, quod est prestanter, ut serenitas sua acquirat et augeat honorem et exaltationem corone sue, declaramur et recordamur ei quod ipse dominus rex Ladizlaus habet titulum et vocem regis Hungarie, et digne ac merito, quia serenissime memorie quondam genitor suus fuit rex Hungarie, et ipse etiam coronatus fuit rex per barones Hungarie et aliis multis occasionibus legitimis; et sicut ipse habet vocem et titulum, sic optamus, quod cum effectu et operibus illud habeat, et si unquam fuit tempus habile, ad presens est, quia videmus dominum regem Sigismundum descendisse personaliter in patriam Foroiulii, et cum eo descendisse aliquos barones et multas gentes Hungaras de contratis suis, relinquendo regnum in debili statu et conditione, quod totum facit ex apetitu corone imperii et pro habendo intentum suum, ita quod volente maiestate sua operari sapientiam et virtutem suam et potentiam, quam maximam habet, et bene sciet facere nos apud ipsam suam potentiam et gentes, quas habet et habere poterit, prestissime in partibus et regno suo et apud transitum navigiorum, que habere poterit in partibus suis, sumus contenti et offerimus pro bona et votiva executione intentionis predicte sibi conferre a parte nostra etiam navigia, ut cum suis et nostris possit transire cum gentibus in Dalmatia; et insuper offerimus sibi receptum terrarum nostrarum, et ulterius subsidium mille lancearum aut pecuniam pro ipsis lanceis mille, ut celerius habeat res effectum; et istud est nostrum propositum et intentio, que sequi potest per viam lige contra ipsum comunem inimicum suum et nostrum, et que poterit cedere ad maximum honorem et exaltationem statui suo, ut est dictum.

Et quia sumus certi, quod predicta sint consona et placeant regie maiestati sue tanquam res, que sunt et erunt maximi honoris et incrementi corone sue et exaltationis status sui regalis, tamen placet nobis, quod si regia maiestas, que sapientissima est, videt, quod aliquis alius modus sit utilior, melior et solidior ad executionem intentionis predicte et ad perveniendum ad talem conclusionem, serenissima regia maiestas sua potest recordari et dicere, quia libenter audietis et intelligetis ea, que vobis dicere volet serenitas sua. Et si se aperiet, et aliquid dicet, si qua haberetis libertatem, dabitis sibi condignam responsionem; quando autem vestra commissio non se extenderet tantum ultra, notificabitis subito nostro dominio pro habendo responsionem convenientem.

Et si videbitis et comprehendetis, quod placerent regie maiestati modi predicti, bene quidem, remanebimus contenti. Sed insuper si videretur sue serenitati, quod esset etiam principaliter ostandum transitui suo, ne vadat ad accipiendum coronam imperii, ad quam tantum aspirat, et ad faciendum resistentiam potentie sue, quoniam licet a parte nostra miserimus et teneamus multas gentes ad contrastum suum, tamen pro maiori resistentia et obstaculo essemus contenti habere aliquem favorem

uum; et propterea si vellet dare nobis subsidium aliquarum gentium, idelicet usque ad summam lancearum mille, multum prodesset factis uis et nostris contra comunem inimicum predictum; nam omnis prospeitas, quam consequeretur, quod deus avertat, esset nociva statui suo t nostro, et e contra omnis depressio venit esse utilis et bona, dumnodo cum effectu fiat executio per alterum istorum modorum, ut non onsequatur intentum et desiderium eius.

Et si placeret prefato domino regi, quod per alterum modorum redictorum partes convenirent ad insimul, includendo capitula et pronissiones suprascriptas per modum et viam lige, nichil exprimendo ulterius nec aliam faciendo mentionem de liga magis ampla, tunc exequamini per formam capitulorum suprascriptorum cum illis modis et viis, qui et que possint esse conformes nostre intentioni suprascripte, et cedere ad votivam executionem et conclusionem predictorum.

Si autem fieret vobis mentio, et proponeretur vobis de liga ad defensionem statuum in hac forma, videlicet quod data nobis subventione et favore mille lancearum, ut est dictum, pro hac guerra nostra et durante ipsa guerra, aut a lanceis V centum et inde supra usque ad lanceas mille, secundum quod melius obtinere poteritis, non possendo devenire ad minus lanceis V centum, quod, completa presenti guerra, in casu quo ipse dominus rex molestaretur vel status suus, videlicet quod moveretur guerra contra ipsum et terras vel loca sua, que et quas presentialiter possidet et tenet, erimus contenti et sic promittimus ei dare auxilium et favorem de lanceis mille aut subventionem pecunie pro ipsis lanceis mille et tanto minus de lanceis mille aut subventione lancearum mille, quanto minus nobis dederit pro favore presentis guerre pro eo tempore, quo sibi et terris suis moveretur aut fieret molestia aut novitas et guerra, non principiando ipso guerram nec existente causa ipsius guerre et novitatis; et e converso teneatur et debeat facere observare ipse dominus rex, quandocumque et quotiescumque fieret et moveretur nobis novitas et guerra seu terris et locis nostris, quas tenemus et possidemus ad presens.

Preterea fecimus vobis dari copiam promissionum factarum per nos regie maiestati sue et per regiam maiestatem suam nostro dominio in emptione Dalmatie, ut si allegaretur vobis per alteram partem de ipsis promissionibus, vel quod videretur vobis, quod pro contentamento domini regis, quod deberent includi tales promissiones, non specificando vos tamen, quod alias firmate fuerint, nisi primitus diceretur per aliam partem, possitis proponere, et sic relinquimus in libertate vestra proponendi et includendi ipsas promissiones in liga et partem ipsarum, secundum quod vobis melius et utilius apparebit, que promissiones continent circa factum non dandi transitum, passum, victualia, favorem per alteram partium alicui vel aliquibus volentibus venire ad damna et offensiones alicuius partis etc., ut in ipsis diffusius continetur.

Et circa factum termini talis lige assignamus vobis tempus ab annis quinque usque ad decem, in quo partes teneantur et obligate sint una pars alteri et altera alteri ad dictas promissiones, ut superius dictum est. Et propterea in conclusione predictorum et ante et postea significabitis nobis omnia praticata et contracta, ut possimus mittere

ratificationem, et quod fiant instrumenta, obligationes et cautelle cum solemnitatibus et clausulis opportunis, non recedendo tamen sine nostro speciali mandato. De parte 27, 25; de non 47, 56; non sinceri 26, 17.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 92, u mlet. arkivu.

God 1412. 19. prosinca, u Mletcih.

Dalje o naputku za poslanike iduće u Napulj, da s onim kraljem savez ustanove.

1412. die 19. decembris. Ser Barbonus Mauroceno sapiens guerre. In consilio centum. Nos Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus et sapientibus viris Bernabovi Lauredano et Marco Venerio dilectis et honorabilibus civibus nostris, quod ire debeatis nostri ambassiatores solemnes ad conspectum serenissimi domini regis Ladizlai, cui presentatis nostris litteris credentialibus, quas vobis fecimus exhiberi, portabitis sibi fraternas et cordiales salutationes pro parte nostri dominii, offerendo nos et nostrum dominium ad omnia, que concernant honorem sue serenitatis ac exaltationem status sui, quem diligimus tanquam proprium; utendo circa hoc illis bonis et pertinentibus verbis, que cum honore sue serenitatis et nostro vestris sapientiis videbuntur.

Postea vero dicetis et exponetis sue excellentie, qualiter iam pluribus diebus elapsis egregius ambaxiator suus judex Pandellus pro parte sue serenitatis nobis exposuit, qualiter sua maiestas, cupiens patefacere toti mundo suam optimam dispositionem, quam habet ad commoda et honores nostri dominii et status nostri, erat contenta, quando placeret nostro dominio, contrahere unionem et ligam nobiscum ad defensionem statuum; et nos considerantes, quod huiusmodi liga generalis posset esse cum maximo preiudicio et damno nostro et status nostri, sicut sua serenitas potest considerare, habito respectu, quod cives et mercatores nostri ac nostra navigia conversantur in diversis regionibus et cum variis nationibus, dedimus responsionem prefato ambasciatori suo regio, quod dicta liga adeo generalis non videbatur nobis tractanda, sed si placeret excellentie sue contrahere ligam cum nostro dominio contra regem Sigismundum, qui est comunis inimicus suus et noster, et ad obviandum sibi et turbandum adventum suum in Italiam pro coronatione imperii, ad quam aspirat, cum dictus adventus nullo modo possit esse utilis pro statu tam suo quam nostro multis respectibus, quos sua serenitas, sicut non dubitamus, bene cognoscit, nos eramus parati et dispositi ex parte nostra facere omnia, que forent honesta et rationabilia, et deinde dictus suus ambassiator dixit habuisse responsionem, quod hec liga spetialis non videbatur sue excellentie praticanda, sed si volebamus contrahere ligam generalem ad defensionem statuum, ipse erat paratus mittere suam ambassiatam Venetias ad tractandum dictam ligam etc.; propter quam causam dominatio nostra audiens intentionem sue serenitatis, et disposita in omnibus casibus conservare et augere benivolentiam, que inter suam excellentiam et nostrum dominium diu fuit et est, et manifestare toti mundo, quod talis sit dispositio nostra, deliberavit

vos mittere ad conspectum sue serenitatis ad confirmandum in mente sua, quod nostra dominatio est firmissimi propositi perseverandi in fraterna amicitia et cordiali benivolentia secum, et ut reperiantur de viis et modis convenientibus et honestis, per quos possit dante deo deveniri ad talem compositionem et unionem, quod sit honor, comodum et utilitas statuum utriusque partis contra hunc comunem inimicum regem Sigismundum, qui aspirat ad habendam coronationem imperii, ut deinde habeat maiorem potentiam et sequelam ad faciendum alia, que cupit et presertim contra honorem et status serenissimi domini regis Ladizlai, ad quem de iure pertinet non solum titulum sed dominium regni Hungarie. Et propterea quia nos etiam comprehendimus malam dispositionem ipsius regis Sigismundi versus nostrum dominium, sumus dispositi et parati circa hoc factum, quantum nobis erit possibile, ad obstandum coronationi sue, quam querit; et cum his et aliis verbis utilibus ad materiam iustificare procurabitis responsionem nostram predictam datam iudici Pandello ambassiatori suo, et inducere ipsum dominum regem, quod sit contentus intelligere se nobiscum contra prefatum regem Sigismundum.

Et si videretis, quod dictus serenissimus rex foret contentus tractare unionem et ligam nobiscum in speciali contra dominum regem Sigismundum, quod procurare debeatis totis spiritibus vestris, sumus contenti, quod intretis ad praticam cum eo vel deputandis ab eo. Modus autem, qui nobis placeret pro presenti, est, quod volente dicto domino rege Ladizlao dare et subvenire nostro dominio de suis gentibus armigeris et peditibus in aliqua quantitate, procurando tamen obtinere illam maiorem quantitatem, quam poteritis, nos etiam potenter resistere volumus dicto regi et gentibus suis, ut non veniant in Italiam, et quod idem rex Sigismundus non recipiat dictam coronationem, et sic promittimus, quandocumque placebit sue serenitati dare sibi totidem gentes de nostris ad sua servitia et pro tanto tempore, quot gentes et pro quanto tempore nobis subveniet in presenti omnibus nostris expensis, vel tantam pecuniam, quanta erit necessaria ad solvendum dictis gentibus pro tempore suprascripto, declarando tamen, quod si ipse rex deliberaret movere guerram alicui sine nostro consensu, dicta obligatio nostra non habeat locum; et ad obtinendum hoc debeatis facere totum posse vestrum, quia ista via super omnes alias nobis summe placeret.

Et si dictus dominus rex iterum replicaret, vel comprehenderetis, quod intentio sua non esset attendere ad hanc ligam spetialem contra regem Hungarie vel ad hanc subventionem nobis dandam de gentibus suis cum ista nostra obligatione sive promissione, sed pur diceret, velle contrahere ligam ad defensionem statuum, tunc volumus, quod petere et scire procuretis a sua serenitate de modis et conditionibus, quibus sibi videretur hanc ligam esse contrahendam inter partes; et quoniam certi reddimur, quod, auditis talibus verbis vestris, ipse ordinabit, quod intretur ad praticam, volumus vos informare de mente nostra, ut si veniretur ad talem praticam, sciatis, cum quibus conditionibus nos vellemus huiusmodi ligam ad conservationem statuum.

Et pro defensione statuum utriusque partium ac civitatum, terrarum, castrorum, locorum et territoriorum ac subditorum suorum et pro

offensione cuiuslibet principis, domini, dominii vel communis aut quarumcumque aliarum gentium volentium offendere vel presentialiter offendentium aliquarum dictarum partium in terris, locis et territoriis sibi subditis vel aliquo eorum vel ad presens possidentur per dictas partes, dicte partes teneantur et debeant subvenire de lanceis a V centum in mille gentium armorum et peditum a CC in CCCC, una pars in favorem alterius et altera alterius pro defensione et offensione, ut supradictum est, et illas dare, mittere et tenere in totum et in partem, sicut necesse fuerit ad requisitionem partis, que offenderetur vel opprimeretur aut offendi vel opprimi vellet, hoc tamen expresso et declarato, quod si aliqua partium deliberaret sumere guerram sine consensu alterius partis cum aliquo principe, domino, dominio, comuni vel alia persona vel personis, et propter hoc ipse partes vel aliqua earum invadere vellent, de novo acquirere, tunc et eo casu hec obligatio non intelligatur habere locum.

Item si aliqua partium deliberaret sumere guerram cum aliquo principe, domino, dominio, comuni vel alia potentia cum consensu et voluntate alterius partis per terram vel per mare, quod si erit per terram, observetur modus suprascriptus in favore et iuvamine dando, et si erit per mare, quod pars, que vellet movere guerram, habito tamen prius consensu alterius partis, teneatur ad duas partes expensarum, et alia pars ad terciam partem.

Sed si ambe partes deliberarent facere vel movere guerram alicui pro comuni bono et utilitate ambarum partium tam per terram quam per aquam, eo casu ipse partes teneantur ad equalem contributionem omnium expensarum, que in ipsa guerra quomodocumque occurrerent. Et similiter de his, que acquirerentur in ipsa guerra vel eius occasione, fieri debeat equa portio et distributio inter partes. Et si aliqua terra, castrum, fortilicium aut aliquid aliud perderetur, sit damnum illius partis, que perdidisset.

Item quod omnia victualia, blada, grassa et alio cuiuscumque conditionis ad victum pertinentia et mercationes possint extrai de terris et locis et territoriis utriusque partis, et conduci ad terras et loca cuiuslibet partium, solutis datiis et gabellis consuetis.

Item quod quelibet dictarum partium possit, si ei necessarium foret, stipendiare et conducere pro sua pecunia gentes armigeras equestres et pedestres in terris et locis ac territoriis alterius partis sine incommodo tamen et damno dicte alterius partis,

Et quod omnia infrascripta, litere, obligationes et promissiones facte inter prefatum regem Ladizlaum et nostrum dominium hinc inde tempore venditionis Dalmatie sint valide et firme, et sicut iacent, inviolabiliter observentur.

Et si cum modis et conditionibus suprascriptis poteritis devenire ad dictam ligam cum prefato domino rege, placet nobis, quod in bona gratia concludatis cum clausulis et obligationibus opportunis et solitis poni in instrumentis similis compositionis et lige, declarando vobis, quod intentio nostra est, quod talis liga duret per spacium annorum decem.

Si vero videretis, quod dictus rex ad ipsam ligam per modum predictum venire non vellet, quia vellet alia capitula maioris importantie

et obligationes sive promissiones maioris substantie, sumus contenti, quod audiatis et bene intelligatis intentionem suam et conditiones, cum quibus vellet devenire ad ligam nobiscum, quibus bene consideratis, dicere debeatis, quod quia illa, que requirit in tali liga, sunt talis nature, quod non possetis illa concludere nec bene praticare, nisi haberetis declarationem a nostro dominio, propterea vultis cum licentia sue serenitatis scribere nostro dominio et informare nos de omnibus, et expectare nostram resposionem, et sic facere debeatis.

Et si per aliquem modorum suprascriptorum devenire poteritis ad compositionem vel ligam cum prefato domino rege Ladizlao, volumus, quod in bono omine concludatis et informetis nostrum dominium de his, que feceritis et concluseritis distincte et ordinate, ut possimus ratificare ea, que concluseritis, non recedendo de partibus illis, donec habueritis responsionem et ratificationem nostram. Et etiam si non concluderetis, aut quod caderet aliqua differentia, aut quod omnino aliquid facere non possetis, in his casibus et quolibet alio volumus, quod inde non recedatis sine nostro speciali mandato, stando in illo loco vel locis, qui dicto serenissimo domino regi placuerint, et advisando nos de die in diem de omnibus, que feceritis et habueritis tam circa praticas suprascriptas quam circa omnia alia occurrentia et de novis partium illarum ac de omnibus, que undecumque senseritis, ut secundum occurentia et importantias rerum providere possimus. De parte 14.

Ser Rossus Marino sapiens consilii, ser Franciscus de Bernardo sapiens guerre. Posuerunt, quod fiet commissio in forma, qua positum fuit die decimo presentis in isto consilio per nobiles viros ser Nicolaum Victuri et sotios, sapientes consilii, et fuerunt de parte 23, 30; de non 45, 57; non sinceri 23, 15.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 93, u mlet. arkivu.

God. 1412. 22. prosinca, u Mletcih.

O odlazku iz Mletaka novoimenovanoga kneza za Šibenik.

1412. die 22. decembris. Capta in consilio centum. Quod committatur nobili viro ser Petro Zacharia ituro de nostro mandato rectori et gubernatori Šibenici, quatenus debeat ire cum barcha una, que etiam portabit litteras nostri dominii ad partes Istrie, ubi reperiet galeam, cuius est patronus ser Marcabono de Candida, et ascendere super dicta galea, ac ire ad partes Jadre, et deinde cum ipsa galea ad partes Sibinici ad regimen suum; debeat recedere cras de nocte, iturus ad reperiendum dictam galeam.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5 p. 94, u mlet. arkivu.

God. 1412. 30. prosinca, u Mletcih.

Odgovori na molbe podnesene od Šibeničkih poslanika u ime njihove občine.

1412. die 30. decembris, indictione VI. Capitula porrecta per ambaxatores communitatis nostre Sibenici, et responsiones facte ad dicta capitula cum authoritate consilii centum.

Primo, sopra lo fatto de Traura, che piasa alla vostra serenità de proveder per quel muodo e uia, che pare e piase alla vostra gratia. Ma perche un fediel seruidor sempre die pensar e far quello, che cedesse a mazor utele, laude e triunfo de la soa signoria, et imperò li vostri fidieli servitori notificano, che a lor par, che la serenità del dugal dominio providesse, come la citta de Traura venisse et inclinasse al dogal dominio, e quanto plu tosto, tanto megio, perche li ditti Traurani non hanno de che mantegnirse, salvo de lor intrade; et imperò, si mo no se daria lavorar, e fosse posto la bastita cum gran bombarde in isola de Bua verso la citta, e de terra ferma li fosse fatto danno e guasto mazor, che se poria, li detti Traurani per bella forza scaderiano a inclinar a lo dogal dominio; e li ditti Sibenzani, vostri fidieli servidori, si se improfier de far lavorar e procurar segondo tutta lor possa, de far e operar iuxta lor posse a questo fatto, non obstante che per li patti fatti per serenissimo dogal dominio alli lor fidieli servidori Sibenzani, che non sia tegnudo fuora de Sebenico de andar in nessun luogo, ma elli como quelli, che cum anima e cum cuor e tutta lor possanza sono sempre apparechiadi de far ogni cosa, quello che par e piase sia e cieda a laude e triunfo de la serenitade de lo dogal dominio.

Ad primum capitulum respondeatur, quod scribemus capitaneo nostro culfi et rectori nostro Sibenici, quod cum galeis et navigiis nostris et cum favore illius fidelis communitatis Sibenici per omnem modum, quo poterunt, faciant insultum contra Tragurium, et quod vigilent ad damna et offensas suas, ut ad nostram obedientiam reducatur. Et si in posterum aliam provisionem facere deliberabimus erga facta Tragurii, nos requiremus ipsos fideles nostros, quia sumus certissimi, quod sicut se offerunt, erunt semper promptissimi ad procurandum honorem et statum nostrum.

Secundarie: supplicano li ditti vostri fideli che el piaza a la vostra serenitate de proveder, como Scardona fosse infortificada. E perche al presente non se poria si habilmente infortir cum muro, che cum mazere et cum ligname fosse infortificado, per tal che la zente de arme podesse star, perche de la poranno megio e piu habilmente offender quelli de Ostoroviza e conte Zuanne de Cetina, e anche defender Sebenico e Vrana e Zara cum cavalli cento, cha stagando in Zara e in Sebenico con dusento e pluy, seranno destro de strame e pascoli per i cavalli, e se mai ghe fosse alcun bisogno, per mar li se poria dar sempre soccorso; e questo si è veduto bella esperientia, che per lo tempo passado, quando el dugal dominio habe Sibenico, in quello anno el ditto conte faceva per simele gran danni a la signoria de quello luogo, disfece tutto el contado suo, e condusselo per bella forza de refar tutti i danni alli detti Sibenzani. E se li vostri servidori fossero al presente de possanza de poder far questo, elli fariano molto volentieri, ma per lor impotenzia questa supplicano, offerendose elli segondo lor poder alla ditta infortificazione.

Ad secundum respondeatur, quod acceptamus obligationem illius fidelis communitatis nostre Sibenici, sed propter conditiones temporis presentis aliam certam et terminatam responsionem non damus; cum autem videbimus tempus aptum et congruum ad ea, que in ipsis capi-

tulis continentur, tunc ultra provisiones, quas faciemus, illam communitatem, sicut se liberaliter offert, confidentissime requiremus.

Item supplicano devota e humelmente, che quelli cinque lor ambassadori, i quali son retegnudi per lo re i may. de Sagabria, che per alcun muodo o per scambio de alcune persone vostre, che havete de lor, o per alcun altro muodo e via, che megio par e piase a la serenitade de dogal dominio, e anche, sel paresse alla serenitade vostra de far notitia alli vostri ambassadori, i quali dieno esser cum el re, che li procurasse de poderli cavar fuora per qualche muodo, perche missier Lunardo capitanio del colfo e missier Alban provededor ne ha improferto de farli liberar o per scambio o per dinari in quella, quando cum lor fossemo, e fassemo l' accordo in nome de lo dugal serenissimo dominio, e questi sono per nome quelle cinque persone per recordanza: de missier domino Zorzi de Stanzi fradello de missier Luca, e missier don Zorzi de Brocnich, e missier don Nicola eletto vescovo de Scardona, e ser Zuanne Daquimonich, e ser Nicola de Moro.

Ad tertium respondeatur, quod dispositio nostra est in his, que possumus illis nostris fidelibus complacere; sed cum captivi, quos habemus hic in Venetiis, sint nostrarum gentium armigerarum, non possumus, sicut est nostra intentio, complacere; bene contenti sumus, quod de duobus Ungaris, quos carceratos habemus, et de quibus dominatio nostra habet disponere, complaceatur sibi, videlicet, quod procuretur fieri cambium de illis captivis Sebinicensibus pro istis duobus; et contenti sumus, quod ipsimet, ad quos tangit factum, debeant hoc cambium procurare. Et si poterunt habere intentionem suam per cambium istorum duorum, bene quidem, sed si non poterunt dictum cambium obtinere, tunc scribant nobis, ut informati sumus, et possimus providere, sicut nobis videbitur convenire.

Item quarto loco supplicano humilmente, perche lo serenissimo dugal dominio si è tegnudo per li patti, se'l conte Zuanne over i so homeni fesseno alcun danno ad alcuna città o distrittual de Sebenico, che siano tegnudi a refar e pagar tutti i danni fatti delli denari, li quali el ha in Venexia, si che in prima missier Luca ha recevudo danno, che el conte cum la so gente ha fatto, toiandone la biava, vin e cavalli et altre robason ultra ducati V cento et per simile ad altri cittadini e contadini, e questo fo fatto tutti li danni per la caxon, che nui havevemo inclinado allo serenissimo dugal dominio; e così supplicamo, che ne sia ademplido a refar li danni nostri delli danari del ditto conte etc.

Ad quartum respondeatur, quod volumus habere informationem de quantitate damnorum per comitem Joannem sive gentes suas nostris fidelibus illatorum, et de tempore; et habita informatione, parati sumus secundum formam promissionum nostrarum satisfacere damnificatis de bonis dicti comitis Joannis, que in civitate nostra Venetiarum poterunt reperiri.

Item, perche missier Lunardo capitanio del golfo e missier Alban provededor in quella, quando havemo fatto accordo cum lor in nome del serenissimo dugal dominio, si hanno improferto a quelli sette huomini e capitani, li quali hanno offerido e concluso cum lor per danni, che lor hanno recevudi. Et impero supplicano humil e devotamente, che

piasa alla serenitade vostra de proveder a lor in tanto e de tanto, si como piaserà e parerà alla serenitade vostra de proveder; e questi sono i nomi de quelli sette: missier Luca de Stanze, ser Luca Stavicevich, ser Marco Stultich, ser Marco Ferro, ser Mladin da Radoge, ser Dessa de Giacomo, e ser Ratico Gogcich.

Ad quintum respondeatur, quod pro complacentia illorum septem capitaneorum contenti sumus et volumus pro restauratione damnorum suorum dare cuilibet eorum ad presens ducatos quinquaginta, et usque ad unum alium annum ducatos quinquaginta pro quolibet de introitibus Sibenici; et si ipsas pecunias habere non poterunt de introitibus Sibenici scribant nobis, quia faciemus illas dari in Venetiis.

Item sexto loco: perche per la divina inspiration e per la gratia del serenissimo dugal dominio e per bone opre de missier Lunardo e missier Zaccaria si e fatta e firmada bona paxe e union tra la vostra gente e i vostri servidori, quelli de Sebenico, li quali sono fuori, e quelli, li quali sono dentro, cum certi patti e convention, si como appar in lo scritto, lo qual havemo dado a lo cancellier del signor lo doye, supplicando humilmente, che el ve piasa confermar la ditta cum i dicti capitoli per el dugal privileggio, accio che el sia più ferma paxe tra li vostri servidori; e perche li nostri fratelli e servidori vostri, i quali sono . . . . el sono disfatte le loro case tutte e d' altri cittadini, i quali sono tutti forte poveri; e pero supplicano devotamente a la serenita vostra, ch' el ve piaza de gratia special conceder di cavar alcuna quantità de legname senza datio per conzar le case.

Ad sextum respondeatur: quod contenti sumus pacta et conventiones pacis inter cives intrinsecos et exititios celebrate per nostra ducalia privilegia confirmare; ad requisitionem autem lignaminis de Venetiis extrahendi dicimus, quod propter paucitatem lignaminis, que ad presens in Venetiis est, et propter necessitatem, quam presenti tempore habemus de tali lignamine pro factis huius guerre non videmus modum pro presenti posse suis requisitionibus satisfacere; sed cum erit habilitas, et sufficiens copia lignaminis in Venetiis, nos erimus parati sibi liberaliter complacere.

Item per settimo: similmente supplicano, perche alli ditti vostri servidori, li quali sono uscidi . . . . . hanno habude alcune subvention da lo serenissimo dugal dominio per fina, che li sia posti in lor stado in Sibenico, della qual sovention sono esside alcune cedule in parte, e pogamento in parte e in parte no; impero supplicano, che piasa alla serenità vostra d' adimplir la lor subvention, perchè siano forte a dixasio, lor case sono tutte desfatte, e lor non hanno portado niente.

Ad septimum respondeatur, quod placet nobis, sicut in capitulo continetur, et sic mandabimus observari.

Item per ottavo, perche missier Francesco . . . . . quando fo dado le torre del porto di Sebenico al dugal dominio, lui habiando la libertà, si ha improferto a sier Zuanne Naplavich e a sier Zuanne Tavelich lire CCCC a cadaun all' anno in vita de lor, e a Flor Tavilich lire dusento cum la ditta condition, e questo comenzando, quando intrano in Sibenico, siche supplicano, che li sia adimplido.

Ad octavum respondeatur, quod quia per informationem, quam habemus, illa promissio facta fuit, in casu quo illi cives tenerent modum, quod haberemus Sibenicum, quod non factum fuit, propterea non videtur nobis, quod simus obligati ad id, quod requirunt.

Item, perche la provincia de Dalmatia vaca de provinciale dell'ordine de san Domenego, e un nostro cittadin fra Simon, el qual si è assai solenne frar, che ha servido a lo serenissimo dugal dominio e a lo commun de Sebenico, quando fo per ambascador a far li patti della inclination allo dugal dominio; siche humilmente supplicamo, che el piasa alla serenità vostra de scriuer a lo maistro general de lo ditto ordine, che per amor del dugal dominio a lui piasesse de far e crear per provincial della Dalmatia el ditto fra Simon in quella forma, che pare, piase alla serenità dello dugal dominio.

Ad nonum respondeatur, quod fiat, sicut in capitulo postulatur.

Item perche ser Dessa de Giacomo da Spalatro è mo nostro cittadino e fradello, si è stado preso per el duca de Spalato, e si i gha tolto tutti i suo beni, e apresso questo se gha lassado piezaria de alcuni zentilomeni de Sebenico, che lui se debia presentar ad ogni requista del ditto duca over de lo so fio, e il detto Dessa si è stado principal cum missier Luca de far inclinar Sebenico a lo serenissimo dugal dominio, e per questa caxon tememo, che per lui non sia mandado, e ch' el sia costretto; si che quando fossemo a trattamento de questi fatti cum missier Lunardo capitanio del colfo e missier Alban provedador, supplicassemo de patto fra le altre cose, che el serenissimo dugal dominio fazza tal gratia, che per lo duca ne per lo so fiol, ne per nessun altro li plezi del ditto Dessa ne solo Dessa possa esser domandadi ne stretti in alcuna città, terra e luogo del dugal dominio; e anche quando el serenissimo dugal dominio havera el dominio de Spalato, che in quella mettera el ditto Dessa e li suoi heredi in stato lor pristino, tornando a lui tutte le soe possession e beni per qualunque muodo tolti o dadi e concedudi per lo duca a qualunche persona, e per lo simel de farli pagar tutto quello, che el commun de Spalatro è tegnudo, si come appar per le scritture de Tomaso cancellier de Spalato, e per lo simel de tutte altre special persone, dalle qual el die haver; et etiandio promeseno de far e proveder de provision, cum la qual el pora ben cum la sua famegia mantegnirse per fina, che el sera posto in tutto el so in Spalato; et impero non ostante la prommission supplicano humil e devotamente alla serenità del dugal dominio, che piasa adimplere questa improferta, e per li bisogni, che la signoria ha al presente, se non vi può esser mazor alcuna provision, che almanco i sia credudo, che el sia official in Sebenico de lo trintesimo o gabella del sal cum salario de ducati cento all' anno, e che lui sia tegnudo sempre de assignar bona e zusta rason, e questo fin a tanto, che lui serà posto in lo so in Spalato, perche nui se rendemo certi, che lo fidiel servitor stado si é e sarà per sempre allo serenissimo dugal dominio. E quando vora la serenitade vostra a pien veder de tutto fatto habbia information, e partecipation cum solo missier Luca e missier Lunardo capitanio del colfo per simile poderetila haver; e questo pur se podesse mantegnir.

Ad decimum respondeatur, quod contentamur, et effectualiter faciemus, quod dictus ser Dessa sive fideiussores sui per ducam Spalati vel filium suum aut alios nomine suo non cogantur ad aliquid in aliqua terra vel loco contra eorum voluntatem vigore aliquarum promissionum, quas fecissent dicto duci seu filio suo; et si terra Spalati nostre dominationi subiaceretur, restituemus eum et suos heredes in bonis et possessionibus suis, et contra debitores suos sibi ius et iustitiam fieri integre faciemus; ad factum autem officii gabelle salis, quod petit, quia de tali offitio non habemus informationem, deliberate respondere non possumus, sed scribemus nostris rectoribus Sibenici, quod de illo officio habeant eum cum suo commodo recommissum; et si bene faciet, sicut speramus, quod confirment eum de tempore in tempus.

Item, perche si è de besogno alla serenitade vostra de tegnir fusti armadi, et in la città vostra sono certi famuli frusteri, li quali non s' hanno di che mantegnir, perche sempre sono usadi derobar e star in fatti d' arme, cioe fanti da pè, et adesso vien requisti per li Traurini, e dubitamo, che li non andasseno, perche li fariano pluy danno diese de lor che trenta Tragurini; et impero supplicamo alla serenità ducal, che 'l ve piacqua de dar una galiota cum paga della zente e solo biscotto a missier Luca de Stranze, che lui l' armasse, e stesse sempre alli servisi e comandamenti del dugal dominio, e questo per poder mantegnir li ditti fanti.

Ad ultimum capitulum respondeatur quod placet nobis, quod fiat et observetur, sicuti in capitulo continetur.

Item in libro quinto secreto rogatorum sunt alia capitula Sibinicensia, ad cartas 74.

Commemorialium X. 144. Secr. cons. rog. V. 74, u mlet. arkivu.

God. 1412. 30. prosinca, u Mletcih.

Mletačka vlada potvrdjuje mir sklopljen medju unutarnjimi i izvanjskimi Šibenčani.

Pacis instrumentum inter cives intrinsecos et extrinsecos. 1412. die 30. decembris. Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis presentibus et futuris presens nostrum privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Divinis monitis et humanis moribus invitamur, et illustrium precessorum nostrorum et urbis nostre naturali quadam virtute solicitamur, ut civitatum et populorum nostro dominio subiectorum non modo conservationi sed augumento civiumque paci et concordie, unde plurima bona et innumera commoda proveniunt, summa cum diligentia vigilemus. Cum itaque alias ex certis animorum fluctuationibus inter cives et populum civitatis Sibinici, malignante humani generis inimico, nonnulle divisiones et discordie suscitassent, adeo ut inter se violentas manus iniecerint, et multa alia, que erant ipsius civitatis odium paritura, commiserint, demum que divisis animis et potentiis nonnulli ex eis in alios insurgentes, quosdam extra civitatem et domos proprias expulissent, qui per aliquod temporis spatium patrie dulcedine caruerunt. Exinde civitas ipsa longis inquietata

disturbiis, variisque lassata laboribus, quieti se se reddere cupiens, ad nostre ditionis suave iugum, deo annuente, pervenit. Nobiles et sapientes viri Leonardus Mocenico noster capitaneus generalis culfi et Zacarias Trivisano miles iuris utriusque doctor tunc provisor, dilecti et honorabiles cives nostri, qui ipsius civitatis Sibinici corporalem possessionem et tenutam unanimi civium et plebis assensu vice nostri dominii susceperunt. Ipsorum civium et fidelium nostrorum intrinsecorum et extrinsecorum conditionibus, et inquietudinibus ponderatis, nostros et nostre reipublice mores laudabiles immitantes, illiusque civitatis saluti et civium universorum consolationi et utilitati consulere cupientes, eosdem cives et fideles nostros invicem, ut predicitur, dissidentes, ad vere pacis dulcedinem animorumque conformationem solicitis studiis reduxerunt. Quorum consiliis et salutiferis persuasionibus adherentes ipsi cives et fideles nostri, sibi ipsis proprieque saluti utiliter consulentes, et illiusmodi recti consilii semitam retinentes, sepositis rancoribus, mutuis odiis, iniuriis et animorum fluctuationibus, ad veram unitatem, concordiam, quietem et pacem per modos et formas infrascriptas sincera dispositione, pura fide et recto animo devenerunt. Vos itaque huiusmodi laudabile et salutiferum opus, ex quo civitati et civibus incrementa perficient, permaxime comendantes, ipsorum civium et fidelium nostrorum honestis supplicationibus inclinati, huiusmodi vere paci et concordie, propitiante domino, perpetuis temporibus durature autoritatem nostram interponere statuimus, et eam cum solemnitate nostrorum consiliorum cum capitulis, modis et conditionibus inferius declaratis approbamus, et per hoc nostrum ducale privilegium confirmamus. Tenor autem et forma dicte pacis et concordie talis est, videlicet:

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo duodecimo, indictione V, die XX mensis novembris. Dominante illustri et excelso domino Michaele Steno duce Venetiarum etc. domino nostro specialissimo semper gratiosissimo; equidem tempore nobilis et egregii viri domini Leonardi Mocenico de Venetiis generalis capitanei culfi dignissimi, nec non tempore strenui, generosique militis domini Zaccarie Trevisano utriusque iuris doctoris eximii floribusque eloquentie ac sapientie purpurati pro excelsa Venetiarum dominatione civitatis Sibinici dignissimi provisoris, atque tempore reverendi in christo patris et domini domini Bogdanii dei et apostolice sedis gratia episcopi Sibinicensis dignissimi, ac etiam tempore nobilium egregiorumque virorum domini Joannis Missich, ser Luce Cosicich ser Marci Schiulcich et ser David Sfistich tunc rectorum civitatis Sibinici Actum Sebinici in palatio communis Sebinici residentie semper dominorum comitum Sebinicensium.

Ad vernose arboris pomum, quo primus humani generis deceptor Eva extitit mediante, posteritatem nostram gustu consilium tossicavit, unde ramusculi, a vitiatis radicibus propagati, vitiis carere non possunt. Quare in originariam labimur culpam, et reflexibiliter prothoplausti iaculis vulneramur; et licet dei et hominum mediator post incarnationis misterium primo opposuerit vulneri medicinam, eiusdem tamen humani generis inimicus laborat nihilominus et molitur continue, pacem inter filios adoptionis infusam fraude deceptibili perturbare. Unde inter Sebe-

nicenses presentes, qui pro aliquo temporis spatio extra civitatem Sebenicensem fuerunt, a prelibata Sebenicensi civitate absentes ex una parte, et intrinsecos ex alia parte occasione cuiusdam disturbii facti in antedicta civitate Sebenicensi tantam scandali materiam seminarit, quod inter utrasque partes multa homicidia, multe diverseque sanguinum effusiones, multa spolia et derobationes, multa etiam alia enormia multeque inimititie sunt evidenter exorte; ille tamen, qui pacem et humilitatem dilexit interque suos apostolos dulcissime predicavit, quibus ipsam pacem in hereditatem dimisit, dicens: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; ad quam quidem pacem ille dominus pacificus cunctipotens, creator celi et terre, deus, qui in ethimologia sui vocabuli pacificus, secundum Isidorum ethimologiarum importat pacificus, quasi pacem faciens; qui dominus pacificus tam pacis quam aliorum bonorum cunctorum largitor, teste apostolo Jacobo in epistola sua ait, dicens: omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, in quo nulla est discrepatio nec vicissitudinis obumbratio. Quibus quidem premissis, sequitur evidenter, quod presens pax pacisque vinculum presens inter predictas ambas partes civium Sebenicensium tam intrinsecorum quam etiam extrinsecorum ab ipso cunctipotente domino pacifico deo processit, cui cunctipotenti et quodammodo de tante pacis et largitatis dono ingrati minime videamur. Idcirco nos cuncti sedula oratione dicamus: gratias agimus tibi cunctipotenti deo, qui trinus et unus vivis et regnas per infinita secula amen, qui inter predictas Sebenicensium partes ambas Sebenicenses ad ipsam pacem pactis, remissionibus et conventionibus et modis infrascriptis humiliter se inclinavit. Hinc est, quod nobiles viri ser Lucas Constantii Cosicich, ser Rateus Boycovich, ser Lucas Schavicevich, ser Marcus Schiulcich, ser Marcus Gozdenich, ser Maladinus quondam Radoy cives intrinseci et capitanei civitatis Sebenici pro se ipsis et eorum filiis, heredibus et successoribus suis ac vice et nomine totius universitatis et communitatis Sebenici, habentes ad (hoc) plenum generale mandatum a tota communitate et universitate tam nobilium quam populariorum intrinsecorum civitatis Sebenici ex una parte, et reverendus in christo pater et dominus dominus Bogdanus dei et apostolice sedis gratia episcopus Sebenicensis condignus nomine suo ac nomine et vice Georgii Vesci nepotis sui, pro quo promisit de rato dominus Michael Dimincich cancelarius Sebenicensis, dominus Joannes Missich miles pro se et suis heredibus, pro quibus promisit de rato ser Joannes Naplavich pro se et vice Michaelis filii sui, pro quo promisit de rato ser Joannes Michael Marini pro se et vice ac nomine suorum filiorum, pro quibus promisit de rato ser Joannes Petri Tavilich pro se et filiis suis, pro quibus promisit de rato ser Flore Petri Tavilich pro se ipso et pro filiis suis, pro quibus promisit de rato ser Nicolaus et ser Radoslavus Mitketich fratres pro se ipsis ac nomine et vice filiorum suorum, pro quibus promiserunt de rato ser Thomas Jurich pro se ac nomine et vice filiorum suorum, pro quibus promisit de rato ser Joannes Danielis Marini pro se et suis heredibus, pro quibus promiserunt de rato ser Stephanus Zichimich, ser Zibrianus Charvissich pro se et filiis suis, pro quibus promisit de rato ser Damianus Miresich pro se et heredibus, pro quibus promisit de rato ser Petrus

Petrovich, ser Joannes et ser Franciscus fratres et filii quondam Stantii Cognovich pro se et eorum heredibus, pro quibus promiserunt de rato ser Radoslavus Sisgorich et ser Laurentius Lignicich pro se et suis heredibus, pro quibus promiserunt de rato ser Paulus Bentich, ser Georgius Radoslavich, ser Nicolaus Petrovich, ser Nicola Ratchavich, ser Simon Nercich, Petrus prothomagister, Laurentius Bora, qui supradicti fuerunt extrinseci, nunc vero sunt presentes pro se ipsis ac eorum heredibus et successoribus, et nomine ac vice suorum familiarium complicium et sequacium ex alia parte inter se, et una pars alteri et altera alteri vicissim de eorum bona, spontanea et unanimi voluntate; christi, ut predicitur, nomine invocato, libere fecerunt perpetuam pacem, tranquillitatem, remissionem, transactionem et concordiam, cum pacto de ulterius aliquid non dicendo, faciendo, tractando, impropedando vel inovando sub his penis, modis, pactis, conventionibus et capitulis infrascriptis:

Primo videlicet quod omnes et singule sanguinum effusiones, vulnera, homicidia, spolia, derobationes, violentie, iniurie, damna, offensiones, invasiones et omnia crimina ac delicta parva et magna hinc inde facte et facta, perpetrate et perpetrata, commisse et commissa ac die vigesimo mensis augusti millesimo quadrigentesimo nono vel circa usque ad presentem diem palam vel occulte, quocunque modo vel causa, remittantur, aboleantur et sopiantur, et ex nunc pro remissis, abolitis et sopitis penitus et totaliter habeantur, ita et taliter, quod de predictis nec aliquo predictorum nulla unquam mentio fiat nec fieri debeat in eternum.

Item si quis ex utraque parte intrinsecorum et extrinsecorum ullo unquam tempore unus alterum improperando diceret: tu es mihi culpabilis in sanguine vel in spoliis vel in violentia vel in similibus verbis ampullosis et iniuriosis, irremmissibiliter solvat communi Sebenici nomine pene libras quinquaginta parvorum infra dies octo proxime secuturos ab inde; et si quis predictorum extraheret aliquod genus armorum unus contra alium, pro sola evaginatione solvat communi predicto nomine pene libras centum parvorum; et si percuteret eum sanguinis effusione solvat dicto communi libras ducentas parvorum; et si vulnere percuteret, pena debeat duplicari; et si interficeret, pena capitis puniatur irremmissibiliter.

Item si quis predictorum aliquam faceret coniurationem, initionem, tractatum, conspirationem vel insultum in preiudicium boni et pacifici status Sebenici et etiam status illustrissimi ducalis dominii Venetiarum, quod per inquisitionem et examinationem super inde fiendam, et evidenter, palam et manifeste probaretur, per civitatem strassinetur, et in partes quattuor squartetur.

Item si qua dominarum et aliarum mulierum per aliquod tempus alicui improperaret et diceret improperium aliquod de predictis, quod nomine pene solvat ad dies octo libras viginti quinque parvorum; et si plus quam una vice diceret tale improperium, pena debeat duplicari, et in arbitrio domini comitis et eius curie Sebenici sit, ipsas confinare, ubi ipsis placuerit et melius videbitur; executionemque predictorum omnium facere debeat dominus comes Sebenici, qui pro tempore fuerit, pena periurii, secundum quod in privilegio ducalis dominii continetur.

Item quod omnes extrinseci, exceptis illis, qui per presentia pacta erunt et sunt exclusi, sint liberi et securi veniendi et venire possendi in pace et quiete in civitate Sebenici, ibidemque habitandi, et eorum et cuilibet eorum omnibus suis bonis stabilibus gaudendi, usufructuandi, ipsaque perpetuo possidendi pacifice et quiete, uti prius et ante disturbium factum in civitate Sebenici usufructuabant et possidebant; volentes et declarantes, ut si quis extrinsecorum tenebatur alicui intrinseco vel communi Sibenici aliqua causa, et illi tales creditores fecerint aliquid vendere de bonis stabilibus extrinsecorum per tenutam pro dicto debito, quod illi tunc creditores, si soli per se emerint dictas possessiones, statim ipsas debeant restituere, et illi tales debitores teneantur debitum solvere, cum hac conditione, quod si reperietur, quod instrumentum debiti sit incisum creditori vigore dicte sententie, aut esset perditum quovis modo, et non reperiretur, et si nota reperiri possit, quod debeat extrahi in publicam formam, et si non reperiretur nota, quod secundum venditionem et mentionem factam in venditione dicte tenute de quantitate debiti, et ita debeat in publicam formam extrahi, ut non fraudetur ullo modo debitum creditorum. Volentes, quod si aliquis emptorum aliquid melioramenti fecerit in tali possessione empta, quod dominus possessionis debeat tale melioramentum solvere emptori; et si talis creditor per talem modum vendiderit de bonis dictorum alicui alteri, et pecunias receperit ab emptore, quod commune teneatur statim pecuniam restituere emptori, et dictus creditor ponatur in possessione debiti, et faciendo ei instrumentum, ut supra dictum est. Et similiter si commune vendider t aliquid de bonis stabilibus predictorum pro debito, et pecunias acceperit ab emptore, quod commune teneatur restituere et solvere dictas pecunias predictis emptoribus, et quod dicti extrinseci debitores, quorum bona sunt vendita, non possint nec valeant aliquid dicere vel opponere contra debitum creditoris; quod si aliqua solutio esset facta vigore dicte tenute in preiuditium dictorum creditorum, quia voluerunt et declaraverunt, quod quilibet de predictis sic peractis remaneat et esse debeat quantum ad predicta in eo esse et statu, in quo fuerunt tempore pacis et ante disturbium factum, quod dicti extrinseci remaneant in ipsorum possessionibus, et creditores in pristinum statum de ipsorum instrumentis debiti.

Item si quis intrinsecorum habuit aliquid de bonis extrinsecorum in depositum aut in salvum, et tenuit occulte a capitaneis et ab illis, qui regebant, et pro se tenuit sine voluntate predictorum, quod ille talis, qui pro se retinuit sine dictorum voluntate, teneatur reddere et restituere illi vel illis, cui vel quibus fuerint dicta bona; et etiam si qua animalia vel possessiones alicuius predictorum aliquis habuit vel habet, vel sales aut mercimonia, vel pecunias, que vel quas capitaneus vel illi, qui regebant seu rexerunt illis temporibus, non dimiserunt, aut non dederunt ipsis vel ipsi, sed ille vel illi tales pro se receperunt, nihil dando communi, quod ille vel illi, qui per tale modum receperint, debeant in totum et integraliter cum fructuum et proventuum restitutione reddere et restituere illi vel illis, cui vel quibus fuerint dicta bona. Et e converso similiter si quis extrinsecorum aliquid habuerit de bonis intrinsecorum ut supra quoquomodo vel causa, de quibus omnes alii nobiles

non receperunt nec habuerunt partem, dividendo inter se, et ille vel illi tales, qui receperunt vel usufructuaverunt aut tenuerunt, quod totaliter teneantur reddere et restituere integraliter proprietatem cum omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus illi vel illis, cui vel quibus fuerint dicta bona vel possessiones ut supra.

Item quod id et totum quicquid fuit et est factum, sententiatum, et signanter sententia lata contra illos de prole seu progenie illorum Dracgoievich, vel expeditum, vel obligatum de bonis communis Sebenici, exceptis bonis stabilibus communis Sebenici per capitaneos et alios officiales, qui regebant vel rexerunt tempore presentis guerre, et quicquid extitit per eos vel per maiorem partem ipsorum gestum, factum, expeditum vel obligatum et operatum de bonis communis ut supra, quod sit ratum et firmum, ac si esset factum et obligatum, sententiatum, gestum et operatum per generale consilium Sebenici, non preiudicando in aliquo in bonis extrinsecorum.

Item quod omnes et singule littere, privilegia et scripture quoquomodo vel causa et sub quacunque forma facte et impetrate a quocunque dominio et communitate et a quibuscunque personis per commune Sebenici et intrinsecos contra extrinsecos et per extrinsecos contra intrinsecos vel per aliquem ipsorum a die disturbii supradicti citra usque in presentem diem cassentur, annullentur et irritentur, et ex nunc pro cassis, irritis et annullatis habeantur ita et taliter, quod nullum robur obtineant firmitatis.

Item quod omnes et singule cedule facte per regimen et per capitaneum a die disturbii facti citra quoquomodo cuicunque persone, et etiam ille, que sunt facte ante tempus pacis, quod omnes solvantur et solvi debeant per commune Sebenici de bonis communis.

Item quod omnes et singuli masculi et femine de prole seu de progenie ipsorum de Dragoievich cum eorum uxoribus, filiis et filiabus et ipsorum descendentibus natis et nascituris in perpetuum, excepto Michaele, qui remaneat in eo esse et sub conditione, ut continetur in sententia contra ipsam lata per supradictos capitaneos, quod sint et esse debeant perpetualiter et in eternum banniti a civitate Sibenici et eius districtu, et quod omnia et singula ipsorum bona stabilia et mobilia, iura et actiones deveniant ad manus nobilium, qui sunt ellecti ad hoc videlicet: domini Joannis Missich militis, ser Luce Stantii, ser Ratci Goyach, ser Mladini Radoy et ser Radoslavi Sisgorich, qui nobiles debeant dicta bona vendere et distribuere per cives tam intrinsecos quam extrinsecos damna passos in presenti guerra pro rata, ut ipsis melius videbitur, et hoc, quia ipsi et eorum antecessores semper fuerunt et sunt causa totius mali et disturbii facti in civitate Sebenici prodicta, et quod ex nunc nulla persona, cuiuscunque conditionis et status existat, ullo unquam tempore audeat vel presumat recordare aut dicere vel petere in eternum, quod in aliquo contra predicta ipsis vel alicui ipsorum presentium et futurorum fiat gratia vel remissio, quod ille vel illi tales, qui primo recordabunt, quod pro infidelibus et rebellibus habeantur, et contra ipsos seu aliquem ipsorum debeat procedi tanquam contra infideles et rebelles. Et si domini rectores vel iudices aut consiliarii, qui pro tempore fuerint, contra id petitionem aliquam reciperent, pro-

ponerent vel attingerent aut ballottarent, quilibet ipsorum cadat ad penam capitis pro quolibet, qui rogaret, proponeret, arrengaret vel ballottaret, et pro qualibet vice. In punitione rectoris nostri, si faceret contra predicta, dominationi nostre reservetur arbitrium, sed bene providebimus et mandabimus per modum, quod de predictis se non impediant, et sic iniungatur in eorum commissione.

Item quod omne id, et totum, quod fuit et est factum et sententiatum per capitaneos illo tunc tempore, quando dictus Petrus dedit ipsis regimen Sibenici ad manus, et etiam quod examinatores illo tunc factos et iudices camporum et omnes alii officiales, quod in illo tempore durante ipsorum offitio, quidquid est factum per eos, quod valeat et teneat in totum; volentes et declarantes, quod omnes illi examinatores, qui fuerunt et sunt facti sive creati quocunque modo durante guerra, quod ex nunc cassentur, et de novo debeant creari per generale consilium, ut moris est, tot quot videbitur dicto consilio; et quod omnes illos examinatores, qui sunt facti tempore pacis, exceptis illis, qui sunt exbanniti, debeant retineri et remaneant pro veris et legitimis examinatoribus et officialibus in eorum offitiis, non preiudicando in aliquo, si aliquid esset factum per eos omnes supradictos contra bona extrinsecorum predictorum.

Item quia ser Joannes Tavilich debeat et teneatur dare ser Nicolao Belisse de Spalato certam quantitatem pecunie pro cera ab ipso empta ad certum terminum per ser Mladinum Radoi illo tunc procuratore dicti ser Joannis, et extitit obligatus dictus ser Joannes per dictum suum procuratorem dicto ser Nicolao pro dicta cera, quam ceram idem ser Joannes misit pro emendo guadum, et etiam dictus ser Joannes Tavilich teneatur dare et solvere certam quantitatem pecunie Joanni Gauario de sancto Angelo in vado pro certa quantitate guadi, quod guadum totum tam pro cera quam pro debito dicti Joannis Gauario fuit et est repertum in tentoria per commune Sibenici tempore disturbii facti, et de quo guado commune Sibenici habuit et recepit integraliter duas partes et ser Antonius et ser Nicolaus Mauri fratres habuerunt et receperunt partem tertiam totius guadi, dicentes, ipsorum esse; et ideo dicte partes voluerunt tam intrinsecorum quam extrinsecorum, quod commune Sibenici debeat et teneatur solvere duas partes de dicto debito, in quo tenetur idem ser Joannes Tavilich dictis ser Nicolao Bilse et ser Joanni Gauario pro dicta cera et guado, et quod bona ser Antonii et ser Nicolai Mauri fratrum debeant solvere tertiam partem totius debiti supradicti, et quod bona communis Sibenici et bona dictorum fratrum pro rata debeant de toto dicto debito dictum ser Joannem Tavilich et suos heredes et successores, et eorum bona indemnes conservare et relevare de omni damno; volentes et declarantes, quod idem ser Joannes Tavilich debeat iurare, si aliquid et quantum habuit vel recepit de dicta quantitate guadi, et illo tunc, si cum iuramento dicet, quod et quantum habuit et recepit, quod tantum debeat sibi diffalcari, quantum ipse cum suo iuramento dixerit de supradicta quantitate.

Item quod ser Antonius Mauri et Dismanus Slavogostich, quia emerunt In Zaton de possessionibus domini Nicolai Todosii, que fuerunt vendite pro debito domini Francisci comitis de Ostrusaz per tenutam;

et ideo si dominus Nicolaus vult dictam possessionem habere, teneatur dare et solvere pecuniam heredibus dictorum Antonii et Dismani, pro qua ipsi emerunt dictam possessionem, et si non, quod dicta possessio remaneat heredibus dictorum emptorum; et quandocunque reddet eis dictam pecunie quantitatem, quod sibi reddatur dicta possessio.

Item quod omnes ille vigintiquinque domus civium Sebenici, que sunt modo noviter facte de consilio et numero consiliariorum civitatis Sebenici, quod pro veris et legitimis consiliariis habeantur, et toto tempore ipsi omnes et omnes eorum filii et descendentes legitimi possint habere et retinere rectoratus, iudicatus, dignitates et officia et omnes alios honores et omnes alias preminentias et omnia alia officia et dignitates, que dari, haberi et obtineri possunt in dicta civitate Sebenici, nullo statuto nullaque reformatione dicti communis huic capitulo in contrarium loquente nec obstante, si quod vel si que contrarium vel contraria reperiatur.

Item si hucusque a die disturbii facti in civitate Sebenici citra datum aut promissum esset seu obligatum per extrinsecos vel intrinsecos seu per aliquem ipsorum de bonis communis stabilibus aut specialium personarum alicui dominio, communitati, nobili vel alteri persone, cuiusvis status existat, titulo donationis, venditionis vel obligationis seu alio quovis titulo et quacunque de causa, quod datio aut promissio, venditio vel donatio aut obligatio talis non valeat nec teneat ullo modo, imo dicta bona sic data aut promissa remittantur et perveniant in commune si fuerint communis, et si specialium personarum, in easdem debeant pervenire.

Item si que essent publica instrumenta, quibus precurisset prescriptio, quod dicta instrumenta remaneant in illo esse, in quo erant tempore in principio disturbii suprascripti, ita quod a dicto tempore citra non intelligatur in aliquam prescriptionem incurisse.

Item quod omnes supradicti extrinseci debeant venire coram magnificis et potentibus dominis Leonardo Mocenico capitaneo generali culfi et coram strenuo generosoque militi domino Zaccaria Trevisano utriusque iuris doctore eximio in Sebenico provisore de mandato serenissime dominationis Venetiarum, et ipsis coadunatis coram dictis dominis ad sancta dei evangelia, corporaliter tactis sacris scripturis et reliquiis sanctorum, debeant iurare, confirmando et approbando dictam pacem et hoc et singula in presenti instrumento contenta et in quolibet capitulo eiusdem. Et modo simili capitanei et rectores totius universitatis Sebenici cum aliis omnibus nobilibus intrinsecis et cum certis aliis, sicut videbitur nobilibus extrinsecis, debeant iurare ipsam pacem, ut predicitur, ratificando et confirmando, de qua ratificatione et iuramento fiendo in presenti capitulo Sebenici fieri debeat cum rogationibus notarii publicum instrumentum, presenti paci addendo; et si quis predictorum a longe esset, qui tunc iurare non posset, sit in arbitrio domini comitis et iudicum Sebenici illum terminum eis dare, qui videbitur regimini conveniens, ut veniant ad iurandum; et similiter dare terminum illis, qui non venerint ad iurandum, possendo venire, eisdem dominis uti videbitur et placebit; et ille qui non veniret ad iurandum infra terminum sibi datum, postea non veniat ullo modo, sed ab extra remaneat,

et sit et esse debeat in eadem pena, et sub simili modo ipsorum bona venient, et exbanniantur sicut illi Dragoievich.

Item quando dominus comes venerit, et subsequenter quilibet comes, rectores et iudices in principio regiminis debeant iurare primo observare et facere observari toto posse hanc pacem et omnia et singula in ea contenta, et subsequenter observare statuta, reformationes et consuetudines civitatis, dummodo ista non sint contra formam privilegii nostri dicte communitati concessi.

Item quod quam citius fieri possit mittantur quattuor ambaxatores ad serenissimum ducale dominium Venetiarum, qui ambasciatores primo debeant humiliter et devote cum omni debita reverentia et inclinatione se inclinare, et civitatem Sebenici et omnes cives eiusdem recomendare et offere; postmodum intimare et manifestare, quomodo divina inspirante gratia et excelsi dominii Venetiarum intuitu et gratia mediante inter intrinsecos et extrinsecos Sebenici pax ipsa et concordia, eorum propria et spontanea et unanimi voluntate facta est, conclusa et firmata, in perpetuum duratura, dictamque serenissimam dominationem Venetiarum humiliter et devote cum omni reverentia et inclinatione debita rogando, et supplicando, ut ipsorum serenitas dignetur de gratia speciali omnia et singula confirmare et facere adimplere et observare pro bono pacis civitatis predicte, et de ipsorum benigna gratia dignetur ex propria ipsorum bonitate et speciali gratia pro bono statu huius civitatis, ut partis utriusque animi non audeant contra predicta cogitare nec se movere ad ipsam pacem quomodolibet infringendam, precipiendo sub gravissimis penis, quod una pars alteri et altera alteri ad invicem omnia et singula suprascripta immemorabiliter observabit; et si qua pars contra aliam infringeret et se moveret, una aliam expellendo, et ipsam pacem homicidiis, spoliis et sanguinum effusione violando, quod dicta serenissima ducalis dominatio debeat venire contra illam partem pacem frangentem, et contra ipsam insurgere et iustitiam ministrare, ut in capitulis supra scriptis continetur; et quod dicti ambasciatores debeant humiliter et devote supplicare, quod dicta confirmatio appareat per ducale privilegium cum bulla.

Quam pacem et concordiam et omnia et singula in dicta pace contenta dicti domini capitanei intrinseci ibi presentes et extrinseci suprascripti sibi ipsis et vice et nomine quibus supra ad invicem prestito solemni iuramento super libro evangeliorum et cruce iurando promiserunt inviolabiliter observare, et toto eorum posse, omni fraude remota, facere observari, et non contrafacere vel venire per se vel alios quovis modo sub penis superius declaratis, imo operari et facere et procurare, quod omnia et singula suprascripta et in singulis capitulis huius pacis contenta confirmentur per litteras seu privilegia serenissime dominationis ducalis dominii Venetiarum.

Quare volumus, et cum auctoritate nostrorum consiliorum omnibus rectoribus, officialibus, subditis et fidelibus nostris tam Sebenici quam ceterorum locorum nostrorum in partibus Dalmatie et alibi constitutis presentibus et futuris, ad quos predicta vel aliquod eorum pertinent vel in futurum poterunt pervenire seu pertinere, expresse mandamus, quatenus ipsam pacem et concordiam, omniaque et singula in

ea contenta, iuxta formam presentis nostri authentici privilegii, quantum ad eos et unumquemque eorum attinet, attendere, adimplere et observare debeant, ac per alios attendi et adimpleri faciant, et inviolabiliter observari. In premissis autem fideque premissorum, et evidentia manifesta hoc nostrum ducale privilegium patenter fieri iussimus, et nostra bulla plumbea pendente muniri.

Data in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo quadringentesimo duodecimo, die XXX mensis decembris, indictione VI.

Commemorialium X. 140. in arch. ven. Diplomatarium Sibenicense in bibl. Vien. cod. 13.461. p. 78.

God. 1412. 30. prosinca, u Mletcih.

Republika doznačuje Luki Kosičiću 300 dukata na godinu zato, što je nastojao, da joj se Šibenik predade.

Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus, et tam presentibus quam futuris, ad quos presentes advenerint, salutem et dilectionis affectum. Habet hoc naturaliter insitum nostri ducalis culminis providentia, ut suis fidelibus servitoribus, illis maxime, quos probata virtus et opera manifesta commendant, se gratiosam et liberalem exhibeat, eisque suorum meritorum premia condigne rependant. Quamobrem nos, qui sumus in hoc ducali culmine constituti, curis solicitis vigilantes huiusmodi liberalitatis et gratitudinis officium non modo imitari, verum etiam augere; advertentes et mature considerantes fidelitatis ardorem, opera laudabilia et indefessa servitia, quibus egregius vir Lucas quondam Stantii Cosicich, nobilis civis et fidelis noster civitatis nostre Sibenici, pro honore et exaltatione status nostri, presertim ut ipsa civitas Sibenici, innumeris distracta laboribus, sub umbra nostri dominii reducta quiesceret, tam prompte quam fideliter insudavit; cupientesque sibi horum operum suorum et fidelium meritorum intuitu retributionibus congruis providere, notum facimus universis, quod cum authoritate nostrorum consiliorum, que in huiusmodi negotiis requiruntur, firma deliberatione decrevimus, quod idem Lucas, donec vixerit, a nostro dominio habere et percipere debeat de provisione ducatos trecentos boni auri et iusti ponderis annuatim, que provisio incipiat et incepisse intelligatur a die, que ipsius civitatis Sibenici tenutam et possessionem liberam habuimus. Intendentes nihilominus, ipsum Lucam in aliis suis commodis et honoribus habere apud nostrum dominium gratiosis favoribus recommissum. In premissorum autem fidem et evidentiam presentes nostras patentes literas fieri iussimus, et nostra ducali bulla plumbea pendente muniri.

Data in nostro ducali palatio die XXX mensis decembris, indictione sexta, MCCCCXII.

Commemorialium X. 144, u mlet. arkivu.

God. 1413. 3. siečnja, u Mletcih.

Naloženo kapetanu pomorskomu, neka pomoću Šibenčana pokuša, bili mogao predobiti Trogir, drugako neka sve naokolo onoga grada opustoši, te se u Mletke povrati.

1412. die 3. ianuarii. Capta in consilio C. Cum per ambaxiatores fidelis comunitatis nostre Sibinici, qui huc venerunt causis omnibus manifestis, data fuerit informatio nostro dominio, quod, si presentialiter fieret aliquod sforcium et insultatio contra terram Tragurii, de levi nostra dominatio, attentis terminis, in quibus est, et favore, que haberemus a fidelibus nostris Sibinici, intentum suum de illa terra obtinere posset, et quando hoc presentialiter fieri posset, saltem non deficeret, quin molendina sua, de quibus maxima comoda suscipiunt, comburerentur, et similiter sibi fierent de multis aliis damnis et guastis, propter que forent astricti cicius declinare ad obedientiam nostri dominii. Et ut melius et potentius dicta insultatio fieri possit, et etiam ut nostra dominatio prestius suum obtineat intentum, obtullerunt se dicti nostri fideles armare deinde barchas in bona quantitate pro eundo cum capitaneo nostro culfi ad dictam terram Tragurii, et etiam ire per terram cum bona quantitate fidelium nostrorum deinde pro loquendo cum dictis Tragurinis pro inducendo illos ad obedientiam nostram, et pro querendo et faciendo potenter et bono animo ea, que sint honoris nostri dominii, ut dicta terra veniat ad manus nostras. Et considerato bono animo et voluntate, quam ipsi nostri fideles Sibinici videntur habere, ut obtineamus intentum nostrum de terra predicta; attento etiam quantum faceret pro statu nostro habere illam absque ulteriori gravedine et expensa seu perditionem temporis, sit non solum utile, sed necessarium providere; vadit pars, quod scribi debeat per nostras literas capitaneo nostro culfi de informatione nobis data per ambaxiatores predictos, ac etiam de oblationibus nobis factis, sicut superius dictum est, mandando dicto capitaneo, quod examinatis omnibus suprascriptis et omnibus aliis, que deinde habere poterit circa istam materiam simul cum rectore nostro Sibinici, debeat, in quantum eisdem videatur, quod accessus suus ad dictam terram Tragurii cum omnibus galeis sibi comissis et barchis ac gentibus supradictis possit esse utilis et fructuosus intentioni nostre, datis ordinibus utilibus et necessariis, ire cum bono ordine et regula ad querendum et investigandum de obtinendo intentionem nostram de terra predicta per illas vias et modos, quos noveritis utiles, proficuos et opportunos, ita quod divina gratia mediante, solicitudine et provisionibus suis, nostra dominatio suum obtineat et sortiatur intentum. Quando vero videret non posse intentionem nostri dominii ad effectum ducere de terra predicta, tunc debeat ipse capitaneus per omnes vias et modos possibiles inferre et inferri facere dicte terre et eius districtu ac subditis suis atque bonis quecunque damna quocunque poterit, ut sentiant ostinantiam et duriciem suam ipsis fuisse nocivam, habendo tamen in omni casu bonum respectum, advertentiam et considerationem ad conservationem hominum galearum et barcharum secum existentium, sicut de sapientia vestra plene confidimus. Et facto quicquid boni poterit circa intentionem suprascriptam, seu si deliberaret, non esse bonum nec

stile ire presentialiter ad exequendum suprascripta, debeat, non perdendo aliquod tempus, dimissis ad custodiam terrarum et locorum nostrorum Dalmatie, et pro assecurando navigia et culfum nostrum, una ex galeis culfi de Venetiis et una de Candida ex melius armatis, ponendo etiam ipsas duas galeas bene in puncto et in ordine hominibus tam de hominibus aliarum galearum quam de aliis, quos reperire poterit et de aliis rebus opportunis, venire Venetias cum aliis galeis et galeotis de Venetiis ad disarmandum, licentiando etiam alias galeas de Creta, ut reverbantur in Candida ad disarmandum. De parte omnes alii, non 4, non sinceri 5.

Secreta consilii rogatorum 5., u mlet. arkivu.

God. 1413. 10. siečnja, u Mletcih.

Nalaže se kapetanu kulfa, neka se povrati u Mletke, ostavivši za sobom dvie galije, koje će paziti na siegurnost mora i na suzbijanje trogirskih oboružanih brodova.

1412. die 10. ianuarii. Capta in consilio centum. Quod scribatur et mandetur capitaneo nostro culfi, quod recepto presenti nostro mandato, dimissis ad custodiam locorum nostrorum Dalmatie et pro assecurando navigia illac transeuntia una galea de Venetiis et una de Candida, illis videlicet, que ei videbuntur, debeat reverti Venetias cum aliis nostris galeis et galeotis de Venetiis ad disarmandum, licentiando alias galeas Crete, quod revertantur in Candidam ad disarmandum; informando etiam eum, quod per presentem barcham sibi mittimus ducatos mille ducentos auri, quos volumus per ipsum dispensari in subventionibus dandis hominibus dictarum duarum galearum, quas dimittet et ordinabit remanere debere, avisando regimen nostrum Crete de eo, quod dederit unicuique hominum galee predicte de Candida, ut illam pecuniam poni facere possit ad eorum computum et rationem. Mandando supracomitis dictarum duarum galearum, quod solicite et attente attendant ad securitatem locorum et navigiorum predictorum, et ad persecutionem et exterminium galee et galeote Traguriensium, neve possint offendere nec damnificare subditos et loca nostra; ponendo ipsas duas galeas bene in ordine hominibus et aliis oportunis de hominibus aliarum galearum, ita quod bene et utiliter facere valeant facta nostra. De parte 78, de non 0, non sinceri 0.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 99, u mlet. arkivu.

God. 1413. 10. siečnja, u Mletcih.

Naputak za poslanike iduće u dvor napuljskoga kralja Ladislava u poslu saveza.

1412. die 10. ianuarii. Ser Nicolaus Victuri, ser Antonius Mauro procurator, ser Marinus Karavello procurator, ser Rossus Marino, sapientes consilii; ser Andreas Justiniano sapiens guerre. Capta in consilio centum. Quod fiat commissio nobilibus viris ser Bernabovi Lauredano et

ser Marco Venerio ituris ambassiatoribus ad serenissimum dominum regem Ladizlaum in hac forma, videlicet:

Nos Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Bernabovi Lauredano et Marco Venerio dilectis et honorabilibus civibus nostris, quod ire debeatis nostri solemnes oratores ad conspectum serenissimi domini regis Ladizlai, cui factis salutationibus cordialibus et fraternis factisque oblationibus caritativis sue serenitati cum verbis benivolentie et amoris et cum illis modis pertinentibus, qui ad honorem sue serenitatis et nostrum vestris sapientiis congruere videbuntur, congaudebitis secum de pace firmata inter suam serenitatem et summum pontificam et de tranquillitate et bono statu, in quo scimus ipsum reduxisse loca regni sui cum universali obedientia et bona fidelitate omnium subditorum suorum, cum illis verbis pertinentibus, que vestre sapientie videbuntur, quia de omni suo bono statu et prosperitate letamur. Et etiam sumetis excusationem debitam de nimia mora, quam fecimus ad expediendum vos et mittendum ad conspectum suum, postquam vos elegimus, quod processit propter multas et arduas occupationes, que intervenerunt pro negotiis, que nobis occurrunt, sicut est sue celsitudini manifestum. Deinde exponetis sub vestris litteris credentialibus, quas vobis fecimus exhiberi, qualiter excellentie sue placuit iam multis diebus exactis facere requiri nostrum dominium de liga tractanda et firmanda inter suam serenitatem et nos ad defensionem statuum per suum egregium ambasatorem iudicem Pandellum, cui dedimus ultimate responsionem, quod dominatio nostra, cupiens conservare benivolentiam inter suam celsitudinem et nostrum dominium existentem, deliberaverat mittere suam ambaxiatam ad presentiam suam, ut sue serenitati magis ample nota esset optima dispositio nostra. Unde nos misimus vos ad conspectum sue sublimitatis ad confirmandum in mente sua, quod firma et constans dispositio et voluntas nostra diu fuit et est, velle non solum conservare sed augere fraternam benivolentiam et amorem inter partes existentem, et in his, que nobis possibilia sint et honesta velle concurrere in una eadem intentione cum sua serenitate, et intelligere nos secum bono animo circa ea, que habeant defendere et conservare status utriusque partis, quia certissimum est, quod conservatio et defensio status unius partis est conservatio et defensio alterius partis. Et quoniam comprehendimus, sicut et ipsi serenissimo regi manifestum est, quod rex Sigismundus comunis inimicus suus et noster propter electionem, quam habuit de imperio, vigilat et solicitat qualitercumque potest venire in Italiam ad recipiendam coronationem imperii, et quod, si iste adventus suus non turbaretur, posset esse sine dubio cum maximo scandalo et preiudicio non solum status ipsius serenissimi domini regis et nostri dominii, sed totius Italie, considerato ineffrenato appetitu dominandi quem habet, quoniam quanto se videret potentiorem et habere maiorem sequellam, tanto magis ardenter aspiraret ad explendas alias suas voluntates et appetitus insaciabiles, et in speciali contra statum ipsius serenissimi domini regis rationibus et causis sue excellentie notis, quas non expedit declarare; et licet aliqui ex his, qui participant in dominiis Italie, aut quod non considerent aut quod fingant non videre pericula, que incumbunt universo statui Italie ex tali adventu ipsius

regis et gentium suarum in Italiam, stent ita in suspenso, et non provideant, tamen nos, qui huiusmodi inconvenientia et pericula multum intrinsice examinavimus, et diligenter consideravimus, deliberavimus tanquam non modica pars, ad quam pertinent commoda et incommoda status Italie, dare principium ad obstandum, quod ipse rex coronationem imperii predictam non recipiat, et deinde ad alia maiora cum damno et vituperio totius Italie prosequatur, sperantes, quod ex tali principio nostro bonus fructus et utilitas reliquis dominiis Italie subsequetur. Et propter hoc, quia ipse serenissimus rex est principalis princeps et dominus in Italia, et quia scimus, quod tamquam verus amator honoris et status nominis Italici ipse nullo modo vellet videre eius depressionem vel detrimentum, nec similiter vellet videre exaltationem gentium exterarum in partibus istis et presertim istius regi Sigismundi, qui sicuti toti mundo manifestissimum est semper fuit et est capitalis inimicus sue serenitatis, deliberavimus velle comunicare ista cum sua sublimitate, et proponere et declarare sibi ista evidentia et manifesta pericula, que ventura sunt ex tali descensu ipsius serenissimi regis Sigismundi, et ad requirendum et inducendum excellentiam suam, quod pro removendo ista dubia et pericula et pro honore et bono totius Italie et nominis Italici ac pro defensione et conservatione status sui et nostri, cum res ista sit comunis sibi et nobis, quod sit contentus et velit intelligere se nobiscum contra hunc comunem inimicum, ut impediatur et prohibeatur coronatio sua, quia si hoc fiet, erit defensio et conservatio statuum utriusque partis, que est principalis intentio, pro qua requiri fecit nos de liga. Et si per istum modum sua serenitas et nos invicem concordabimur et concurreremus ad hanc voluntatem contra dictum regem, nos sumus firmissime opinionis, quod residuum totius Italie faceret istud iddem, et nullus esset, qui videret has duas potentias unitas, qui auderet favere dicto regi Sigismundo. Et cum his et aliis verbis et rationibus utilibus et pertinentibus ad materiam procurabitis reddere sibi suspectum, odiosum et inimicum dictum regem Sigismundum, sicut merito esse debet, et inducere eum ad intelligendum se nobiscum et dandum nostro dominio favorem suum contra prefatum regem Sigismundum. Et quoniam certi sumus, quod mediantibus persuasionibus vestris et modis, quos secum sapienter observare scietis, vos inducetis illum ad hanc nostram requisitionem.

Si hoc erit, sicut speramus, intentio nostra esset habere subsidium et favorem ab eo a mille usque quingentos gentium armorum, quanto melius poteritis obtinere usque ad ipsum numerum; et si erit contentus de complacendo nobis pro respectibus suprascriptis, qui concernunt statum et honorem suum et nostrum, hoc nobis summe placeret, et ad obtinendum hoc totis sensibus vigilabitis.

Sumus contenti, quod possitis sibi promittere, quod si completis istis negotiis contra regem Sigismondum aliqua potentia moveret sibi guerram et iret ad damna terrarum et locorum suorum, que possidet de presenti, dominatio nostra contenta est dare et dabit sibi totidem alias gentes nostras, et pro tanto tempore, quot et pro quanto tempore habuerimus suas in hiis negotiis contra ipsum regem Sigismundum; vel tantam pecuniam, quanta erit sufficiens ad solvendum dictis gentibus pro ipso tempore.

Et ut etiam videat et magis ample cognoscat optimam dispositionem quam habemus ad augumentum honoris et status sui, sumus contenti, quod captato tempore congruo dicere debeatis, quod ut sit certus de suprascripta perfecta nostra intentione, si forte ipse attenderet velle reintegrare statum suum in regno Hungarie presenti tempore, quia dictus rex Sigismundus cum gentibus suis et cum aliquibus ex baronibus est absens a regno Hungarie, et ipsum regnum remansit sine custodia et gubernatione, et de facili subverteretur status eius, et vellet mittere de gentibus suis ad partes Dalmatie pro faciendo talem intentionem in regno Hungarie, serenitas sua reperiet nostrum dominium perfectissime dispositum et promptum ad faciendum de rebus, que placebunt excellentie sue.

Et si cum modis predictis poteritis eum inducere ad intelligentiam et concordium nobiscum, multum placebit nobis, et sic concludatis in bona gratia, scribendo nobis ordinate omnia, que feceritis, et expectando nostrum mandatum, et solicitando, quod gentes, quas nobis dabit, prestissime veniant ad has partes. Si vero per modos predictos concludere non possetis, aut quod caderet aliqua differentia vel aliter quomodocumque sit, volumus, quod scribatis et expectetis nostrum mandatum. De parte 55, de non 21, non sincere 20.

Preterea quia nobilis vir quondam ser Marcus Dandulo sancti Luce et nunc heredes et successores sui habere debent certam pecunie quantitatem a maiestate regia, secundum quod oretenus et litteris regiis pluries extitit promissum, idcirco quia super dicto negotio habuistis informationem plenariam in nota et scriptis ab ipsis filiis et heredibus quondam ser Marci, debeatis non impediendo facta principalia, sed cum vobis videbitur tempus habile et congruum, procurare debeatis apud maiestatem regiam et apud alios, qui vobis videbuntur, omnem favorem, comodum et utile civium et nobilium predictorum, quia multum placebit nobis.

Similiter habebitis informationem a nobili viro ser Barbono Mauroceno, qui debet habere satisfationem certarum rerum sibi retentarum de uno navigio, super quo oneraverat certas ballas pannorum, et videtur, quod patronus, dum ob infortunium capitaret ad certum portum Apulee, et fuisset requisitus a datiariis de rebus et mercantiis, tacuit partem mercantiarum, et ob hoc retente fuerunt certe sue mercationes contra omne debitum, de quibus omnibus fuit causa patronus, qui forensis est et non nobilis noster, qui non erat presens, ymo suspicatur, quod patronus fecerit hoc carnaliter et ficte. Et propterea, cum videbitur vobis tempus congruum et habile, procuretis apud quos fuerit necesse, omnem favorem, comodum et utile nobilis nostri predicti.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. pag. 99 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 14. siečnja, u Mletcih.

Šalje se Turčinu poslanik, da ga prikloni na stranu republike u borbi sa ugarskim kraljem.

1412. die 14. ianuarii. Ser Sanctus Venerio consiliarius in consilio centum. Cum satis manifeste comprehendatur intentio regis Hungarie,

qui per signa et operationes suas non attendit ad pacem cum nostro dominio, sed perseverat ad guerram, et vigilat cum tota súa potentia ad damna nostra et destructionem status nostri, et sit utilissimum et ex toto necessarium, quod nos a parte nostra etiam provideamus non solum ad defensionem status nostri sed etiam ad damna et destructionem status dicti regis per omnes vias et modos possibiles, et quod nos intelligamus cum personis, que sint utiles et potentes ad hanc nostram intentionem, quia per istam viam nos faciemus retrahi dictum regem et gentes suas a damnis nostris, et conservabimus statum nostrum, et ipse facilius inducetur ad pacem; propterea vadit pars, quo eligatur per scrutinium in isto consilio unus noster ambassiator, qui ire debeat ad Turchum cum illa commissione, que sibi dabitur per istud consilium, et possit eligi de omni loco et officio de iudicatu petitionum, et non possit refutare sub pena ducatorum centum; respondeat die qua fuerit electus vel altera ad tercias, habeat pro ista ambassiata ducatos ducentos auri pro sua provisione, ducat secum unum notarium cum uno famulo et quatuor famulos pro sua persona. Et possit expendere in expensis quacumque occurrentibus ducatos duos in die de pecunia nostri comunis, non computando nabula navigiorum nec agozia equorum, si erit expediens, quod vadat cum equis in aliquam partem. Et recedere teneatur, quando sibi mandabitur per dominium, et vadat cum ista galea, que debet armari nunc ad culfum, cuius armamentum solicitetur quantum sit possibile, et pro maiori expeditione debeat fieri supracomitus dicte galee in isto consilio cum illis modis et conditionibus, que videbuntur, ut dicta nostra ambassiata prestissime vadat, sicut requirit conditio facti. De parte 15.

Ser Nicolaus Victuri, ser Antonius Mauroceno procurator, ser Rossus Marino sapientes consilii, ser Andreas Justiniano sapiens guerre. Volunt, quod scribatur et mandetur castellanis nostris Coroni et Mothoni, quod mittere debeant discretum virum Franciscum Gezo civem et fidelem nostrum habitatorem Coroni ad presentiam Turchi, illius videlizet, qui dominatur a parte Gretie, cum illa commissione, expensa et conditionibus, que collegio videbuntur, ad tractandum contra regem Hungarie et statum suum, pro utilitate et conservatione honoris et status nostri. De parte 21, 32, 33; de non 24, 24, 27; non sinceri 14, 16, 13.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 101 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 20. siečnja, u Mletcih.

Kralj Sigmund zaman traži, da si pribavi pomoć markisa Ferarskoga proti Mletčanom.

1412. die 20. ianuarii. Capta in consilio centum. Quod ad ea, que nobis exposuit egregius vir Dantes de Castelliono ambasiator magnifici domini marchionis et magnifici domini Ugutionis sub litteris credentie, significando oretenus multa nova de diversis et multis partibus sentita, que caritative et ordinate prefati domini significare fecerunt nostro dominio, et tam de factis domini pape quam domini regis Ladizlai et

dominorum de Malatestis ac aliis occurrentibus in partibus deinde,

ommissis

Respondeatur in hac forma videlicet;

ommissis.

Ad quartam partem et ultimam littere recepte a rege Sigismondo date in Utino, per quas dictus rex scribit domino marchioni, invocando ipsum ad suam voluntatem, et quod sit contra nostrum dominium, minando domino marchioni. Respondeatur, quod audivimus continentiam ipsius litere, et licet magnificus dominus marchio et magnificus Ugutio sint sapientes, et in quibuslibet rebus evenientibus scirent tanquam virtuosi dare sapientem responsionem, tamen paterno zelo loquendo videretur nobis respondendum sibi in hac forma: quod notum est deo et toti mundo, quanta sincera benivolentia et antiqua caritas semper fuit inter nostrum dominium et magnificos progenitores ipsius domini marchionis et precipue bone memorie magnificum genitorem suum, qui in ultimo vite sue reliquit se filium in tenera etate et post mortem suam recommendatum pro filio nostro; adhuc sunt nota omnibus, quid fecimus tunc pro conservatione status sui, et quot benefitia intervenerunt subsequenter et fuerunt, que fecimus pro ipso domino marchione, et ipse dominus marchio pro nobis et statu nostro, ita quod tanto paterno et filiali amoris vinculo coniuncti sumus insimul et similiter cives nostri et sui, qui conversantur ad invicem propter vicinantiam nostram, quod ipse magnificus dominus marchio iuste nec honeste posset aliquid consentire contra dominium nostrum, sicut non consentiremus erga ipsum; et propterea placeat ipsum dominum marchionem merito excusatum. De parte 78, de non 0, non sinceri 2.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 102, u mlet. arkivu.

God. 1413. 23. siečnja, u Mletcih.

O dogovoru s njekim Ugrom kraljevim pouzdanikom o miru.

1412. die 23. ianuarii. Capta in consilio centum. Quod consideratis his, que habentur ab isto domino Laurentio milite Hungaro, qui venit Venetias cum nostro salvoconductu, et qui videtur bene informatus de intentione regis Hungarie, et per ea, que hactenus investigata sunt ab eo, de levi posset deveniri ad concordiam et pacem cum dicto rege, collegium habeat libertatem praticandi et faciendi praticari secum super his, que concernant negotia dicte pacis. Et liceat collegio sive illis, qui praticabunt, non possendo trahere ab ipso milite aliud quam id, quod dixit usque nunc, se elargare in tantum, quod essemus contenti recognoscere terras imperii, quas possidemus a predicto rege cum illa contributione et honorificentia, cum qua solebant tenere domini, qui illas tenebant. Et super factis Dalmatie etiam erimus contenti recognoscere illam a dicto rege et corona Hungarie cum honore suo et etiam cum utilitate sua, ut possit comprehendi, que sit intentio regis circa predicta, et postea sicut expediens fuerit provideri, non possendo

ad alia se elargare sine deliberatione huius consilii. De parte 75, de non 3, non sinceri 4.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 104, u mlet. arkivu.

God. 1413. 25. siečnja, u Mletcih.

Odobrava se, da se kraljev pouzdanik vrati kralju i da ga obaviesti o sklonosti republike na mir.

1412. die 25. ianuarii. Capta in consilio centum. Quod iste dominus Laurentius miles Hungarus, auditis his, que sibi relata sunt per deputatos ad praticandum secum de bona intentione nostri dominii, post multas praticas secum habitas conclusive dixit, quod licet videat et cognoscat, quod ea, que dicuntur per nos circa factum huius pacis tractande inter serenissimum dominum suum regem Romanorum et Hungarie et nos sint multum honesta et rationabilia, de quibus remansit valde contentus habuisse informationem, tamen pro observando maiorem honestatem, et ut possit melius disponere factum apud dictum dominum regem et magnum comitem palatinum Hungarie, et per consequens ut possit melius dicere et declarare, si mitti debeat nostra ambaxiata vel non, vel si alius modus sit observandus, deliberat ire ad presentiam dicti regis, qui dixit sibi, quod eum reperiret in Utino vel ibi prope; et offert, quod subito cum habuerit declarationem necessariam super istis factis, ipse vel personaliter redibit Venetias vel scribet nobilibus viris ser Bartholomeo Nani et ser Barbono Mauroceno, qui secum praticarunt suprascripta, modum et ordinem, qui debebit observari per nos, ut nostra ambaxiata non iret frustra; et etiam si videret, quod illa, que praticata sunt, non essent habitura conclusionem, similiter nostrum dominium faciet per litteras advisatum. Et bonum sit dare sibi expeditionem, quia ista res in omnem eventum requirit celeritatem. Vadit pars, quod iterum et de novo regracietur dicto militi de bona dispositione sua, quam videmus per effectum eum habere ad tantum bonum pro comodo et utilitate totius christianitatis, et in spetiali de affectione, quam habet ad nostrum dominium, et dicatur, quod remanemus valde contenti dedisse sibi informationem de iustitia et honestate nostra et de bona intentione, quam habemus ad pacem cum domino suo rege cum illis verbis et modis, que pertinentia videbuntur predictis deputatis, confirmando ea, que sibi dixerunt, et quod auditis his, que dicit, sumus contenti de deliberatione sua, et placet nobis, quod vadat ad presentiam dicti domini sui regis, rogando eum, quod velit laborare in tam fructuoso opere et reducere istas res ad bonum effectum, sicut speramus de sapientia et bono animo suo, quia sicut sibi diximus et dici fecimus dominatio nostra semper erit parata facere omnia, que erunt honesta et rationabilia, ut sequi possit pax et bona concordia inter partes. De parte 90, de non 0, non sinceri 0.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 104 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 25. siečnja, u Mletcih.

O navali ugarske vojske u Istru, kojoj se vojnička pripomoć šalje.

1412. die 25. ianuarii. Capta in consilio centum. Cum videamus motum, quem fecit rex Hungarie in mittendo multas gentes suas super territorio Istrie, et etiam dicatur, quod iverit personaliter pro damnificando, et iam incepit damnificare territoria nostra in dictis partibus, conando se habere posse voluntatem suam de terris Istrie; et sit providendum prestissime de dando talem subventionem locis nostris, que indigent auxilio, quod non possint pati sinistrum, quoniam omnes manifeste sciunt, quantum debemus habere caras terras Istrie, que sunt portus et domus nostrorum navigiorum et adhuc plus pro honore nostro; vadit pars, quod de presenti fieri et stipendiari debeant centum ballistarii cum illo soldo, modis, et conditionibus, qui videbuntur collegio, et sub illis capitalis et quot videbuntur sufficientes, qui omnes presto conducti mitti debeant ad partes Istrie ad mandatum capitanei nostri Raspurch, qui capitaneus debeat de illis disponere et eos mittere ad illa loca, ubi sibi videbitur fore magis opus pro securitate, tutela et defensione terrarum nostrarum, secundum quod inimici nostri se movebunt, quia, moventibus se inimicis continue et de loco ad locum, capitaneus poterit mittere per mare ipsos balistarios vel de ipsis ballistariis, secundum quod eisdem cognoverit cedere ad honorem nostrum et bonum statum terrarum deinde. De parte 67, de non 8, non sinceri 2.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 104 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 28. siečnja, u Mletcih.

Riešeno, da se nadje novac potrebit za obranu Dalmacije.

1412. die 28. ianuarii. Capta in consilio centum. Quia omnino est providendum de pecuniis pro factis Dalmatie; vadit pars, quod de pecuniis, quas reportavit de Mantua vir nobilis ser Fantinus Michael, mitti debeant Jadram ducati V mille auri. De parte 76, de non 2, non sinceri 0.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 105, u mlet. arkivu.

God. 1413. 30. siečnja, u Baru.

Balša Zetski poterdjuje mir u njegovo ime sklopljen od poslanika Sandalova sa mletačkom republikom.

In Christi nomine amen. Nui Balsa Stracimir, che fo de miser Zorzi Stracimir signor de Xenta etc. Sapiando e cognoscando, che la serenissima et excelsa ducal signoria de Veniexia mossa a pregiere e ad instantia del magnifico e possente signore meser Sandalj grande vaivoda de Bossena, el quale soura le infrascripte manda a la dicta signoria el spectabele et egregio homo meser Grubaz Dobranichi honorevele so ambassadore, si xe degnada tore e acetare nui in la soa benigna e misericordioxa uxada gracia, perdonando a nui Balsa tute le inzurie, offexe,

dampni, molestie e contrarii per nui e per li nostri homeni dadi e facti a la prefata serenissima ducal signoria de Veniexia e a le terre, luogi e subditi de quella, e ad instancia e requisitione del dicto magniffico signor Sandalj e per soa contemplatione se e degnada fare, conducere e fermare pura, vera, chiara e bona paxe per la dio gracia perpetualmente duratura cum lo dicto magniffico signor Sandalj, stipulando e reccevando in nostro nome de nui Balsa e de y nostri heriedi, lassando liberamente in despositione del dicto signor Sandalj, chel possa per fermezza de la dicta paxe per nome de la dicta signoria e de y suo sucessori dare e consignare liberamente a nui Balsa per nui e per li nostri heriedi la citade de Dolcigno e de Budoa cum tute e zascune lor raxone, pertinencie, destrecti e confini, e oltra permettere per nome de la dicta signoria de dare e pagare ogni anno a nui e a y nostri heriedi legiptimi ducati mille d oro ogni anno de le intrade di luogi, i quali tene la dicta signoria de Veniexia in queste parte de qua, cum quel modo, condicione e forma, che se pagava quelli al magnifico signor meser Zorzi nostro padre, romagnando liberamente et imperpetuo a la dicta signoria de Veniexia tuti li altri luogi, i quali sono concedudi e dadi a quella per lo dicto meser Zorzi nostro padre senza alcuna contradicione over molestia cum tute le lor raxone, pertinencie e confini; si eciandio stado promesso per parte del dicto magnifico signor Sandalj a la prefata ducal signoria, chel dicto magnifico signor Sandalj fara e curara si cum effetto, che nui Balsa per nostre letere patente e averte, bollade de la nostra bolla o fatte solempnemente, ratificaremo, formeremo, aprovaremo e inviolabelmente observaremo, e non contravigneremo a quella per alcuna caxone over inzegno, e chel fara, che nui Balsa ne removeremo cum tute le nostre zente da la infestacione e dampnificacione de queli luogi o subditi de la dicta signoria, e che per lo avegnire nui non molestaremo, ni dampnificaremo, ne faremo o lasseremo molestare o dampnificare alguni o subditi de la dicta signoria per nostri subditi over fedeli per alguno modo, inzegno, caxon over colore, e che gli citadini e subditi de gli doi luogi de Dolcigno e Budua e lor destrectuali tractaremo umana e benignamente, non li recordando algune cose per loro facte contra de nui per lo passado, e che contra de quelli non faremo alguna molestia per le dicte caxone, redugando cussi y subditi e fedeli de la dicta signoria como y nostri totalmente in lo so primo stado e termeni, e che se per algun tempo nui contrafassemo in alguna de le due cose per algun modo, che nui siamo tegnudi di restituire e rendere a la dicta signoria de Veniexia y dicti luogi de Dolcigno e Budoa cum tute le lor pertinentie senza alguna lexione; e non vogliando rendere quelle, che lo dicto magnifico signor Sandalj sia tegnudo dare a la dicta signoria aiutorio e favore opportuno a constrenzere per forza nui Balsa e y nostri heriedi a restituire a la dicta signoria y dicti luogi, como e ditto de soura, e che la ditta signoria alora sia absoluta e liberada da dare e pagare a nui gli doi mille ducati ogni anno, como de le predicte cose apare pienamente per litere ducale date e fatte adi XXVI del mexe de novembre de MCCCCXII e bolade de la bolla pendente, segondo uxanza. Vogliando in soura de zo adimplire et observare cum bon effecto tuto quello, che per parte del dicto magnifico signor Sandalj per nui e per

nostro nome e stado promesso a la dicta ducal signoria de Veniexia come e nostro debito, semo contento, e umelmente cum omni debita reverencia vogliemo e benignamente recevemo e acceptemo nui Balsa preditto la dicta gracia a nui fatta per la dicta nostra serenissima ducal signoria de Veniexia, e per lo tenore de le presenti retifichemo, aprovemo e acetemo la dicta paxe e concordia e tutto quello, che se contene in essa segondo e como e stado facto e promesso per la dicta ducal signoria da una parte, et ditto magnifico signor Sandalj per nostro nome da l altra parte in tuto e per tuto, como in quella se contene, si como nui proprio fossemo stadi presenti a la ditta paxe e promissioni, e prometemo per nui e per gli nostri heriedi e sucessori la dicta paxe, concordia, bona volontade e promissione facte como e ditto de soura perpetualmente ferma et rata avere, tegnire, actendere, observare et adimplire, e contra quella non fare over vegnire per nui over per altri, per directo over per indirecto, per alguna caxon, colore, modo over inzegno; e per piu chiarezza e fermezza di le predicte cose nui Balsa predicto prometemo per la nostra dicta fede e si zuremo in l anema nostra e in l anema de misser Zorzi nostro padre, e in dio padre omnipotente, e in la nostra dona madona sancta Maria verzene, glorioxa, e la croxe verazia de dio, e in gli dodexe apostoli, e in gli quatro evangelisti e in gli altri setanta cernidi, e in trexentodexeoto sancti padri de Nicea, e in tuti gli sancti, i quali fo in principio, per questo a tuti quelli zuremo, e oltra al serenissimo principo misser lo doxe de Veniexia, e a tuta la soa signoria e comunita de Venexia, che nui vogliemo esser cordiale e iusto amigo e fedele de quella, e observare tute le predicte cose. E per questa caxone avemo fatto fare la presente carta e scritto, bolada cum la nostra bolla uxada. Data in Antivari ad trenta zenaro MCCCCXII, indictione sexta.

Izvornik na pergameni i natisknutim pečatom u mlet. arkivu br. 51.

God. 1413. 7. veljače, u Mletcih.

Dalje se upućuju poslanici idući kralju Sigmundu da sklope s njim mir.

1412. die 7. februarii. Capta in consilio centum. Quod scribatur nobilibus viris ser Thome Mocenico procuratori et ser Antonio Contareno ambassiatoribus nostris apud Justinopolim in hac forma:

Hodie recepimus litteras, quas potestas et capitaneus Justinopolis et vos simul nobis scripsistis, datas die VI presentishora secunda noctis, per quas vidimus et intelleximus omnia, que secuta sunt inter vos et capitaneum Pisini, qui vobis misit salvum conductum regis Hungarie, sub quo noster capitaneus Raspurch et vos ire possitis ad loca in dicto salvoconductu declarata. Vidimus etiam omnia alia, que scripsistis tam circa istam materiam quam circa omnia alia in illis partibus occurrentia, pro quibus sapientiam et sollicitudinem ipsorum rectorum nostrorum et vestram dignissime commendantes, vobis respondemus cum nostro consilio centum, quatenus cum dicto salvoconducto aut cum alia securitate, quam haberetis, ire debeatis ad illum locum, qui erit de beneplacito dicti capitanei Pisini, et habita collatione secum super factis pacis, si

per verba sua comprehendetis, quod posset deveniri ad pacem vel treuguam cum modis infrascriptis, et dominus rex Hungarie vobis faceret salvum conductum vel aliam sufficientem securitatem eundi ad presentiam suam, sumus contenti, quod vadatis in bona gratia ad conspectum dicti domini regis Hungarie ad exequendum infrascriptam nostram intentionem. Et ut sitis advisati de praticis habitis cum domino Laurentio Ratoldi de Pastoch magistro dapiferorum reginalium etc. hic in Venetiis, mittimus vobis annotatum in foleo in presentibus introcluso substantiam pratice secum habite circa tractatum pacis, volentes et mandantes, quod si idem dominus Laurentius ibi erit, debeatis secum conferre, conformando vos sermonibus, quos secum habuimus in Venetiis, et accipere ipsum propicium et medium in istis tractatibus quantum videbitis posse facere cum honestate facti et cum utilitate nostri dominii, accipiendo etiam favorabilem dictum capitaneum Pisini, qui videtur fuisse principalis promotor in ista nova pratica et in mittendo dictum salvumconductum. Sed inter ceteros multum placebit nobis, quod conferatis cum dicto domino Laurentio, qui nobis videtur bene dispositus ad hoc bonum pacis, et observatis per vos illis viis et modis, qui vobis utiles videbuntur, ad intrandum in hanc praticam. Declaramus vobis, quod intentio nostra esset devenire ad pacem cum prefato domino rege per modos et formas praticatas cum ipso domino Laurentio, sicut continetur in foleo presentibus introcluso; et licet in dicta pratica non exprimatur, quid dare vellemus dicto domino regi pro recognitione Dalmatie, sed solum dicatur, quod essemus contenti recognoscere Dalmatiam ab ipso domino rege et corona Hungarie cum suo honore et etiam cum utilitate; et similiter de terris pertinentibus ad iurisditionem imperii, tamen dicimus, quod venientibus vobis ad praticam particularem, volumus, quod ad partem possitis promittere et sequi formam vestre commissionis tam circa facta Dalmatie quam circa facta terrarum imperii et in omnibus aliis in commissione vestra specificatis. Et si mediante presidio dei et sapientia vestra poteritis devenire ad conclusionem pacis per modos et formas predictas, sumus contenti, quod in bona gratia concludatis; et si aliqua parva differentia caderet, que vobis videretur talis nature, quod posset aptari et reduci concordantiam, volumus, quod scribatis subito nobis, ut possimus declarare mentem nostram. Sed si videretis, quod intentio regis esset talis, quod non esset modus veniendi ad pacem secundum intentionem nostram, de qua tam per commissionem vestram quam aliter estis bene informati, et altera pars videretur contenta velle venire ad treuguas, sumus contenti, quod dictas treuguas tractare et concludere possitis per illud longius tempus, quod erit possibile, usque ad tempus decem annorum vel inde supra cum conditione, quod utraque pars restituere debeat omnes terras, castra et loca, que sunt hinc inde ablata in partibus Istrie, Foroiulii, Feltri, Cividadi et marchie Tervisane in manibus illorum, quorum erant. Et etiam si in primis praticis, quas habetis, altera pars non videretur disposita pro nunc ad tractatum pacis sed solum ad treuguam, etiam in hoc casu sumus contenti, quod dicte treugue tractentur et concludantur per tempus et modum superius declaratum. Et si in presenti nostro mandato aliquid esset, quod vobis videretur forte non esse sufficienter declaratum, ha-

beatis recursum ad vestram commissionem, quam observare debeatis, sicut superius dictum est. Recordamur quoque vobis, quod in omni eventu pacis vel treugue includantur etiam ex parte nostra magnifici domini Karolus et Pandulfus de Malatestis, dominus marchio Estensis, dominus Opizo de Polenta, dominus Tristanus et frater et alii adherentes et recommendati nostri, qui tamen magis explicite specificabuntur in tali conclusione pacis vel treugue, et e converso includantur ex alia parte recommendati et adherentes sui, quos volet dictus rex. Factis autem praticis et experientiis suprascriptis, si devenietis ad pacem vel treuguam, nobis summe placebit; et si alique differentie essent, ut predicitur, scribatis et expectetis nostram responsionem in illo loco, qui placebit dicto regi vel suis. Et si capitaneus noster Raspurch erit in Justinopoli vel in loco habili, unde possit venire vobiscum ad conferendum cum dicto capitaneo Pisini, quia videntur invicem multum domestici, volumus, quod pro bono facti veniat vobiscum, non exeundo de confinibus Istrie. Sed si ibitis ad presentiam domini regis, volumus, quod vos duo eatis, sicut superius dictum est, et dictus capitaneus Raspurch remaneat ad regimen et custodiam suam. Pro declaratione autem vestra dicimus, ut cum Pippo del Bene nullam praticam habuimus circa ista negotia, nec aliquid secum contulimus, quod importet. De parte 59, de non 20, non sincer 11.

Hec est substantia pratice habite cum domino Laurentio Ratoldi milite de Pastoch magistro dapiferorum reginalium Hungarie.

Dum prefatus dominus Laurentius cum nostro salvo conducto Venetias accessisset die vigesimo ianuarii 1412. sub spetie visitandi aliqua sanctuaria pro sua devotione, et venisset ad visitationem nostri dominii, inter cetera ipse dixit, quod sibi cordialiter displicebat guerra, que erat inter dominum suum regem Romanorum et Hungarie et nostrum dominium pro universali bono christianitatis et propter devotionem, quam habebat ad utramque partem, et se obtulit, si in aliquo posset prodesse, valde libenter laboraret tam pro universali bono christianitatis quam pro utilitate et comodo utriusque partis et pro salute anime sue. Ad que verba sibi responsum fuit, quod regratiabamur sibi de sua dispositione et voluntate, quam ostendebat versum nostrum dominium, recordando sibi, quod nunquam pro dominatione nostra defecerat, quod omne bonum concordium et pax sequeretur inter dominum regem Hungarie et nos, et sic iterum dicebamus, quod semper, quando idem rex se disponeret ad hoc, nos essemus parati ad faciendum omnia, que essent honesta et rationabilia, ut bona pax et concordia inter ipsum regem et nostrum dominium sequi posset, et si ipse videret aliquod bonum medium ad hoc factum, nos audiremus eum valde libenter. Ipse quidem post aliqua verba narratoria dixit, quod habuerat certum colloquium cum domino suo rege super istis negotiis, et pro certo erat bene dispositus ad pacem, sed quod rex mirabatur, quod nos misissemus oratores nostros ad alios, et non misissemus neque mitteremus ambaxiatam ad eum, cum habeat coronam in capite, et quod bonum esset, quod mitteremus ambaxiatam ad suam serenitatem, quia melius et citius fieret pax cum eo quam per interpositas personas. Sed bene suadebat,

quod mitteremus eam per modum, quod non iret frustra; et in hoc casu ipse offerebat facere et fieri facere salvumconductum dicte nostre ambaxiate. Et quia ipse erat informatus de intentione domini sui regis, requisivit, si esset honestum, quod diceremus aliquid sibi de intentione nostra, quia ipse comprehenderet et diceret nobis, si esset utile mittere ambaxiatam ad ipsum regem, et quod non iret frustra; et quod bene sciebat, quod differentie erant pro factis Dalmatie et pro terris imperii, et quod cognoscebat dominationem nostram ita sapientissimam, quod bene reperire sciremus modum et viam ad ista negotia, quia dummodo rex videat posse facere pacem cum honore suo, ipse reperiretur bene dispositus ex parte sua; et quod considerabat, quod hoc factum magis consistebat in factis Dalmatie quam in factis imperii, et quod compositis factis Dalmatie, alie res sibi videbantur posse satis convenienter aptari, considerato, quod idem rex nundum erat imperator, et quod ad instantiam aliorum erat inductus ad movendum litem de terris, quas possidemus de iurisdictione imperii, et quod modo erat exoneratus et absolutus a debito et promissione facta illis, qui fuerunt causa conducendi eum ad dictas partes, postquam res non successerant, sicut datum fuit intelligi sibi, et quod reputabat se deceptum; et propter hoc magis honeste et cum suo honore posset providere super factis terrarum imperii, sicut esset de beneplacito suo. Narravitque circa istam materiam multa, que effectualiter concludebant, quod rex erat bene dispositus ad pacem, dummodo illam posset habere cum honore suo. Et inter cetera idem dominus Laurentius dixit, quod dum loqueretur cum rege super tali materia, et persuaderet sibi pacem, allegando fructus, qui sequerentur toti christianitati de pace, et econtra mala, que resultarent in detrimentum et depressionem christianorum et in exaltationem infidelium, et declarando sibi potentiam nostri dominii, et quantum proficere poteramus super ceteros christianos simul cum sua serenitate ad depressionem infidelium, ad quod ipse tanquam imperator et pugil christianorum debebat totis sensibus et viribus vigilare; et etiam demonstrando, quod obstantibus et nolentibus nobis, esset dificillimum immo quasi impossibile, quod posset sumere coronationem imperii; ubi si essemus in pace et benivolentia secum, ipse efficeretur imperator sine labore et expensa. Idem rex habuit dicere, quod pro eo non deficiebat quodque multi magni domini se interposuerant ad hoc, et tamen non potuerant aliquid facere. Et quod ipse dominus Laurentius dixit sibi, quod si esset aliquis, qui vellet laborare bono et recto animo, bene possent reperiri de viis et modis, qui essent cum honore et comodo sue serenitatis. Et quod tunc dictus rex dixit ipsi domino Laurentio, quod postquam habebat ita bonum animum ipse poterat experiri suam fortunam, quia forte deus vellet, quod haberet hunc honorem; et per ea, que comprehendimus ex istis verbis cum tali fundamento et cum voluntate ipsius regis ipse venit Venetias ad intrandum ita dextro modo in hanc praticam.

Audientes autem verba predicta et multa alia, que dixit circa talem materiam, que omnia demonstrabant, quod rex appetebat pacem cum reservatione honoris sui. Nos iterum sibi diximus, quod per nos hactenus non defecerat nec deficeret in futurum facere omnia, que forent honesta et rationabilia, ut bona pax et concordia sequi posset. Et quia

dixerat, quod rex erat bene dispositus, et quod mirabatur, quod existente ipso ita prope nos non misissemus nostros oratores ad eum, et quod misissemus ad alios etc.; ad hec diximus, quod nos similiter semper optavimus pacem cum sua serenitate, et propter hoc bis miseramus nostram ambaxiatam ad conspectum suum, et nuper iterum misimus eam ad requisitionem comitis Cilie, et ipsam hactenus tenueramus et tenebamus in Istria, ut manifeste videatur, quod pro nobis non deficiat tractatus dicte pacis, et quod ipse tanquam sapientissimus miles bene poterat considerare iustam et honestam causam nostram et bonam intentionem nostri dominii, et quod in quantum ipse videret, quod esset de beneplacito prefati domini sui regis, quod nostri ambassiatores irent ad presentiam suam habentibus eis salvumconductum et consensum dicti regis, nos manderemus eis, quod irent ad presentiam sue serenitatis. Ipse vero dixit, quod nesciret bene consulere, quod nostri ambassiatores se moverent nec irent ad presentiam regis, nisi viderent, quod irent cum aliquo fructu et non frustra, et quod nisi audiret aliquid de intentione nostra, non posset clare respondere, quia cognoscebat, quod si ambassiatores irent cum commissione, que non posset habere effectum, esset non tantum utile sed damnosum.

Videntes quidem in sermonibus suis, quod loquebatur recto animo et non ficte, et comprehendentes per verba et actus, quod erat devotus amicus nostri dominii, et quod toto cordis affectu cupiebat posse reducere res ad effectum pacis, deliberavimus aperire sibi mentem nostram in hunc modum videlicet; quod volente venire rege ad pacem, nos essemus contenti recognoscere terras imperii, quas possidemus, ab ipso rege cum illa contributione et honorificentia, cum qua solebant tenere domini preteriti, qui illas tenebant. Et super factis Dalmatie etiam essemus contenti recognoscere illam ab ipso rege et corona Hungarie cum honore suo et etiam cum utilitate sua. Et circa ista facta Dalmatie deliberavimus sibi, quod rex poterat per duos modos convenire nobiscum; primo per viam libere venditionis, et hec via esset magis utilis sed non ita honorabilis; alia via per modum pheudi sive vicariatus aut census, et ista via erat honesta et rationabilis et cum honore suo et corone Hungarie, quia ipse haberet illam contributionem et honorificentiam, que esset iusta et rationabilis, et reservaretur sibi honor et titulus regni sui; que verba multum placuerunt dicto domino Laurentio, qui tunc dixit, quod licet ambe vie essent possibiles, tamen ista secunda videbatur sibi multum conveniens et honorabilis pro domino suo rege, postquam remanebat sibi titulus et honor ac etiam utilitas. Sed ita tacite interrogavit de facto VII mille ducatorum, ad quod sibi responsum fuit, quod compositis factis principalibus bene provideretur etiam super istis circumstantiis per modum, quod pax non turbaretur propter tales differentias. Et tunc ipse dixit, quod erat verum, et quod audiverat de ore domini sui regis, quod dummodo reperiatur medium ad duo facta principalia, videlicet imperii et Dalmatie, quod de istis VII mille ducatis et de aliis differentiis ipse esset contentus stare ad iudicium cuiuscumque persone vel prelati vel alterius et etiam unius ex nostris. Subsequenter dixit, quod ea, que dicebamus, scilicet velle recognoscere dicta loca ab eo per modum predictam, erant ita honesta et rationabilia et

cum tanto honore domini sui, quod pro certo sibi videbatur, quod non debebant habere contraditionem, et quod nisi dominus suus rex esset obstinatus, aut quod res ista non esset predestinata, rationabiliter ipse deberet condescendere ad pacem et contentari de talibus partitis, qui sunt cum comodo suo et cum reservatione honoris sui et corone sue tam Romanorum quam Hungarie propter multas rationes et respectus, quos ipsemet declaravit. Sed pro observando maiorem honestatem, et ut posset melius disponere factum apud dictum dominum regem et magnum comitem palatinum Hungarie, qui venire debebat apud regem, et qui est rectus dominus et bene dispositus ad hoc factum, et per consequens, ut posset melius dicere et declarare, si mitti debeat nostra ambassiata vel non, vel si alius modus observandus esset, deliberabat ire ad presentiam dicti regis, et quod subito cum haberet declarationem necessariam super istis factis, vel ipse personaliter rediret Venetias, et propter hoc prorogavimus sibi salvumconductum per unum mensem, vel scriberet nobis sive nobilibus viris ser Bartholomeo Nani et ser Barbono Mauroceno civibus nostris, qui pluribus vicibus fuerunt secum in pratica, modum et ordinem, qui debebit per nos observari, ut nostra ambassiata non iret frustra, et etiam si videret, quod ista talia non essent habitura effectum, faceret nostrum dominium advisatum.

Visa itaque tali dispositione et opinione sua iterum et de novo regratiati fuimus sibi de tam bona dispositione sua, quam habebat ad tantum bonum pro comodo et utilitate totius christianitatis et in speciali de affectione quam habet ad nostrum dominium, et diximus, quod remanebamus valde contenti dedisse sibi informationem de iustitia et honestate nostra et de bona intentione, quam habemus ad pacem cum domino suo rege cum quibusdam verbis ad materiam pertinentibus, confirmando ea, que sibi per prius dicta fuerunt, et quod auditis his, que dixerat, eramus contenti de deliberatione sua, et placebat nobis, quod iret ad presentiam dicti domini sui regis, et suasimus sibi, quod vellet laborare in tam fructuoso opere et reducere res istas ad bonum effectum, sicut sperabamus de sapientia sua et bono animo suo; quia, sicut sibi dixeramus et dici feceramus, dominatio nostra semper erit parata facere omnia, que erunt honesta et rationabilia, ut sequi possit pax et bona concordia inter partes. Et insuper honeste sibi dici fecimus, quod vellet laborare in hoc facto bono animo, et similiter inducere et hortari magnum comitem ad hoc, quia si res iste reducerentur sua industria ad bonum effectum, nos recognoscemus labores et operationes dicti magni comitis et suas per modum, quod habebunt bonam causam habendi memoriam de nobis. Et sic ipse liberaliter et bono animo obtulit laborare et facere omnia sibi possibilia. Et cum tali intentione et praticis recessit de Venetiis die XXVIII ianuarii de nocte, rediturus ad conspectum dicti domini sui regis.

Sed pro informatione vestra advisamus vos, quod multum distincte et ordinate iustificavimus causam nostram in facto emptionis Dalmatie; et insuper narravimus sibi conditionem Brunorii de la Scalla, qui est naturalis et de stupro genitus, ac similiter quod pater suus fuit naturalis, et qualiter aliquis de progenie sive de stirpe, unde ipse descendit, nunquam fuit dominus Verone; et narravimus beneficia patri suo et

sibi per nos impensa. Preterea declaravimus, qualiter illi de Carraria, qui primo fuerunt rusticani et deinde simplices cives Paduani, cum nostro favore et per nostrum medium habuerunt dominum Padue, et deinde de tempore in tempus benefitia eis impensa, ac labores et expensas, quas sustinuimus pro conservando eos in dominio Padue, et iniurias, quas ipsi fecerunt nobis semper querendo et tractando contra nos et statum nostrum, et demum qualiter restituimus in domo dominum Franciscum de Carraria patrem Marsilii, et creavimus eum nostrum nobilem et de nostro consilio, et ipse iuravit nobis fidelitatem, et qualiter ipse violata fide sua et iuramento nobis prestito diffidavit nos, propter quam diffidationem tandem iuste expulimus eum et privavimus dominio suo tanquam rebellem et proditorem nostrum, et diximus sibi omnia, que faciebant et faciunt ad honorem nostrum contra dictos de la Scalla et de Carraria, sicut visum fuit ad materiam pertinere, ut ipse in omnem casum esset informatus de iure et honestate nostra.

Et pro maiori declaratione vestra vobis significamus, quod idem dominus Laurentius interrogavit, si iste res erant ita declarate et particulariter praticate per nostros ambassiatores ad presentiam regis; ad quod sibi responsum fuit, quod semper, quando nostri ambassiatores fuerunt ad presentiam dicti regis, ipse et sui voluerunt quasi de facto, quod nostra dominatio faceret omnia, que volebat, et nunquam voluit habere pacientiam ad audiendum iura nec voluit intrare ad praticas particulares, ita quod res iste non fuerunt ita particulariter praticate nec declarate, sicut sibi nunc diximus, sed intentio et dispositio nostra semper fuit bona et prompta ad pacem et concordiam cum sua serenitate.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 107 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 17. veljače, u Mletcih.

Uvieti saveza sklopljena medju republikom mletačkom i milaneskim vojvodom proti kralju Sigmundu.

1412. die 17. februarii. Hec sunt capitula porrecta pro parte illustris domini ducis Mediolani nobili viro ser Nicolao Capello ambassiatori nostro, cum quibus contentatur venire ad ligam, et responsiones date ad ipsa capitula.

Capta in consilio centum. Primo dominus dux Mediolani contentus est contrahere facere et firmare ligam, confederationem et unionem cum ducali dominio pro se, descendentibus et successoribus utriusque partium duraturam perpetuo, ita quod ipsi colligati sese ad invicem habeant tanquam pater et filius, et altera pars alteram deinceps tractet et tractare debeat affectione paterna et filiali, prout ad unamquemque ipsarum convenit, sibique invicem subveniant et subvenire teneantur et debeant in quibuscumque expedientibus et necessariis ad conservationem status utriusque, prout casus exigent et requirent ac fuerit opportunum iuxta continentiam capitulorum infrascriptorum, cum dominus dux intendat deinceps habere dominium pro se, descendentibus et successoribus suis in patrem et protectorem, et quod ipsum dominium erga eum do-

minum ducem, descendentes et successores suos sumere debeat curam patris et protectoris. Et hoc capitulum extendetur cum solemnitatibus necessariis et expedientibus, ut huiusmodi liga et confederatio purum, sincerum, et inviolabilem sorciatur effectum. Ad istud respondeatur: quod placet nobis, quoniam intendimus contrahere bonam, veram et sinceram ligam et unionem cum ipso domino duce pro conservatione et defensione statuum et principaliter contra Sigismundum Romanorum et Hungarie regem, ut in infrascriptis capitulis continetur: ac sincero animo tenere ipsum dominum ducem non tantum in filium sed in fratrem et optimum amicum dilectum, et hoc capitulum extendatur, ut dictum est, et detur terminus ad ligam predictam pro certo tempore specificato, et tanto plus, quanto partibus videbitur et placebit.

Item quod aliqua partium non permittet aliquas gentes sint que velint coadunationem neque transitum facere in terris nec per territoria vel passus alicuius earum pro eundo ad damna, iniurias vel offensas aut ad turbationem status alicuius partium seu civitatum, terrarum, castrorum et locorum, que per aliquam partium teneantur sive possideantur, aut teneri vel possideri contingat in futurum. Quin ymo teneatur quelibet partium predictarum talibus gentibus obviare et iuxta posse impedire, ne gentes ipse aut earum pars accedant ad offensas alicuius partium ipsarum colligatarum, ut prefertur, subditorumque suorum. Teneanturque partes ipse sibi invicem notificare, quicquid contra alteram partem tractari aut moliri senserit seu in eius preiudicium attemptari, ut ad resistentiam possit in tempore adhiberi providentia oportuna. Ad istud respondeatur, quod placeat.

Item quod utraque pars dabit transitum, passum et reductum gentibus armigeris alicuis partis colligate aut victualia pro pretio competenti, quandocumque opportunum fuerit et per alteram partem fuerit requisitum, cum modis tamen, qui pro securitate status dantis transitum et reductum videbuntur expedire. Ad hoc respondeatur, quod placeat.

Item quod durante guerra regis Romanorum et Hungarie, et perseverantibus eius gentibus in partibus Italie sic fortiter et potenter, quod possint campizare et campizent damnificando territoria colligatorum aut alterius eorum, dum fuerit firmata liga, quia tunc esset expediens tenere pro resistentia ipsius regis lanceas mille vel inde supra, teneatur dominium in isto casu solvere pro lanceis mille, que sint ad servitia cuiuslibet partium in hunc modum videlicet, quod pro equis mille, qui sint penes dominum ducem Mediolani pro defensione et securitate status sui, detur tanta pecunia per dominium prefato domino duci sive alteri suo nomine, que sit pro ipsis equis mille ad rationem ducatorum decem pro lancea per quatuor menses, quia, si erit expediens, ducale dominium, ut est dictum, tenebit alios equos duomilia pro suplemento lancearum mille ad servitia ipsius ducalis dominii et pro resistentia ipsius domini regis, quibus equis duobus millibus ducale dominium dabit et solvet prout aliis stipendiariis suis. Et si contingeret, quod dictus rex facta liga presenti discederet a guerizzando, et revocaret gentes suas de partibus Italie, intelligatur, quod hoc capitulum et contenta in eo tociens habeant locum, quociens ipse rex veniret ad partes Italie seu mitteret aut consentiret, quod venirent gentes ad partes

Italie ad damna alicuius partium ita fortes et potenter, quod possent campizare aut campizarent territoria ipsorum colligatorum seu alterius ipsorum. Verum ex nunc intelligatur, quod si de duobus milibus equitum, quos in dicto casu teneretur habere ducale dominium pro defensione status sui, ipsum dominium requiret dominum ducem Mediolani pro possendo habere de suis gentibus bonis et sufficientibus, quas haberet sive posset habere in partibus Lombardie, teneatur dominus dux de ipsis gentibus iuxta posse providere, quod dominium habere possit ad ipsam summam duomilium equitum ad expensas ipsius ducalis dominii ac pro conservatione et defensione status sui.

Ita quod dicte partes vigore presentis lige et durante tempore presentis lige teneantur et debeant, sicut infra continetur, esse ad defensionem altera alterius contra quoscumque offendentes aut offendere facientes aut intentantes alteram ex dictis partibus colligatis eorumque territorium et subditos in partibus Lombardie, marchie Tarvisane, Cenetensis et Foroiulii, et hoc quandocumque per illam partem, cui inferetur iniuria vel offensa, altera pars fuerit requisita; et in hoc expedienti casu pro conservatione et defensione statuum teneatur et debeat una pars alteri et altera alteri subvenire usque ad summam equorum mille, prout casus requiret, ad expensas partis de ipsis equitibus mille subvenientis; intelligendo tamen, quod contenta in hoc capitulo habeant locum, salvo et excepto, quod si post firmatam ligam per aliquam partium foret principiata novitas vel molestia contra aliquem vel aliquos, qui postea vellent offendere aut offenderent illi parti, que movisset novitatem vel molestiam illo, tunc altera pars non teneatur ipsi parti, que movisset novitatem post principiatam ligam, subventionem dare predictam notatam in capitulo, et hoc capitulum intelligatur effectum habere debere quo ad subventionem equorum, quando dominium non manuteneret equos triamilia, prout in suprascripto capitulo continetur.

Item quia dominus dux Mediolani contentatur, quod infrascripti magnifici domini marchio Pandulphus de Malatestis, Cabrinus Fondollus, Johannes de Vignate et Georgius de Benzonibus includantur in presenti liga, contribuendo pro convenienti rata solutionem mille lancearum, respondendo de pecuniis rate sue ducali dominio, quia dominus dux non intendit aliquid requirere a dominis pro solutione lancearum mille sed a dominio. Et insuper contentatur et vult dominus dux Mediolani tenere equos duomilia durante tempore suprasripte guerre ultra mille equos, quos requirit sibi mitti per dominium cum promissione, quod quandocumque dominium veniret ad actum faciendi gentes suas, bellum capere cum inimicis, aut recuperandi aliquam civitatem, terram seu castrum, que vel quod per hostes occupentur, et insuper quando aliquod fortilicium ipsius dominii in aliqua civitate seu terra occupatum teneretur, ita quod per ipsam civitatem vel terram haberi posset introitus sperando ipsum fortilicium recuperare posse, tunc dominus dux promittit et obligatur mittere illos equos mille expensis domini ducis ad servitia prefacte ducalis dominationis. Dicimus, quod contentamur et acceptamus suprascriptam oblationem ipsius domini ducis, que, ut dictum est, debeat capitulari, ut observetur, et debeat observari in casibus occurrentibus, sicut continetur in capitulo per ordinem.

Ad factum magnifici domini marchionis et magnifici domini Pandulfi dicatur, quod facit multum pro statu et fortificatione partium, quia ipsos habemus in filios, et alias fuerunt in liga nobiscum, et propterea multum contentamur et volumus, quod ipsi domini pro civitatibus, terris et locis, que et quas dictus dominus marchio possidet et tenet ad presens in Romandiola et Lombardia, et pro civitatibus, terris et locis, que et quas dominus Pandulfus possidet sive possedisset hinc retro in Pergamasco, Brixano et Lombardia, de quibus vel altero ipsorum, si aliquis locus sibi ablatus fuisset, et foret in potentia aut dispositione domini ducis, debeat sibi dari et restitui; et si non foret in potentia et dispositione domini ducis, sit licitum ipsi domino Pandulfo acquirere ipsa; et pro omnibus ipsis civitatibus, terris et locis domini marchionis, et pro omnibus civitatibus, terris et locis domini Pandulfi ex nunc intelligantur et includantur ipsi domini in liga et unione firmanda in tractatu et praticis, que fient inter partes, per illud tempus et cum illis modis, conditionibus, cum quibus fiet liga, ponendo et solvendo pro rata cuiuslibet eorum, secundum quod ad eos tanget et terminabitur per partes. Sed quod rata et solutio, que fiet per ipsos dominos, detur et respondeatur ducali dominio propter solutionem, que fieret per dominium de lanceis mille in casibus occurrentibus, ut est dictum.

Super facto dominorum Cremone, Laude et Creme etiam pro conservatione statuum et pro maiori fortificatione et potentia facit pro partibus, ut ipsi domini intelligantur et includantur in liga predicta et unione pro civitatibus, terris et locis, que possidentur per dominos suprascriptos, et ita debeant recipi, si fuerit de beneplacito eorum cum modis suprascriptis, solvendo ratam suam pro lanceis suprascriptis secundum quod terminabitur et ad eorum quemlibet tanget; que solutio et rata detur et respondeatur ducali dominio et non domino duci Mediolani propter solutionem, quam faceret ducale dominium de lanceis mille in casibus suprascriptis, firmando ligam cum predictis dominis per annos quinque, si fieri poterit, et si non posset fieri, fiat ad minus per terminum trium annorum. Sed si domini predicti Cremone, Laude et Creme aut alter ipsorum non forent contenti intrare ligam predictam, tunc poterit disponi per partes et providere sicut melius videbitur ad comodum et utilitatem partium predictarum.

Item quod neutra partium ullam ligam, pacem, treuguam seu aliquod concordium, pactum vel conventionem faciet seu fieri faciet super tangentibus statum quantum ad terras, civitates et loca, que possidentur per partes in Lombardia, marchia Tervisana, Cenetensi et Foroiulio sine scientia et consensu alterius partis, ita quod omnia, que deinceps fient, comuniter fiant ad bonum status et comodum utriusque. Verum si aliqua partium facere vellet aut devenire ad aliquod predictorum pro civitatibus, terris et locis, que possidentur etc., debeat primitus notificari alteri parti, et si erit contenta, possit includi et includatur pro civitatibus, terris et locis, que et quas ipsa pars tunc teneret et possideret.

Verum si dominus dux Mediolani diceret non placere sibi capitulum suprascriptum, eo quod vellet promissionem a ducali dominio, quod quando dominium vellet devenire ad aliquod concordium, pacem, treuguam vel conventionem cum rege Sigismundo, quod deberet procurari

per dominium, quod dimitteretur sibi titulus ducatus Mediolani, debeat respondere ambassiator noster, quod ipse dominus dux debet se reddere certum et sic nos se offerimus, quod deveniendo ad aliquod predictorum, providebimus iuxta posse de faciendo in dicto facto omne id, quod cognoscemus cedere ad honorem ipsius domini ducis, et sic versa vice promittat et offerat se dominus dux Mediolani.

Item firmata presenti liga et unione, que fit in signum et effectum veri et sinceri amoris et benivolentie ac pro conservatione statuum, ut hoc cum maiori efficacia obtineat vigorem, teneatur et debeat dominus dux Mediolani iura et titulum, que et quod dicit habere ipse dominus dux de civitate Verone et Vincentie, renunciare et se amovere, ita quod in posterum nullo unquam tempore possit nec debeat se attitulare nec dicere habere ius in ipsis civitatibus.

Verum ad capitulum unum septimum, in quo fit mentio, quod dominium velit dare operam, quod de presenti dominus Pandulfus de Malatestis relaxet libere civitatem Pergami cum omnibus fortilitiis suis, castris, terris et locis, que et quas tenet citra flumen Olii, predicto domino duci Mediolani, ipso domino duce dante ipsi domino Pandulfo et eius filiis masculis ab eo legitime descendentibus in feudum toto tempore vite sue civitatem Brixie et districtum eo modo et forma, quod ipse dominus Pandulfus teneatur facere et prestare obedientiam domino duci, quam feudatarii prestare tenentur.

Ad istud pro faciendo bonum cor domino duci volumus, quod per ambassiatorem nostrum dicatur, quando cadet ad propositum, et respondeatur domino duci predicto, quod sicut notorium est ipse dominus Pandulfus relinquens propria facta sua personaliter venire voluit et venit ad nostra servicia in complacentiam nostram et in commodum et utile agendorum nostrorum, in quibus existens capitaneus generalis, tantum excellenter et mirifice se exercuit in conservationem honoris et status nostri, quod pro se ipso plus facere non potuisset, taliter quod commendabilia et virtuosa eius opera perpetuo erunt sculpta in memoria cordis nostri. Et propterea non esset honor nostri dominii talia querere, sed quod sit in liga nobiscum, ut continetur in alio capitulo; bene dicimus, quod firmata liga presenti se placebit ipsi domino duci et domino Pandulfo et possimus per interpositionem et medium nostrum facere aliquid, quod cedat ad aconcium et contentamentum partium atque bonum, libenti animo faciemus tanquam sinceri amatores cuiuslibet partium.

Item ad octavum, quod dicit, quod dominium teneatur et debeat, quandocumque cessaverit in partibus Italie guerra dicti regis et potissime contra dictum ducale dominium, eidem domino duci prestare toto posse auxilium, subsidium et favorem tam per terram quam per aquam ad recuperandum civitates, terras et castra ex illis, que tenebantur per quondam dominum genitorem suum in partibus Lombardie et occupantur.

Ad istud respondeatur, quando cadet ad propositum, quod non est tempus praticandi talia multis bonis respectibus.

Item quod dominium velit dare operam, quod dominus Mantue restituat prefato domino duci castrum cum terra Hostilie et turres positas super passus, sicut tenetur iuxta patris promissionem. Ad istud

respondeatur, quod non videtur nobis tempus multis bonis respectibus talia praticandi.

Verum quia forte occurreret, quod dominus rex Romanorum discederet et etiam revocaret gentes suas, propter quod non esset opus tenere nec solvere pro ipsis lanceis mille, sicut superius dictum est, ita quod nec foret necessarium nos tenere equos duomilia nec ipsum dominum ducem Mediolani equos mille, et sumus informati, dominum ducem habere aliquos bonos conductores et gentes armorum paratas ad summam equorum mille, volumus, quod ambassiator nosto dicere debeat domino duci Mediolani, quod ut ipse dominus dux videat nostram optimam intentionem et propositum, quia bonum est quod teneat ipsas gentes in respectu pro casibus occurrentibus, quibus posset multum proficere ad securitatem et utile status sui et etiam nostri, sumus contenti, quod pro conservatione honoris et status partium dare et contribuere pro ipsis equis mille domino duci tantam pecuniam que sit pro media paga, videlicet ad rationem ducatorum quinque pro lancea in mense ad respectum temporis pro mensibus quatuor. In fine quorum mensium quatuor, si videbitur partibus fore opus, poterit disponi secundum quod cedat ad securitatem et comodum partium. De parte 54, de non 18, non sinceri 17.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 110, u mlet. arkivu.

God. 1413. 23. veljače, u Mletcih.

Neka se od Trogirana potraži brod njekoga mletčanina, od njih zarobljen.

1412. die 23. februarii. In consilio centum. Quia noviter comparuit coram nobis prudens vir Johannes Savino, asserens, quoddam suum navigium captum fuisse in aquis Tragurii a galea sive galeotis Traguriorum, et conduxisse navigium cum carico frumenti ad partum Tragurii, et propterea suplicat, posse mittere unum suum nuntium cum galea Maripetra ad partes Dalmatie ad illum locum, ubi galea capitabit, quia poterit postea ire Sibinicum vel Spaletum ad tractandum et procurandum recceperationem navigii sui cum carico, secundum quod melius poterit, et bonum sit dare subventionem civi nostro; vadit pars, quod committatur supracomito predicto, quatenus debeat levare ipsum nuntium nostri civis cum rebus suis super galea, ut vadat secum ad partes Dalmatie, et descendat in illo loco habili, ubi galea capitabit, dando sibi illam subventionem habilem, que cum honore nostro et securitate galee sibi videbitur expedire. De parte 78, de non 2, non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 49. p. 157, u mlet. arkivu.

God. 1413. 23. veljače, u Mletcih.

Odgovara se na molbe poslanika Šibeničkoga glede kneza i crkve i manastira s. Dominika.

1412. die 23. februarii. In consilio centum. Cum venerit ad nostram presentiam quidam frater ambaxiator communitatis et fidelium

nostrorum Sibenici, duo exponens sub credentialibus litteris, primo videlicet: quod in effectu dignaremur confirmare nobilem virum ser Petrum Zachariam in rectorem illius civitatis per duos annos, nam ipse nobilis est multum gratus et acceptus civibus deinde, et habebunt ad singularem gratiam et complacentiam.

Aliud est. Quod ecclesia et monasterium sancti Dominici est diruptum et guastatum a bombardis proiectis in guerra preterita in tantum, quod, nisi aptetur, tendet de brevi in finalem ruinam. Et propterea supplicat pro parte communitatis et rectoris fratrum illius conventus, quatenus dignemur concedere, quod de sale, qui datur monasterio pro elemosina, possint vendere vel extrahere absque solutione trentesimi, ut de pecunia et utilitate, quam percipient, possint facere construi et aptari monasterium, quia etiam erit ultra honorem sancti pulcritudo civitatis.

Vadit pars, quod respondeatur dicto oratori: et primo super facto rectoris Sibinici confirmandi etc. dicatur, quod ob amorem, quem gerimus illi communitati, reddat se certam, quod in omnibus possibilibus et honestis late complaceremus eidem communitati, sed habemus ordines et leges nostras, quas nos oportet observare, eligendo rectores per consilia nostra, sicut semper fecimus. Tamen bene dicimus, quod aut de ipso ser Petro Zacharia aut de alio natabili nobili nostro providebimus taliter, quod poterunt et habebunt merito contentari.

Ad secundam partem respondeatur, quod optantes complacere dicte communitati et domino rectori ac aliis fratribus de conventu predicto sancti Dominici, tum in honorem sancti, tum ut ipsi devoti fratres orent deum pro felicissimo statu nostro, sumus contenti, quod de sale, qui dabitur sibi pro elemosinis, possint vendere aut extrahere ad tantam quantitatem, de qua percipiatur summa centum ducatorum de trentesimo in anno, et hoc usque ad annos tres tantum pro reparatione et aptatione monasterii suprascripti. De parte 78, de non 2, non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 49. p. 157 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 3. ožujka, u Mletcih.

Dozvoljava se njekomu Zadraninu u Mletcih zatočenu, da za mjesec dana može otići u Zadar.

1413. die 3. marcii. In rogatis. Cum nobilis vir Johannes Michaelis de Nassis civis noster Jadratinus hic steterit et stet de nostro mandato cum maxima obedientia, et commendetur bona fidelitate et legalitate, ac habeat multa agere in dictis partibus, ac humiliter supplicaverit, quod dignemur eidem licentiam concedere, quod pro aliquibus suis agendis possit ire Jadram, dando bonam plezariam redeundi; vadit pars, considerata eius fidelitate, quod concedatur eidem, quod possit ire Jadram et stare per unum mensem, ut illo medio tempore possit providere de factis suis, dando plezariam provisoribus nostris communis, que eis placeat de illa quantitate pecunie, que eis videbitur, de redecendo Venetias secundum promissionem factam. De parte 77, de non 5, non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 49 p. 160, u mlet. arkivu.

God. 1413. 6. ožujka, u Mletcih.

Odgovara se na listove poslanika tada u Trstu u poslu mira sa kraljem Sigmundom.

1413. die 6. martii. Ser Nicolaus Victuri, ser Antonius Mauro procurator, ser Marinus Karavello procurator, ser Fantinus Michael, sapientes consilii; ser Andreas Justiniano, ser Andreas Contareno, ser Laurentius Bragadeno, ser Marcus Dandulo, sapientes guerre. Capta in consilio centum. Quod rescribatur nobilibus viris ser Thome Mocenigo procuratori ecclesie sancti Marci et Antonio Contareno oratoribus nostris in hac forma:

Recepimus die tercio mensis instantis litteras vestras datas Tergesti primo eiusdem mensis hora sexta noctis, per quas vidimus omnes praticas habitas cum domino cardinali legato apostolico et comite Bertoldo mediatoribus huius tractatus et cum ambassiatoribus regis Hungarie, et omnia que dicta et facta sunt hinc inde usque ad illam horam ac modos servatos per vos et omnia alia, que in ipsis litteris multum distincte et ordinate continetur, de quibus omnibus remanemus plenissime informati, et exinde virtutes et sapientias vestras et modus hactenus observatos dignissime commendamus. Et notavimus illa duo partita vobis proposita per dictos mediatores et responsiones vestras in nolendo acceptare illa nec alterum eorum, quod nobis valde placuit atque placet, quia sapienter et optime respondistis. Notavimus etiam, quod usque tunc non aperueratis intentionem nostram circa solutionem septemmilium ducatorum pro aliqua alia causa quam pro recognitione Dalmatie, et deinde qualiter per verba, que dixit dominus cardinalis Francisco Bevazano notario nostro hora quinta noctis comprehendebatis, quod nullo modo erat sperandum possendi venire ad concordium super factis Dalmatie nisi quod teneamus id, quod tenemus ad presens, et quod rex teneat id, quod tenet ad presens, et quod pro recognitione eorum, que tenemus in Dalmatia, detur singulo anno aliqua quantitas denariorum dicto regi, quia comprehenditis, quod nunquam consentiet, quod solutio VII mille ducatorum fiat pro alia causa, nisi sicut continetur in pace celebrata Taurini, et super hoc petitis libertatem et declarationem a nostro dominio.* Unde vobis respondemus cum nostro consilio centum, quod licet ea, que dixistis et promisistis nomine nostro, sint cum honore dicti domini regis, tamen ut manifeste appareat sincera dispositio nostra ad hoc salutiferum bonum pacis, nos declaramus vobis mentem nostram in hunc modum videlicet: quod in casu quo comprehendatis, non posse venire ad conclusionem pacis cum solutione dictorum VII mille ducatorum pro recognitione Dalmatie, sicut hactenus proposuistis, sumus contenti, quod possitis promittere solutionem ipsorum VII mille ducatorum pro tempore futuro pro causa et per modum contentum in pace celebrata Taurini, habendo absolutionem de tempore preterito; et ulterius pro recognitione Dalmatie vel saltem terrarum et locorum, que tenemus in Dalmatia, in quibus includatur etiam Tragurium, si hoc poteritis obtinere, faciendo circa hoc omnem possibilem experientiam, sumus contenti, quod possitis promittere usque summam ducatorum V mille vel inde infra quanto melius poteritis pro utilitate et commodo nostri dominii singulo

*

anno; et si factis experientiis possibilibus videretis, quod non posset deveniri ad pacem nisi daretur dicto regi aliqua quantitas pecunie numerate ultra solutiones predictas annuales, sumus contenti, ut pro hoc non restet conclusio pacis, quod possitis promittere ad partem ad partem usque ad summam ducatorum C mille, procurando et instando toto posse, quod pro dictis contributionibus annualibus et pro ista summa usque ducatorum C mille ultra terras et loca, que habemus ad presens in Dalmatia, habeamus etiam Tragurium. Et tamen si videretis non posse obtinere Tragurium, sumus contenti, quod concludatis sine Tragurio, remanentibus nobis terris et locis, quas et que possidemus ad presens; ita quod ponendo rem in brevibus terminis, si poteratis devenire ad conclusionem bone pacis, factis experientiis possibilibus, damus vobis libertatem concludendi in pace et promittendi solutionem VII mille ducatorum pro tempore futuro pro causa, que continetur in pace Taurini, et ducatos usque V mille pro recognitione Dalmatie annuatim, et ulterius ducatos C mille, quam recognitionem Dalmatie facere debeatis sub illo meliori et utiliori titulo quem poteritis pro bono et comodo status nostri, salvo quod sub titulo vicariatus, quia esset in libertate domini regis semper revocare vicariatum. Sed nobis placeret titulus census, et si non possetis obtinere de censu, placeret nobis titulus pheudi gentilis, procurando, ut predicitur, obtinere saltem Tragurium ultra ea, que possidemus. Et si illud obtinere non possetis, nolumus, quod pro hoc restet conclusio pacis ut supra. Pro terris autem imperii observabitis formam mandatorum nostrorum, que per commissionem et aliter habuistis.

Et si per modos predictos vel aliquem eorum devenire poteritis ad pacem, sicut speramus, concludatis in nomine yesu christi; et si post tales conclusiones vel ante aut per alium modum videretis, quod possemus habere Tragurium, sumus contenti, quod ultra predicta possitis promittere pro Tragurio nomine pignoris aut alio modo ad partem ad partem usque summam ducatorum L mille cum conditione, quod nunquam restituere teneamur Tragurium nisi quando dicta quantitas tota simul nobis fuerit restituta, et hec est intentio nostra circa facta Dalmatie. Habeatis tamen menti in omnem eventum venientibus vobis ad conclusionem pacis, quod prefatus rex promittat, quod in terris, locis et portubus Dalmatie, qui et que non remanerent in potestate nostra, non detur receptus, reductus, favor nec aliquod iuvamen nec victualia aliquibus gentibus vel navigiis inimicorum nostrorum aut aliquorum, qui vellent esse vel attendere ad damna nostra terrarum, subditorum et navigiorum nostrorum, sicut est debitum et honestum. In predictis autem procurabitis illam maiorem utilitatem, comodum et honorem, quem poteritis pro nostro dominio sicut de fidelitate et sapientia vestra speramus.

Alias autem libertates, quas habetis in expendendo in illis personis, que essent utiles ad hec facta, et omnes alios ordines vobis datos circa istos tractatus et conclusiones in sua firmitate volumus remanere, salvo in facto libertatis, quam habetis de ducatis CC mille, quam revocamus in casu quo possetis devenire ad pacem cum solutionibus predictis annualibus ducatorum VII mille et ducatorum V mille et C mille ducatorum.

Reducimus vobis ad memoriam pro expressa utilitate nostra, quod quia in pratica habita cum domino Laurentio de Pastoch inter cetera continetur, sicut ipse dixit, quod dummodo aptentur duo facta principalia, videlicet imperii et Dalmatie, de factis VII mille ducatorum dominus rex esset contentus stare ad iudicium cuiuscumque etc., propter hoc nobis valde placeret, quod antequam promitteretis solutionem VII mille ducatorum pro causa contenta in pace Taurini, essetis primo concordes de factis Dalmatie et imperii, quia esset maximum preiuditium factis nostris, quod solutio dictorum VII mille ducatorum iam promissa fuisset pro illa causa, et postea non deveniretur ad conclusionem super aliis factis. Super aliis autem partitis et promissionibus et praticis relinquimus in libertate vestra anteponendi et postponendi sicut vobis utilius videbitur secundum formam vestre commissionis.

Deliberata iam responsione, quam vobis damus, ut superius dictum est, ad litteras vestras datas primo presentis, subsequenter recepimus heri alias litteras vestras datas tercio presentis hora tercia noctis in Tergesto simul cum aliis litteris repplicatis, per quas vidimus magis distincte ea, que dixit dominus cardinalis Francisco Bevazano, et postea collationes et praticas habitas cum illis mediatoribus, qui substancialiter dicunt, quod per ea, que comprehendebant de intentione regis et suorum ambaxiatorum, non videbant, quod pax concludi posset per modos per vos propositos. Et propterea proposuerunt vobis viam treuguarum per modum in vestris litteris declaratum, et quod interim res committerentur in manibus summi pontificis de iure et de facto et tanquam amicabili compositori terminandi et difiniendi, sicut sibi videretur etc., sicut in vestris litteris continetur, et bene intelleximus omnes responsiones vestras et terminos, in quibus remansistis secum. Et propterea omnibus diligenter et mature discussis, vobis scribimus et mandamus cum nostro consilio centum, quod dicere debeatis sive mittatis Franciscum Bevazano ad dicendum dicto domino cardinali, qualiter vos notificastis nostro dominio illa verba, que ipse dixit dicto Francisco, que in effectu concludebant, quod rex Hungarie forte esset contentus devenire nobiscum ad concordium, tenentibus nobis id, quod tenemus, et tenente eo id, quod tenet in Dalmatia cum aliqua contributione annuali etc. Et quod propterea confidentes amplissime de sua paternitate, et sperantes in sua persona plusquam in aliquo alio circa ista facta, vultis habere principalem recursum ad eum, et sibi dicere largo modo vestram intentionem, videlicet quod quia dicta via pacis et concordii multis respectibus est utilior et convenientior pro utraque parte, et etiam quia sine dubio nostrum dominium mirabatur de tantis varietatibus praticarum, vos rogatis suam paternitatem, quod velit reducere praticam ad tractatum pacis et non treuguarum, quia dicte treugue ita breves non possunt esse utiles alicui partium, et instabitis sive facietis instare toto posse apud ipsum dominum cardinalem in secreto, quod ipse vobis dicat et declaret, si per illam viam per eum dictam Francisco Bevazano possemus devenire ad pacem cum dicto domino rege, quia eo casu dominatio nostra faceret de rebus, que essent cum honore et utilitate dicti regis. Et si comprehenderetis per verba et opinionem dicti cardinalis aut per aliam bonam viam et modum videretis, quod posset deveniri

ad conclusionem pacis per illam viam, quam dixit Francisco, sumus contenti, quod sequi debeatis modum et ordinem, quem vobis damus per alias litteras suprascriptas pro veniendo ad pacem. Sed si comprehenderetis, quod rex non attenderet ad illam viam, intentio nostra non est, quod aperiatis mentem nostram circa ea, que facere vellemus in casibus suprascriptis, quia si forte deveniremus per aliam viam vel medium ad tractatum pacis vel concordii, esset multum nocivum factis nostris, quod iam publicata fuisset intentio nostra.** Et inter cetera recordamur vobis, quod nullo modo detis in scriptis aliquid de intentione nostra alteri parti nec mediatoribus, nisi quando essetis de omnibus in concordio, et quod deberent stipulari contractus, imo dicere et declarare debeatis dictis mediatoribus, quod locuti estis large et domestice secum super istis factis pro veniendo ad hoc bonum pacis; sed si forte non veniretur ad conclusionem, habeant omnia illa, que dixistis et promisistis pro non dictis, et de illis non faciant aliquam opinionem nec capitale pro tempore futuro.

Quando vero expresse videretis, quod nec per viam dicti domini cardinalis nec per aliam viam posset deveniri ad tractatum et conclusionem pacis, sicut superius dictum est, et quod deveniretur ad praticam treuguarum, sicut iam videmus esse propositum; tunc volumus, quod faciatis totum posse vestrum de reducendo dictas treuguas ad spacium decem annorum vel inde supra sicut continetur in alio nostro mandato, quod habetis, scilicet quod restituantur hinc inde omnia loca ablata in partibus Istrie, Foroiulii, Feltri et Cividadi et marchie Tarvisane; et si manifeste comprehendetis, quod dicte treugue haberi non possent *(nisi)* dando aliquam quantitatem pecuniarum, damus vobis libertatem in hoc casu promittendi pro imprestito usque ad quantitatem ducatorum C mille; sed habeatis bene advertentiam de non elargando vos de aliquo numero pecuniarum dando pro dictis treuguis, nisi videretis expresse, quod treugue haberi possent ut supra. Si vero videretis, quod non posset deveniri ad treuguas per decem annos vel inde supra, et quod restituerentur terre et loca ablata hinc inde secundum libertatem, quam habetis, sumus contenti, quod possitis illas concludere a decem annis infra usque ad annos quinque quanto melius poteritis, procurando toto posse, quod terre et loca ablata in partibus specificatis deponantur in manibus unius tercie persone confidentis partibus; et quando hoc esse non posset, sumus contenti, quod veniatis ad ipsas treuguas, tenentibus partibus id, quod tenent ad presens; et in hoc casu nolumus dare aliquam pecunie quantitatem pro tali treugua, salvo quod si in tali treugua quinque annorum vel inde supra dictus rex vellet restituere omnia nobis ablata ut supra; etiam in hoc casu sumus contenti mutuare sibi usque summam ducatorum C mille. Et in talibus conclusionibus treuguarum volumus esse hanc clausulam, quod licet transactum esset tempus treuguarum, non tamen intelligantur expirate, donec restituti nobis fuerint dicti C mille ducati.

Ad partem autem committendi res istas in manibus summi pontificis de iure et de facto et tanquam amicabili compositori etc. pro presenti non damus vobis aliquam libertatem, quia intendimus subito mittere ad summum pontificem pro aliqua bona causa, de qua bene debetis

esse informati: Et propterea procuretis toto posse venire ad conclusionem pacis per modos superius specificatos et declaratos; et quando via pacis non posset habere locum, veniatis ad treuguas, ut predicitur; sed non possendo habere pacem, multum placebit nobis, quod teneatis alios tractatus quanto magis suspensos et quanto longiores poteritis, ut isto medio possimus habere responsionem a summo pontifice, quia tunc magis deliberate poterimus vobis respondere ad hoc factum.

Iterum quoque dicimus et replicamus, quod principaliter attendatis ad viam pacis, quia illa via pacis est salutifera super omnes alias pro statu et bono nostro, et via treuguarum non est sine periculo et preiuditio agendorum nostrorum, quia omnes tractatus, quos aliunde habemus, irent in ruinam. Et insuper habeatis advertentiam in casu quo veniretis ad compositionem aliquam pacis vel treugue, per quam esset expediens dare pecuniam numeratam, quod dicta pecunia detur per aliquos terminos competentes; et tamen si hoc facere non possetis, faciatis quam melius poteritis, ut pro hoc non restet conclusio, ad quam veniretis.

Habeatis memoriam in omnem eventum vel pacis vel treugue, quod includantur magnifici dominus marchio Estensis, domini Carolus et Pandulfus de Malatestis, dominus Ravenne, dominus Tristanus et frater de Savorgnano, ceterique nostri colligati, adherentes et recommendati sicut in aliis nostris ordinibus continetur. De parte 55.

Ser Barbonus Mauroceno sapiens guerre vult partem suprascriptam per totum sicut iacet, salvo quod non vult quod fiant treugue, tenentibus partibus id, quod tenent, prout continetur superius. De parte 18.

Ser Rossus Marino sapiens consilii vult principium partis suprascripte usque * et postea dicatur:

Unde vobis respondemus cum nostro consilio centum, quod licet ea, que dixistis et promisistis nomine nostro, sint cum honore domini regis, tamen ut manifeste appareat sincera dispositio nostra ad hoc salutiferum bonum pacis nos declaramus vobis mentem nostram in hunc modum videlicet: quod habentes memorie, quod in pratica, quam habuimus cum domino Laurentio de Pastoch hic in Venetiis, ipse inter cetera dixit, quod dummodo aptarentur duo facta principalia, videlicet imperii et Dalmatie, de factis VII mille ducatorum et de aliis differentiis dominus rex esset contentus stare ad iudicium cuiuscumque etc., intentio nostra esset pro expressa et evidenti utilitate nostra, quod antequam promitteretis solutionem dictorum VII mille ducatorum pro causa contenta in pace Taurini, essetis primo concordes de factis Dalmatie et imperii, quia esset maximum preiuditium factis nostris, quod solutio dictorum VII mille ducatorum iam promissa fuisset pro illa causa, et quod condemnassemus nosmet, et postea non deveniretur ad conclusionem super aliis factis; et propterea reservando hoc factum VII mille ducatorum ad ultimum, sumus contenti, quod pro recognitione Dalmatie vel saltem terrarum et locorum, que tenemus in Dalmatia, in quibus includatur etiam Tragurium, si poteritis obtinere, possitis promittere usque summam ducatorum V mille vel inde infra quanto melius poteritis pro utilitate et comodo nostri dominii singulo anno; et si factis experientiis possibilibus videretis, quod non posset deveniri ad pacem nisi daretur dicto regi aliqua quantitas pecunie numerate ultra predictam

solutionem annualem, sumus contenti, ut pro hoc non restet conclusio pacis, quod possitis promittere ad partem ad partem usque ad summam ducatorum C mille. Et si forte videretis, quod non attenderet ad pecuniam numeratam, sed vellet maiorem contributionem annualem, sumus contenti, quod non dando pecuniam numeratam possitis promittere usque ad summam ducatorum VIII mille pro recognitione predicta annuatim, procurando toto posse in omnem casum vel dando solutionem annualem et pecuniam numeratam vel solum solutionem annualem, quod habeamus etiam Tragurium. Et tamen si videretis non posse obtinere Tragurium, sumus contenti, quod concludatis sine Tragurio, remanentibus nobis terris et locis, quas et que possidemus ad presens. Et vellemus, quod recognitio Dalmatie esset sub titulo census vel feudi gentilis vel sub alio meliori et utiliori titulo, qui possibilis esset, sed magis placeret nobis census quam feudum gentile; sed nolumus, quod fiat sub titulo vicariatus, quia esset semper in libertate domini regis revocare vicariatum. Et hec intentio nostra circa facta Dalmatie. Pro terris autem imperii observabitis formam aliorum mandatorum nostrorum. Et si super factis Dalmatie et imperii eritis concordes per modos suprascriptos, et restaret solum differentia VII mille ducatorum, tunc sumus contenti, quod non possendo aliter facere nec concludere pacem possitis promittere solutionem dictorum VII mille ducatorum pro tempore futuro pro causa et per modum contentum in pace celebrata Taurini habendo absolutionem de tempore preterito, sicut in commissione vestra continetur. Reducimus quoque ad memoriam vobis, quod iustificare debeatis iura nostra, quod non teneamur ad solutionem dictorum VII mille ducatorum pro causa contenta in pace Taurini. Et si in receptione presentis nostri mandati processissetis ad alium tractatum secundum formam vestre commissionis, ita quod presens ordo locum habere non posset, procedatis secundum formam aliorum mandatorum nostrorum et libertatis vobis attribute.

Et si per modos predictos vel aliquem eorum devenire poteritis ad pacem, sicut speramus, concludatis in nomine iesu christi; et si post tales conclusiones vel ante aut per alium modum videretis, quod possemus habere Tragurium, sumus contenti, quod ultra predicta possitis promittere pro Tragurio nomine pignoris aut alio modo ad partem ad partem usque summam ducatorum L mille cum conditione, quod nunquam restituere teneamus Tragurium, nisi quando dicta quantitas tota simul et semel nobis fuerit restituta.

Habeatis tamen menti venientibus vobis ad conclusionem pacis, quod prefatus rex promittat, quod in terris et locis et portubus Dalmatie, qui et que non remanerent in potestate nostra, non detur receptus, favor nec aliquod iuvamen nec victualia aliquibus gentibus vel navigiis inimicorum nostrorum aut aliquorum, qui vellent esse vel attendere ad damna nostra, terrarum, subditorum et navigiorum nostrorum, sicut est conveniens et honestum. In predictis autem omnibus procurabitis illam maiorem utilitatem et commodum ac honorem quem poteritis pro nostro dominio, sicut de fidelitate et sapientia vestra speramus.

Alias autem libertates, quas habetis in expendendo in illis personis, que essent utiles ad hec facta et omnes alios ordines vobis datos

circa istos tractatus et conclusiones in sua firmitate volumus remanere salvo in facto libertatis, quam habetis, de ducatis CC mille, quam revocamus in casu quo possetis devenire ad conclusionem pacis cum modis et conditionibus superius declaratis.

Existentibus nobis in deliberatione suprascripte responsionis vobis exhibende ad litteras vestras datas primo presentis, recepimus alias litteras vestras datas tercio hora tercia noctis, quibus effectualiter scribitis collactiones et praticas habitas cum mediatoribus, qui substancialiter dixerunt, quod per ea, que comprehendebant de intentione regis, non videbant, quod pax concludi posset per modos per vos propositos, quia rex omnino vult Dalmatiam et terras imperii; et proinde proposuerunt vobis viam treuguarum, et quod res committantur in summum pontificem etc., sicut in vestris litteris continetur. Quibus omnibus bene consideratis et examinatis vobis respondemus cum nostro consilio centum, quod certi reddimur, quod post datam dictarum litterarum vestrarum fueritis in praticis et tractatibus suprascriptis, et quod forte res sint reducte ad aliam formam, que nobis non potest esse nota. Sed quia comprehendimus, quod via treuguarum non bene faceret pro nobis nisi forte dicte treugue essent per longum tempus, et consideramus, quod pax magis facit pro nobis quam treugue, vobis scribimus et mandamus cum nostro consilio centum, quod si forte remansissetis vel essetis ad presens in tali termino, aut videretis posse reducere praticam ad viam pacis per aliquem modum, debeatis per omnes vias possibiles intrare et stare super tractatu pacis et videndo, quod pax sequi possit cum illa declaratione, quam petiistis, volumus, quod procedatis ad pacem cum modo et libertate quam vobis damus per hunc novum mandatum. Si vero omnino essetis extra spem pacis, sumus contenti, quod veniatis ad treuguam per spacium decem annorum vel inde supra secundum ordinem, quem habetis. Et si non esset possibile venire ad dictas treuguas per modum predictum, sumus contenti, quod veniatis ad treuguas per spacium quinque annorum vel inde supra quanto melius poteritis, tenentibus partibus id, quod tenent ad presens.

Ad partem autem dimittendi res istas in manibus pape etc., dicere debeatis, quod non est expediens ponere talem conditionem in treuguis, sed si fient treugue ut supra, tunc partes providebunt aut per viam pape aut per aliam viam intrandi ad viam pacis et concordii. Et hoc vobis dicimus, quia volumus scire certam intentionem summi pontificis, de qua esse debetis bene informati.

Et ponantur etiam illa verba contenta in parte quatuor sapientum consilii et guerre signata **, qui dicunt, quod non detur in scriptis, et quod illa, que dicta et promissa essent, habeantur pro non dictis etc., et etiam ponatur capitulum includendi colligatos, recommendatos, adherentes etc. De parte 9.

Ser Bartholomeus Nani sapiens consilii vult partem suprascriptam Rossi Marino sapientis consilii notatam heri sicut iacet, salvo quod non possint promitti ultra summam ducatorum V mille annuatim pro recognitione Dalmatie apud ducatos C mille, et postea dicatur dictis nostris ambassiatoribus, quod visis et bene examinatis litteris suis datis tercio presentis hora tercia noctis et aliis datis quinto presentis de sero, et

consideratis omnibus praticis habitis et intentionibus alterius partis, habitaque consideratione in omnem partem volumus, quod in casu quo videant posse concludere in pace per modum contentum in hoc nostro novo mandato, concludant in bona felicitate. Si vero comprehenderent, quod non posset deveniri ad pacem per modos predictos, tunc volumus, quod intrent ad praticam treuguarum, procurando toto posse habere illos per spacium saltem decem annorum vel inde supra secundum ordinem, quem habent. Et quando pur viderent non posse illas obtinere, quia altera pars vellet pro minori tempore, sicut dictum est, et omnino vellet, quod partes tenerent id, quod tenent ad presens, et quod sumus pontifex esset definitor istarum differentiarum de iure et de facto et tamquam amicabilis compositor, in his casibus, non possendo aliter facere, damus eis libertatem condescendendi ad partem ad partem, ut non rumpantur isti tractatus, ad istas treuguas usque ad tempus duorum annorum vel inde supra, et quod sit in libertate dicti pontificis prorogandi dictas treuguas unum alium annum et tantum plus, quantum erit expediens, si forte in dicto spatio non possent componi differentie suprascripte; et etiam si non possent obtinere per dictum tempus, sumus contenti, quod finaliter condescendant ad treuguas per unum annum, et quod sit in libertate pape prorogandi illas per unum alium annum et tantum plus, quantum erit expediens, donec composite fuerint differentie suprascripte. Et si non possent obtinere, quod terre et loca ablata restituerentur ut supra, sumus contenti, quod partes teneant id, quod tenent. Et insuper contentamur in hoc casu talium treuguarum, quod sumus pontifex sit et esse debeat definitor et compositor istarum differentiarum, quas habemus cum rege Romanorum et Hungarie de iure et de facto et tanquam amicabilis compositor sicut etiam altera pars requirit.

Volumus quidem, quod in omnem eventum et conclusionem tam pacis quam treugue includantur dominus marchio Estentis, domini Carolus et Pandulfus de Malatestis, dominus Ravenne, dominus Tristanus et frater de Savorgnano ceterique, colligati, recommendati et adherentes nostri, sicut habetis per alia nostra mandata, quia aliter facere non possemus.

Et ex nunc subito acceptetur oblatio, quam nobis fieri fecit summus pontifex, et collegium habeat libertatem mittendi unam personam ad conspectum sue sanctitatis ad obtinendum bullas et declarationes necessarias de dicta oblatione et promissione cum illa commissione et modis, qui dicto collegio videbuntur. De parte 15, de non 4, non sinceri 6.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5 p. 113, u mlet. arkivu.

God. 1413. 8. ožujka, u Mletcih.

Dalje o naputku za poslanike tada u Trstu u poslu mira ili primirja sa Sigmundom.

1413. die 8. martii. Ser Nicolaus Victuri, ser Rossus Marino, ser Fantinus Michael sapientes consilii; ser Andreas Justiniano, ser Bertu-

cius Pisani, ser Barbonus Mauroceno, ser Laurentius Bragadino sapientes guerre. Capta in consilio centum. Quod scribatur oratoribus nostris ser Thome Mocenigo procuratori et ser Antonio Contareno apud Tergestum:

Audito prudenti viro Francisco Bevazano notario nostro, quem ad nostram presentiam transmisistis, per cuius relationem multum abunde remansimus de omnibus illis negociis et etiam de vestris opinionibus advisati, ultra ea que vobis scripsimus per litteras nostras datas sexto presentis hora septima noctis, quas ad cautelam vobis mittimus replicatas presentibus alligatas, vobis scribimus cum nostro consilio centum, quod nostra intentio est, quod faciatis experientiam quantum sit vobis possibile veniendi ad tractatum pacis, sicut in dictis litteris nostris continetur, et in eo casu observetis modos et ordines, quos per dictas litteras exhibemus; et in casu quo non possetis ad pacem devenire ut supra, tunc venietis ad praticam treuguarum cum illis modis, quos per dictas litteras declaramus; et si non poteritis concludere tam in pace quam in treuguis secundum ordines suprascriptos, volumus tandem, quod condescendere possitis ad treuguas per spacium quinque annorum ad minus, tenentibus partibus id, quod tenent ad presens, et quod acceptare possitis summum pontificem tanquam amicabilem compositorem in differentiis, quas habemus cum rege Romanorum et Hungarie. Et ut videatur expresse, quod nostra intentio non est aliquo modo dilatare res istas propter istas treuguas, que forte videbuntur alteri parti nimis longe, et quod intentio nostra est optima et perfecte inclinata ad pacem, ex nunc sumus contenti, quod partes sint obligate mittere suas ambassiatas ad conspectum summi pontificis usque ad festum Paschatis ressurectionis proximum vel ad longius usque ad festum Pentecostes, ut deo dante deveniri possit ad conclusionem bone et vere pacis perpetuis temporibus durature per medium dicti summi pontificis, et quod ambassiate utriusque partis vadant cum sindicatibus et libertatibus sufficientibus, ut citius deveniri possit ad dictas conclusiones.

Et quia credimus, quod altera pars perseverabit in volendo summum pontificem de iure et de facto tanquam amicabilem compositorem, ad hoc dicere debeatis, quod quando partes miserint suas ambassiatas ad conspectum summi pontificis secundum processus et terminos rerum, semper erit in libertate partium eligendi dictum summum pontificem, si erit expediens, iudicem de iure et de facto et aliter providendi secundum importantiam et processus tractatuum pro veniendo ad concordium ut supra.

In omnem quidem casum vel pacis vel treugue volumus, quod includantur dominus marchio Estensis, domini Carolus et Pandulfus de Malatestis, dominus Ravenne, dominus Tristanus et frater de Savorgnano ceterique colligati, adherentes et recommendati nostri, qui essent in liga sive recommendatione et adherentia nostra tempore conclusionis huiusmodi pacis vel treugue. De parte 52, 59.

Ser Antonius Mauro procurator, ser Marinus Karavello procurator, sapientes consilii; ser Marcus Dandulo sapiens guerre: volunt quod respondeatur suprascriptis nostris oratoribus in hac forma. Per alias litteras nostras datas 6. presentis ad responsionem litterarum vestrarum datarum tercio et quinto presentis vobis ad plenum declaravimus men-

tem et intentionem nostram, et quicquid habetis observare cum mediatoribus et etiam cum ambassiatoribus regis Hungarie tam super facto pacis tractande, quia pacem plusquam treuguam optaremus, quam super facto treugue, quando ad pacem venire non possetis, ita quod de omnibus estis informati. Sed quia post responsionem nostram vobis missam misistis Venetias Franciscum Bevazano notarium nostrum, per quem nobis significastis omnes praticas habitas tam cum mediatoribus quam cum ambassiatoribus, tam super facto pacis quam treugue, et similiter denotastis nobis opinionem et parere vestrum, pro quibus omnibus vestram sapientiam et solicitudinem merito laudamus, volentes et fidelitati vestre mandantes cum nostro consilio centum, quatenus instare et sollicitare debeatis per omnes vias et modos vobis possibiles de intrando ad tractatum pacis cum ambassiatoribus regis, quia multum plus optamus venire ad pacem quam ad treuguam; et si hoc facere poteritis, debeatis observare mandata nostra modo ultimo vobis missa. Si vero ad tractatum dicte pacis intrare non possetis, debeatis sequi super facto treugue prout a nobis habuistis in mandatis, et circa intentionem nostram obtinendam et exequendam operari debeatis omnes vias et modos possibiles, prout in sapientiis et virtutibus vestris plene speramus; et si in dicta treugua aliter facere non possetis nisi quod terre remaneant in manibus quorum sunt debeatis procurare, quod in dictis terris stare non possint aliqui de la Scalla nec de Carraria; et si hoc obtinere non possetis, non restetis propterea de concludendo secundum formam mandatorum nostrorum. Et si ad dictam treuguam venire non possetis per terminum quinque annorum, quia ad illas ambassiatores regis condescendere nolent rationibus et causis per dictum Franciscum vestri parte nobis enarratis, damus vobis libertatem condescendendi ad terminum quatuor annorum firmorum sive trium firmorum et unius in libertate domini pape. Et si hoc obtinere non possetis, facta per vos omni possibili experientia, et videretis, quod tractatus ex toto rumperentur, sumus contenti, quod condescendere debeatis, quod dicta treugua fiat per tres annos firmos vel duos annos firmos et unum in libertate domini pape; et circa hoc faciendum debeatis facere posse vestrum, allegando illas rationes et causas pertinentes et necessarias, quas sapientissime allegare scietis. Super electione autem summi pontificis eligendi iudicis de iure et de facto et amicabilis compositoris sumus contenti, quod condescendere debeatis, quod dictus dominus papa sit inter partes amicabilis compositor; et ut alia pars cognoscat, quod longas treuguas non petimus causa dilatandi rem et non veniendi ad pacem, ymo quod oppositum sit, et quod intentio nostra sit veniendi ad pacem, debeatis dicere, quod quotienscumque dominus rex mittet suos ambasciatores ad presentiam pape, nos similiter mittemus nostros; et ut hoc effectualiter videant, placet nobis, quod procurare debeatis, quod ambassiatores partium sint ad presentiam pape vel in festum ressurectionis proximum vel in festo pentecostes; et providere debeatis, quod eorum sindicatus et mandatum sit ita in bona et sufficienti forma, quod cum erunt ad presentiam pape non sit opus mittendi iterato ad accipiendum maiorem libertatem, et ambaxatores partium tam sui quam nostri, si eis videbitur et erunt insimul concordes, habeant libertatem eligendi summum pontificem iudicem de iure et de facto.

Et ex nunc declaretur, quod non possit dari libertas nostris ambassiatoribus, qui mitterentur ad presentiam pape ista de causa possendi eligere dominum papam iudicem de iure et de facto nisi habeatur littera a domino papa alias nobis oblata in illa forma, que videbitur nostro dominio. De parte 17; de non 22, 28; non sinceri 14, 16.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5, p. 115, u mlet. arkivu.

God. 1413. 16. ožujka, u Mletcih.

Dva iz Vrane radi viernosti od Mletčana obdarena.

1413. die 16. marcii. In centum. Cum ad nostram presentiam comparuerint duo fideles nostri nomine Johannes Bretonich et Johannes Ocillo de castro Aurane, qui sicut per litteras rectorum nostrorum Jadre et per relationem nobilis viri ser Zacharie Trivisano militis ab illis partibus redeuntis, ad honorem et statum nostri dominii mirabiliter se gesserunt, relictis domibus, animalibus et rebus suis, presertim tempore, quo Hungari obsiderunt dictum castrum Aurane. In qua obsidione perseverantibus eis ad conservandam fidelitatem nostri dominii contra dictos Hungaros, domus eorum combuste et arbores et vites consumpte fuerunt, unde ipsi comsumpti remanserunt, et in maxima necessitate recurrentes ad gratiam nostram, subsidium et favorem nostri dominii suppliciter implorantes; vadit pars, consideratis predictis, pro laboribus suis et premio eorum, que fecerunt pro nostro dominio, et ut aliis materia prebeatur perseverandi circa conservationem honoris et status nostri communis. Et quia habuerunt tempore novitatis predicte circa staria XV frumenti, staria XVI ordei, staria VI milei et circa quartas XXII vini, ex nunc sit captum, quod dicte quantitates bladorum et vini remittantur eis, et ab earum restitutione absolvantur. De parte 69, de non 5, non sinceri 2.

Senato. Misti. Vol. 49, p. 161 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 16. ožujka, u Mletcih.

Knez šibenički da može potrošiti na uhode do sto malih litara.

1413. die 16. marcii. In centum. Quod concedatur nobili viro ser Petro Zacharia rectori et gubernatori Sibinici, quod pro mittendo exploratores et nuntios ad sentiendum de novis pro utilitate et comodo agendorum nostrorum possit expendere usque libras centum parvorum de pecunia nostri communis. De parte alii, de non 1, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 49, p. 162, u mlet. arkivu.

God. 1413. 16. ožujka, u Mletcih.

Dozvoljeno Pažanom do 300 for. za dogradjenje njihove tvrdjave.

1413. die 16. marcii. In centum. Cum alias captum et ordinatum fuerit, quod pro rehedificatione reducti sive fortilicii Pagi possent expendi

ducati CCL, et sicut scripsit et fecit nobis exponi communitas nostra Pagi, ipsa pecunia non sufficit, et petit, quod concedatur de aliis ducatis centum pro emendo calcinam etc.; vadit pars, considerata fidelitate dictorum subditorum nostrorum, quodque locus ille est nobis magne utilitatis sine aliqua expensa, propter quod est utile providere, quod possit bene conservari, quod ultra ducatos CCL alias concessos comes noster Pagi possit expendere alios ducatos L, ita quod sint in totum ducati CCC, cum conditione, quod de ista summa expendantur ducati centum, et alii ducenti in lignaminibus, ferramentis et magistrantia, residuum vero fiat per communitatem et homines dicti loci, sicut se offerunt.

Item quia gravantur, quod solvunt maius datium salis quam facint alii de Arbe et Nona, scribatur retoribus nostris partium illarum, quod taliter invicem se intelligant, quod in facto dicti datii omnes nostri subditi tractentur equaliter. De parte omnes, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 49, p. 162, u mlet. arkivu.

God. 1413. 18. ožujka, u Mletcih.

Poslanikom, koji su ugovarali mir sa kraljem Sigmundom.

1413. die 18. martii. Ser Nicolaus Victuri, ser Antonius Mauro procurator, ser Marinus Karavello procurator, ser Fantinus Michael, ser Bartholomeus Nani, sapientes consilii; ser Andreas Justiniano, ser Andreas Contareno, ser Bertucius Pisani, ser Laurentius Bragadino, ser Marcus Dandulo, sapientes guerre.

In consilio centum. Quod respondeatur nobilibus viris ser Thome Mocenigo procuratori et ser Antonio Contareno oratoribus nostris in hac forma:

Intellectis litteris vestris datis Aquilegie die XVI presentis hora secunda noctis, quas hoc mane recepimus, quibus scribitis aditum vestrum de Grado Aquilegiam ac collationes et praticas habitas cum domino cardinale et comite Bertoldo circa tractatum pacis et omnia alia, que dixistis et operati estis pro reducendo praticam ad pacem potius quam ad aliquam aliam viam et cetera alia, que in ipsis vestris litteris continentur, pro quibus omnibus et pro modis per vos observatis, qui nobis admodum placuerunt, sapientias vestras dignissime laudamus, quia super duobus principaliter petitis declarari: videlicet super partito vobis proposito per dictum dominum cardinalem, si rex confirmaret nobis id, quod tenemus in Dalmatia per XXV annos cum certo annuali censu cum conditione, quod si interim non interveniret alia conventio inter partes, quod in capite dictorum XXV annorum partes remanerent in illis terminis et iuribus, quibus sunt ad presens, quid ad hoc responderetis etc., et insuper super factis colligatorum nostrorum cum quibus conditionibus includi debeant in pace pro his, que tenent ad imperium spectantibus.

† Vobis respondemus cum nostro consilio centum, quod si poteritis devenire ad conclusionem pacis secundum formam mandatorum nostrorum, que modo ultimo per reditum Francisci Bevazano vobis dedimus, nobis summe placeret; sed si non possetis devenire ad pacem, dictum

partitum nobis multum placet et contenti sumus, quod possitis illud praticare et concludere cum conditionibus in vestris litteris declaratis cum censu a mille usque quinquemilia ducatorum annuatim pro dicto tempore XXV annorum, confirmando libertatem ultimo vobis datam de ducatis centum mille, si erit expediens. In factis autem aliarum differentiarum tam pro terris imperii quam pro VII mille ducatis et pro aliis rebus confirmamus etiam libertatem, quam habetis per ultimum nostrum mandatum.

De factis autem Tragurii vos scitis libertatem, quam habetis, et propterea relinquimus in libertate et discretione vestra proponendi dictum factum Tragurii et non proponendi sicut vobis utilius et melius videbitur pro bono istorum agendorum.

Et si poteritis concludere facta Dalmatie sine pecunia numerata, et videretis, quod pro aliis differentiis esset expediens dare pecuniam numeratam, damus vobis libertatem possendi promittere tam pro aptando facta imperii quam pro rehabendo terras et loca nostra et pro bona conclusione istorum negotiorum usque dictam summam ducatorum centum mille, de quibus habetis libertatem.

Ad factum autem colligatorum, adherentium et recommendatorum nostrorum dicimus, quod intentio nostra est, quod includantur, sicut alias scripsimus, cum ista conditione, quod illi, qui tenent aliquid, quod pertineat ad iurisdictionem imperii, tenere et possidere debeant id, quod tenent, recognoscendo ab imperio cum illa honorificentia et contributione, ad quam obligantur pro terris et locis, quas et que tenent et possident de iurisdictione imperii. Et quod illi, qui cum his conditionibus voluerint includi, includantur et non aliter.

Si vero non possetis concludere nec in pace nec cum partito suprascripto, et esset pur expediens venire ad treuguas, confirmanus libertatem, quam habetis, super facto treuguarum. De parte 37.

Capta. Ser Rossus Marino sapiens consilii, ser Bertucius Pisani sapiens guerre: volunt partem suprascriptam, sed loco secundi capituli crucesignati ponatur capitulum infrascriptum.

Vobis respondemus cum nostro consilio centum, quod si poteritis devenire ad conclusionem pacis secundum formam mandatorum nostrorum, que modo ultimo per reditum Francisci Bevazano vobis dedimus, nobis summe placeret. Sed si non possetis devenire ad pacem, et vobis proponeretur dictum partitum, placet nobis, quod illud acceptare possitis et concludere cum censu a mille usque V mille ducatos annuatim pro dicto tempore XXV annorum. Confirmando libertatem ultimo vobis datam de ducatis centum mille, si erit expediens; et etiam, si vobis non proponeretur dictum partitum, sumus contenti, quod non possendo venire ad pacem, sicut esset nostra intentio, dextro modo intretis ad dictum partitum cum conditionibus suprascriptis. In factis aliarum autem differentiarum tam pro terris imperii quam pro VII mille ducatorum et pro aliis rebus confirmamus etiam libertatem, quam habetis per ultimum nostrum mandatum. De parte 52.

Ser Vitus de Canali consiliarius vult partem per totum cum ista additione: quod si ambassiatores viderent, quod conclusio tam pacis quam partiti suprascripti restaret pro pecuniis, sicut habent libertatem

promittendi pro censu annuali ducatos usque V mille, ita habeant libertatem possendi promittere usque summam ducatorum VII mille annuatim pro censu. De parte 10, de non 2, non sinceri 1.

Secreta cons. rogatorum. Vol. 5. p. 117 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 28. ožujka, u Mletcih.

Nalaže se poslanikom poslanim kralju Sigmundu u poslu mira, neka s njim sklope primirje.

1413. die 28. marcii. In consilio centum. Capta. Cum nobiles viri ser Thomas Mocenigo procurator ecclesie sancti Marci et Antonius Contareno ambaxiatores nostri ad partes Foroiulii pro tractatu pacis cum domino rege Hungarie etc. miserint Venetias Franciscum Bevazano notarium nostrum cum certis capitulis infrascriptis, et petierint intentionem nostram, si deveniri debeat ad treguam cum capitulis predictis; vadit pars, quod primo ad primum et secundum capitulum videlicet:

Quod pro differentiis existentibus inter serenissimum et excellentissimum dominum Sigismondum Romanorum et Hungarie regem etc. ex una parte et illustrem et excelsum dominum Michaelem Steno dei gratia Venetiarum etc. ducem, dominium et comune Venetiarum ex altera tam occasione imperii quam regni et corone Hungarie tantummodo fiant treugue et sufferentie per annos quinque, hac tamen conditione, quod dicte partes teneant omne et totum id, quod tenent et possident ad presens in quibuscumque partibus et locis.

In quibus treuguis et sufferentiis tantummodo, ut suprascriptum est, ex parte dicti serenissimi domini regis intelligantur et includantur reverendus dominus Ludovicus electus patriarcha et ecclesia Aquileiensis ac tota patria Foroiulii, comes Ortemburg, comites Goricie, dominus de Valse, dominus Johannes Franciscus Mantue. Et ex parte dicti illustris domini ducis, dominii et comunis Venetiarum intelligantur et includantur magnifici Carolus, Pandulfus et Malatesta fratres de Malatestis, magnificus dominus marchio Estensis, magnificus dominus Opizo de Polenta Ravenne etc., dominus Tristanus de Savrognano et frater, domini Articus et Guido comites de Porciliis, domini Schinella, Basilius, Rolandus, Manfredus et Antonius comites de Collalto, Jacobus de Castronovo de Caldenacio, Vinciguerra et Antonius fratres de Arco, Antonius et Castronus fratres de Castronovo de Ivana, Aldrigetus et Guilielmus fratres de Castrobarcho de Lizana, Otto de Castrobarcho de Albano, Marchabruuus et Antonius fratres de Castrobarcho de Gresta, Marchabrunus de Castrobarcho de Beseno et Guilielmus de Castrobarcho vallis Lagarine.

Respondeatur, quod sumus contenti de capitulis suprascriptis cum ista additione, quod neutra pars nec quisquam eorum supracontentorum possit prebere auxilium vel favorem alio cuicumque ex alia quacumque causa inquietudinem, turbationem aut molestiam inferenti alteri parti vel cuiquam eorum durante dicto tempore.

Ad tercium capitulum videlicet: et ut tempore dictarum treuguarum et differentiarum deveniri possit ad pacem bonam et perpetuis temporibus duraturam dicte partes eligunt et assumunt in amicabilem

compositorem omnium differentiarum existentium inter partes predictas sanctissimum in christo patrem et dominum Johannem XXIII sacrosancte Romane et universalis ecclesie summum pontificem, qui nisi de voluntate partium possit amicabiliter finalem concordiam facere.

Respondetur, quod sumus contenti prout in capitulo continetur. Verum ut videatur intentio nostra de veniendo presto ad pacem, placet nobis, quod procurare debeant, quod apponatur terminus mittendi ambaxiatas, et de termino mittendi relinquatur in libertate sua. Verum si nolent ponere terminum mittendi ambaxiatas, sumus contenti, quod capitulum ponatur prout superius notatum est.

Super quarto capitulo de transitu suo videlicet Item quod dominus rex cum suo exercitu possit transire libere per quecumque territoria, pontes, passus et aquas, que tenet comune Venetiarum, etiam intrare personaliter civitates, oppida et castra cum honesta et decenti comitiva, si voluerit, in quibus tam maiestas sua quam sui debeant honorabiliter tractari et recipi, prout decet, sic tamen, quod sui exercituentes amicabiliter transeant, nec ulterius damna inferantur, quam fuerit consuetum, per ipsos exercituentes transeuntes per territoria amicorum, et quod per dictum comune Venetiarum provideatur de victualibus pro suis pecuniis precio competenti.

Respondeatur, quod debeant procurare honesto et debito modo, quod ponatur pro transitu pro eundo ad accipiendum coronam imperii, ostendendo hoc incidenter dicere; et quando hoc obtinere non possent, sumus contenti, quod condescendant secundum formam dicti capituli, declarando in omni casu, quod predictus dominus rex teneatur notificare nostro dominio adventum suum per tres menses ante; et si hoc obtinere non possent, condescendant ad duos menses, et si hoc non possent obtinere, condescendant per unum mensem ut notificet adventum suum, ut possimus pro dicto suo adventu de rebus necessariis providere. Verum si in presenti transire vellet, sumus contenti dictum transitum in presenti sibi dare.

Item si aliquis ex colligatis alterius partis inferet guerram vel molestiam alicui parti alterius, non per hoc intelligatur rupta treugua, sed moventi guerram vel molestiam ut supra non possit pars sua prebere auxilium vel favorem. De parte 101, de non 10, non sinceri 11.

In consilio centum. Capta. Quod scribatur ambaxiatoribus nostris predictis, quod conclusis treuguis teneant modum, quod subito publicentur in campo regis, quia similiter publicabuntur in nostro. Et quod subito incipiantur observari in locis propinquis, et habeant libertatem statuendi illos terminos, qui erunt competentes et rationabiles ad scribendum per loca partium secundum distantiam provinciarum et locorum pro publicatione et observantia treuguarum predictarum. De parte 104, de non 2, non sinceri 3.

Capta in consilio centum. Quia sunt multi nobiles et cives Utinenses, qui sunt extra Utinum, qui adheserunt domino Tristano, et secuti sunt partes nostras, scribatur nostris ambaxiatoribus, quod debeant procurare quantum eis possibile sit cum domino cardinale, quod in conclusione treuguarum teneat modum, quod dicti exititii possint libere repatriare et gaudere omnibus bonis suis, considerato maxime, quod non fuerunt

personaliter contra regem, sed steterunt et sunt extra Utinum propter partialitates et divisiones intrinsecas, et cupiunt vivere quiete et pacifice in domibus suis. Et si non possent facere, quod repatriarent, procurent saltem, quod gaudere possint bonis et possessionibus suis. Et circa hec faciant dicti nostri ambaxiatores omnem suam possibilitatem, ut dicti cives Utinenses pro serviendo nostro dominio non remaneant exclusi et consumpti. Et tamen si hoc obtinere non possent, non restent propter hoc a conclusione treuguarum. De parte 88, de non 9, non sinceri 5.

Capta in consilio centum. Quia dominus rex Hungarie per expositionem Piponis del Bene et relationem Francisci Bevazano multum cupit, quod provideatur super facto captivorum in hunc modum, videlicet, quod mittentur huc duo ex suis, qui erunt cum duobus ex nostris, et providebunt ad liberationem illorum per illos modos, qui sint iusti et rationabiles; vadit pars, quod scribatur nostris ambaxiatoribus, quod dictus modus recordatus per dominum regem nobis placet, et propterea dicant, quod conclusis treuguis potest mittere duos de suis et nos deputabimus duos ex nostris, qui providebunt circa liberationem et redemptionem dictorum captivorum per omnes vias et modos rationabiles et honestos; recordando tamen dicto domino regi, quod non sunt captivi nostri sed gentium nostrarum armigerarum et stipendiariorum nostrorum, sed nichilominus nos offerimus facere et operari totum id boni, quod poterimus pro complacentia sua. De parte 106, de non 2, non sinceri 1.

Capta. Cum egregius vir Filippus del Bene nuncius summi pontificis nostro dominio exposuerit, quod dominus rex sibi dixerat, quod deberet nostro dominio exponere, quod dederat comiti palatino Nicolao de Garra et Johanni fratri suo insulas Kersi et Auseri, et quod procuraret, ut illas restitueremus dictis comiti palatino et Johanni; et addiderit idem Pipus, quod multum esset utile, quod super hoc provideremus per ea, que tractare haberemus cum domino rege super facto pacis, quia habendo istos propicios et favorabiles, tenendum est, quod habebimus alios barones Hungarie propicios et favorabiles; vadit pars, quod respondeatur dicto Philippo del Bene, quod nostra dominatio ex antiqua amicicia fuit intrinsece coniuncta magna benivolentia et amore cum patre dictorum dominorum, et sic sumus cum dominis predictis, quia eos semper dileximus et diligimus tanquam amicos carissimos. Verum super requisitione per eum facta de dictis duabus insulis Kersi et Auseri respondemus, quod, sicut ipse scit, nos sumus super tractatu treugue, in qua partes debeant remanere in illis terminis, quibus sunt, propter quod in presenti de dictis insulis non est praticandum; verum cum veniemus ad praticam pacis, dicti domini debeant esse certissimi, quod taliter providebimus, quod habebunt causam remanendi bene contenti de nostro dominio.

Secreta cons. rogatorum. Vol. 5, p. 119 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 2. travnja, u Mletcih.

Ovlašteni poslanici, da galijami razpolažu po potriebi.

1413. die 2. aprilis. Capta in consilio centum. Quod scribatur ser Thome Mocenigo procuratori et ser Antonio Contareno, oratoribus nos-

tris apud Latisanam, quod in casu quo concludantur treugue, debeant licentiare ser Georgium Capello supracomitem culfi et ser Antonium Civrano, quod cum suis galeis revertantur Venetiis ad disarmandum, salvo si dicti ambaxiatores viderent, quod esset necessarium, quod dicte galee aut aliqua earum remanerent ibi per aliquos dies, quod in eo casu possint illas retinere et licentiare, sicut eis utilius apparebit. De parte 65, de non 1, non sinceri 0.

Secreta consilii rogatorum Vol. 5. p. 121 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 4. travnja, u Mletcih.

Sandalj zahtieva od Mletčana što mu duguju.

1413. die 4. aprilis. Cum sicut est manifestum ambaxiator magnifici domini Sandali magni vaivode Bossine iam pluribus diebus elapsis venerit ad presentiam nostri dominii, et cum magna instantia requirat illos VI mille ducatos, quos habere debet a nostro dominio a camera nostra frumenti, et qui accepti fuerunt inde pro mittendo Jadram, et sub ista spe emerit aliquos pannos aureos, siricos, perlas et aliqua alia non parvi valoris, et sit honor nostri dominii et etiam debitum tenere modum, quod dictas pecunias habere possit; vadit pars, quod dicti VI mille ducati dari debeant dicto ambaxiatori de pecuniis medii prodis, quod retinetur illis, qui habent imprestita et non fatiunt de imprestitis, vel de pecuniis deputatis pro factis presentis guerre per illum meliorem medium, qui videbitur collegio pro honore nostro. De parte alii, de non 3, non sinceri 2.

Senato. Misti. Vol. 49. p. 171, u mlet. arkivu.

God. 1413. 6. travnja, u Mletcih.

Mletčani gledaju izpraviti njeke zaprieke, koje su priečile, da se sklopi primirje.

1413. die 6. aprilis. Quod fiat responsio ambaxiatoribus nostris viris nobilibus ser Thome Mocenigo et ser Antonio Contareno in hac forma:

Capta in consilio centum. Litteras vestras datas tercio instantis mensis et ipsa die replicatas, ac alias datas quarto mensis Latisane, heri recepimus cum inclusa copia capitulorum ponendorum in treugua, per continentiam quarum litterarum et capitulorum remansimus plene informati de praticis et aliis secutis per vos, ac procuratis cum omni diligentia et solicitudine, ut obtinere possetis intentum nostrum et dare conclusionem tractatui treugue per formam vobis missam per providum virum Franciscum Bevazano, pro quibus providentiam et virtutem vestram recommendantes, respondemus, quod visa et comprehensa per primas et secundas litteras differentia, pro qua destitit conclusio treugue, scilicet occasione domini Tristani etc., quoniam de ceteris capitulis in concordio estis, non possumus nisi valde admirari, quod altera pars non contentetur condescendere ad hanc rem tam honestam et convenientem,

pensantes nos promptas rationes, que in hoc facto dici possunt et quas, ut certi reddimur, vos informati de mente nostra debetis allegavisse in nostrum favorem, et quantum efficacia verba vestra debuissent consonasse mediatoribus tractatus, et similiter ad aures domini regis, si optat venire ad treuguam bonam et comunem utrique partium, sed precipue adhuc propter ea, que nobis reportavit Franciscus Bevazano parte vestra, dicens, Pipum Spanum dixisse in pratica facta deinde, quod existentibus partibus in concordio de aliis, factum domini Tristani bene aptaretur. Et quia propter perseverantiam domini regis egregius vir Philippus del Bene orator apostolicus de beneplacito domini cardinalis legati accessit nostro dominio, et particulariter etiam narravit praticas et modos servatos, subiungens, sicut in vestris litteris continetur, dominum regem dixisse domino cardinali, quod cum honore suo non posset condescendere, quod dominus Tristanus et frater includantur in treugua, quia quando ipse dominus Tristanus dare voluit de locis patrie dominis ducibus Austrie, fuit per consilium parlamenti bannitus in havere et persona, et per dominum regem dictam sententiam confirmatam, quam dicit promisisse observare per publicas litteras suis sigillis sigillatas, quibus contravenire non posset; declaramus vobis, quod auditis verbis suis, multas allegationes fecimus in oppositum, habuimus multas disputationes insimul utiles et in favorem nostrum iustificando iura nostra, per que nullo modo possemus derelinquere ipsum dominum Tristanum et fratrem nisi cum maximo onere et dedecore nostro ob promissiones sibi factas, et quia nobiles cives nostri sint et recommendati, et se et castra sua posuerunt in manibus et potestate nostri dominii, ubi alii videntes, quod derelinquissemus eos, ex tali exemplo nullam unquam caperent fidem de nostro dominio. Sed ipse dominus rex conservato honore suo bene potest condescendere licite. Nam clarum est, quod in tractatibus treuguarum partes faciunt sufferentias, ut, sicut est consuetum, servari se abstineant a qualibet novitate toto durante tempore treugue, et ob hoc includunt se ipsas partes et comuniter quoslibet colligatos, adherentes et recommendatos partium tum pro removendo omnem causam scandali tum pro possendo, si partes habent bonum animum de treugua, devenire ad bonam pacem. Et sic facere volumus nullum excludendo de nostris sicut facit de suis omnibus de patria et aliis, quorum de patria aliqui et dominus Guilielminus, et alii existentes recommendati nostri, fuerunt rebelles nobis, et fregerunt fidem et promissiones suas, et tamen consentimus cum maximo onere nostro, ut includantur in treugua. Et similiter de aliis dominis, sicut est dominus Mantue, qui vigore testamenti quondam patris sui erat adhuc sub protectione et tutoria nostra non existens adhuc in etate legitima, et nobis fecerat promissiones sigillatas, et receperat pecuniam nostram pro dando nobis gentes suas, et existens noster nobilis et civis, omnia nobis fregit, et adheruit voluntati domini regis, que quantum ponderemus et teneamus ad iniuriam et gravedinem quilibet potest imaginare. Nam certe transeunt cor nostrum, quod debeamus inclinare, et tamen inclinamus ipsum includi in treugua, ut bonum concordium sequi possit, ne dicatur, quod deficiat a parte nostra. Sed conclusive certum modum habilem et honestum reperimus, ad quem clare cognovimus, quod Pipus del Bene illum modum audiens,

dum foret in pratica nobiscum, non potuit dare oppositum, videlicet dominus rex asserit ob sententiam confirmatam et promissionem factam etc., aliter facere non posse pro honore suo nolendo contravenire etc. Et nos dicimus, quod hoc modo non contraveniret, et observabitur honor regius et noster, videlicet quod ultra capitula treugue, notata in forma quam vobis destinavimus per Franciscum Bevazano, in qua includi debeat ipse dominus Tristanus et frater, formetur unum aliud capitulum novum, per quod dominus rex in complacentiam gratam nobis condescendat et velit, quod sententia predicta, ut dicitur confirmata per ipsum dominum regem ac executio cuiuslibet sententie contra predictos fratres teneatur et teneri debeat suspensa usque per totum tempus treugue, nam postea videbitur, quid erit fiendum. Et hic modus rationabilis et honestus potest cum honore regis et nostri dominii convenienter acceptari. Et propterea sperantes et pensantes, quod difficultas non fiet in hac re comuni, que continet plenitudinem honestatis, fidelitati vestre committimus cum suprascriptis et aliis verbis et rationibus, quas sapienter scietis dicere et allegare ad propositum et in favorem iurium nostrorum, debeatis operari spiritus et sensus vestros, ut in nomine iesu christi cum modis et conditionibus suprascriptis detur executio et complementum facto, secundum quod de virtute et providentia vestra plene confidimus.

Et ex nunc captum sit, quod debeant cum verbis et modis supra scriptis responderi egregio viro Philippo del Bene oratori apostolico in iustificationem iurium nostrorum, rogando nobilitatem suam, ut velit esse cum reverendissimo domino cardinali legato apostolico, et hortari suam reverendissimam parternitatem parte nostri dominii, ac reportare sibi et explicare predicta, et cum hac intentione ipsi tanquam sapientissimi et, ut sumus certi, desiderosi honoris nostri operari excellentem virtutem suam in hac re, quia per hunc modum honestum et comune utrique partium scient complere id, quod principiaverunt et mediaverunt cum adiutorio dei. Ob hoc autem acciperent laudem et premium a deo et honorem perpetuum mundo cum demonstrata benevolentia nostri dominii.

Ultimate ad partem, quam scribunt ambaxiatores, si secuta treugua et veniendo ad praticam pacis, debent tractare per modum et formam sibi datam in commissione et aliis mandatis nostris, que super facto pacis habent. Respondeatur, quod placet nobis et sic eis mandamus, quatenus presentialiter debeant observare commissionem et alia mandata nostra, que habent super facto pacis ad partem ad partem, sicut in illis continetur. Nam si aliqua difficultas caderet, poterunt immediate nos de omnibus informare, et sic facere debeant de die in diem, ut advisati possimus disponere, sicut cedat ad honorem et conservationem status nostri. De parte 87, de non 7, non sinceri 10.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 121 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 13. travnja, u Mletcih.

Upućuju se poslanici glede promjena zahtievanih od Sigmunda u osnovi primirja.

1413. die 13. aprilis. Capta in consilio centum. Cum redierit ad nostrum dominium egregius orator apostolicus Pipus del Bene occasione certe differentie, que mota est in pratica treugue, que tractatur per nostros ambaxiatores, et insuper venerit providus vir Franciscus Bevazano notarius noster missus ab ambaxiatoribus nostris, qui parte ipsorum prudenter retulit omnes praticas secutas, et iuxta relationem suam ac continentiam copie unius littere, quam dominus rex promittit facere in forma, existente treugua firmata, et bullari suo sigillo, in qua appareant promissiones et obligationes facte nostro dominio, ut eodem modo unam similem promissionis agamus ipsi domino regi etc., videtur, quod, dominus rex ponit de novo unum aliud punctum, quod non posuit pridie in capitulis suis, nec per partem suam quesitum fuit.

Videlicet in hac forma: Item quod in predictis treuguis et sufferentiis tantummodo, ut supradictum est, ex parte nostra intelligantur et includantur dictorum imperii et corone Hungarie etc. subditi et precipue dominus electus patriarcha. Idcirco fieri debeat responsio nostris ambaxiatoribus, quod intellectis praticis secutis ab ipsis ad dominum regem, et intentionem, quam dominus rex ostendit habere bonam deveniendi ad treuguam, ut illa sit via dutrix ad pacem, non possumus non mirarit quod in capitulis primo datis per dominum regem fiat talis additio, en de novo queratur difformitas capitulorum, que sibi placuerunt, et io quibus nulla dubietas facta fuit: et super ipso puncto posito de novo quantum plus facimus considerationem, postquam ipsum audivimus, tantt plus cognoscimus, quod importat ad nos et statum nostrum, et possei nobis inducere inconvenientiam et preiudicium magnum et domino regı levissima res est. Nam si loquitur generaliter ut fit pro subditis imperi et corone includerentur una magna pars mundi subditi sui. Et nos, quod nostri trafficant per terram et per mare in omnibus partibus mundi, si molestarentur seu damnificarentur, non possemus agere aliquid contra eos se deffendentes fore subditos imperii. Ita quod non videtur consonum nobis optantibus vivere in pace, sicut notum est omnibus, nec etiam querimus hoc ob respectum domini regis, sed aliarum nationum, que habent alium animum quam habeat dominus rex. Propterea debeant nostri ambaxiatores cum dictis et aliis rationibus, que dici possunt, et quas sapientissime scient allegare, procurare et operari spiritus suos, quod per alterum istorum duorum modorum fiat conclusio ac capitula et ad treuguam suprascriptam, videlicet, primo quod instent, ut punctum stet in forma, qua stabit ante mutationem presentem, et super eo faciant omnem possibilem experientiam, quia multum placebit nobis; et non possendo obtinere, ut est dictum, sequantur per hunc secundum modum videlicet in hac forma: item quod in predictis treuguis et sufferentiis tantummodo, ut supradictum est, ex parte nostra intelligantur et includantur dictorum imperii et corone Hungarie etc. subditi inferius descripti videlicet: venerabilis electus patriarcha etc.

Quando autem facta possibili experientia ambaxiatores non possent obtinere ut est dictum, et altera pars specificaret et nominaret illos,

quos vellet includi in treugua videlicet suos de regno Hungarie et de partibus circa Ivanis, et inde supra, volendo ipsos debere includi in treugua, et insuper infrascriptos videlicet: venerabilem Ludovicum electum patriarcham etc. nominando illos de capitulo specificatos, placet nobis, quod dicatis fore contentos, ut capitulum fiat et formetur modo predicto. Et sic debeant in bona gratia concludere et firmare treuguam pro mittendo in quolibet duorum modorum predictorum, quod infra tot dies mittemus litteram nostram patentem et sigillatam cum promissionibus capitulorum, ut a parte nostra adimpleatur, quod ad nos spectat, et similiter fieri debeat a parte domini regis.

Super facto autem tangente ad dominum Tristanum dicatur nostris ambaxiatoribus, quod si vident in aliquo posse avantagiare factum domini Tristani, videlicet quod remaneat capitulum, ut volebamus, et ut sibi misimus, bene quidem. Quando autem ambaxiatores non possent obtinere, sed quod altera pars vellet omnino illam conclusionem, quod si Tristanus moveret guerram seu novitatem alicui alteri ex colligatis etc. sicut iacet in capitulo nunc ultimo misso per ambaxiatores nostros, tunc sumus contenti, quod propter hoc non desistatur a tam fructuoso opere, quod in bona gratia, si pro alia causa non deficeret, quod cum forma capituli notati in bona gratia per ambaxiatores nostros attendi debeat ad conclusionem facti.

De facto autem rebellium, si de novo fiet mentio ambaxiatoribus nostris, ut super hoc sciant nostram intentionem per eos observandam et procurandam, significetur eis, et si placeret nobis ex utraque parte servari debere, videlicet quod nulla fieri debeat mentio de hoc, sed quod hoc pertineat et sit in libertate partium ad faciendum gratiam suis rebellibus, videlicet dominus rex habeat agere de rebellibus suis et nos de nostris, quemadmodum melius videbitur.

Ultimate quia nostri ambaxiatores querunt propter praticata cum domino rege, qui ostendit habere intentionem ad pacem, quod secuta treugua, si debent sequi ad praticam pacis, vellent scire, si debent sequi iuxta formam mandatorum sibi datorum, et etiam vellent ulteriorem declarationem super quatuor punctis, videlicet super facto insule Chersi et Ausseri, quam rex dicit donasse alias magno comiti, et super facto habendi Dalmatiam ad certum terminum annorum; tercio super facto imperii; quarto super facto Brixie et terrarum Parme et Regium domini marchionis; respondeatur ipsis ambaxiatoribus, quod intelleximus ea, que nobis significarunt super hoc, et placet nobis, quod attendant ad factum treugue; et firmata treugua, cum dei gratia, si altera pars est contenta, dent principium pratice pacis, sicut nobis notificarunt, sequendo formam mandatorum nostrorum, que habent circa tractatum pacis. Et interim sibi declarabimus intentionem nostram, aut si aliquid occurreret eis de novo, nobis de die in diem significent, quia declarabimus eis modos tenendos et observandos per ipsos in tractatu. De parte 72, de non 19, non sinceri 17.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 122 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 14. travnja, u Castelletu.

Primirje medju Sigmundom ugar.-hrv. kraljem i Mletčani.

Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. rex. Notum facimus tenore presentium universis, quod ad instantiam celeberrimamque exhortationem et inductionem studiosam reveren. in christo patris domini Brande tituli sancti Clementis presbiteri cardinalis Placentini vulgariter nuncupati, apostolice sedis legati, amici nostri carissimi, illustrissimi Bertholdi de Ursinis comitis palatini et Averie, sanctissimi in christo patris et domini domini Joannis pape XXIII. consiliarii et ambassatoris, ac nobilis viri Philippi Joannis del Bene de Florentia nuntii eiusdem domini pape, de mandato et beneplacito sanctitatis sue amore desiderate pacis accensorum et illariter ferventerque laborantium pro generali bono christianitatis ac publice rei commodo et incremento felici guerrarum dissidia et iurgiorum fomites extinguere cupientes et suffocare de et super omnibus et singulis dissensionibus, discordiis, displicentiis et guerrarum materiis ac eorum occasione inter nos ab una et illustrem principem Michaelem Steno ducem, dominium et comune Venetiarum parte ex altera subortis et temptatis hic inde mutuo et vicissim ex adverso factis et perpetratis eisdem duce, dominio et comune tam occasione imperii quam regni et corone Hungarie etc. tantummodo per medium nobilium virorum Thome Mocenico procuratoris ecclesie sancti Marci et Antonii Contareno ambassiatorum dicti ducis et communis Venetiarum, pleno mandato fulcitorum, treguas pacis seu sufferentias fecimus, munivimus et firmavimus, ac facimus et munimus et sub verbo nostro regio promittimus et firmamur per presentes sub infrascriptis modis, capitulis atque formis. Primo, quod huiusmodi tregue fideliter, firmiter et inviolabiliter ab utraque parte servari et teneri debeant per annos quinque a dato presentium continue se sequentes. Item quod quelibet partium omne id et totum, quod tenet et possidet ad presens, per iam dictos quinque annos teneat et possideat in quibuscunque partibus et locis. Item quod huiusmodi tempore quinque annorum quelibet partium predictarum se abstineat et cesset ac cessare et abstinere debeat ab offensis, et quod quilibet earumdem partium subditus cum mercantiis et rebus suis transire, stare, reddire, mercari ac conversari possit et valeat secure hinc inde per omnes terras, castra, loca, villas, passus, portus, aquas et territoria dictarum partium cuiuslibet earum, sicut ab antiquo faciebant vel facere poterant quovis modo. Item quod in predictis treguis et sufferentiis tantummodo, ut supra scriptum est, ex parte nostra intelligantur et includantur reveren. Ludovicus electus patriarcha et ecclesia Aquilegensis et tota patria Foroiulii, magnifici Henricus et Meinardus comites Goritie et Tirolis, Federicus comes de Ortemburgh, Joannes Franciscus nostri et imperii sacri Mantue vicarius generalis, et nobilis Rampertus de Vualdsce. Ex parte vero prefati ducis, dominii et communis Venetiarum intelligantur et includantur magnifici Nicolaus marchio Estensis, Karolus, Pandulphus et Malatesta de Malatestis, fratres Oppico de Polenta Ravenne etc., Tristandus de Sauorgnano et fratres Articus et Guido comites de Portiliis, Schinella Basilius, Rorandus Manfredus et Antonius comites

de Colalto, Jacobus de Castronovo de Caldenatio, Vincigreca et Antonius fratres de Arclio, Antonius et Castronius fratres de Castro novo de Viano, Andrigetus et Guilielmus fratres de Castrobarco de Lizana, Octo de Castrobarco de Albano, Marcabrunus et Antonius fratres de Gresta, Marchabrunus de Castro barco de Bozeno et Guilielmus de Castrobarco Valis Lugarine. Item quod neutra pars nec quisque eorum supracontentorum possit prebere auxilium vel favorem cuicunque alteri ex alia quacunque causa inquietudinem, turbantionem aut molestiam inferenti alteri parti vel cuicunque earum dicto tempore perdurante. Item ut tempore dictarum treguarum et sufferentiarum deveniri possit ad pacem bonam ac perpetuis temporibus duraturam, dicte partes eligunt et assumunt in amicabilem compositorem omnium differentiarum existentium inter partes predictas dominum Joannem supremum pontificem, qui tamen non possit nisi de partium voluntate amicabiliter finalem concordiam facere. Item quod nos cum exercitibus nostris libere transire possimus per quecunque territoria, pontes, passus et aquas, quas tenet commune Venetiarum, et etiam intrare personaliter civitates, oppida et castra cum honesta et decenti commitiva, si voluerimus, in quibus tam nos quam nostri debeamus honorabiliter tractari et recipi, prout decet, sic tamen, quod nostri exercituantes amicabiliter transeant, nec ulterius damna inferantur, quam fuerit consuetum per ipsos exercituantes transeuntes per territoria amicorum, et quod per dictum commune Venetiarum provideatur de victualibus pro nostris pecuniis et pretio competenti sic tamen, quod teneamur notificare adventum nostrum dicto dominio Venetiarum per unum mensem ante, ut possit de rebus necessariis providere. Item si aliquis ex superius notatis alterius partis inferet guerram vel molestiam alicui partis alterius, non per hoc intelligatur rupta tregua, silicet moventi guerram vel molestiam ut supra non possit pars sua prebere auxilium vel favorem; declarato et attento, quod si prefatus Tristandus contra presentem treguam aliquid committeret seu faceret aut alicui ex suprascriptis inclusis molestiam vel guerram inferret vel faceret directe vel indirecte, publice vel oculte, quod ex nunc eoipso extra presentem treguam positus existat penitus et exclusus, et quod predictum commune Venetiarum contra eum tamquam contra ipsorum proprium civem et ipsis rebellem procedere teneatur presentium sub nostre maiestatis sigilli testimonio litterarum. Datum in dessensu nostro campestri in patria Foroiulii apud Castelletum anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo tertio decimo, decimaseptima die aprilis, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. vigesimo septimo, Romanorum vero tertio.

Iz rukopisa u Marciani „Classe VII. Codice MCLXXX.“ Commemorialium X. 129, u mlet. arkivu.

God. 1413. 28. travnja, u Mletcih.

Odgovara se poslanikom tada u napuljs. dvoru glede saveza.

1413. die 28. aprilis. Capta in consilio centum. Quia sunt iam prope duos menses, quibus recepimus litteras a nobilibus viris ser

Bernabove Lauredano et ser Marco Venerio oratoribus nostris ad serenissimum dominum regem Ladizlaum cum capitulis per dictum dominum regem porrectis, et deinde de tempore in tempus recepimus multas alias, per quas et per quamplures alias vias nos videmus et comprehendimus, quod idem dominus rex miratur et gravatur de tanta dilatione responsionis. Et sit utile bonum dare responsionem dictis oratoribus nostris et declarare mentem nostram prefato domino regi: vadit pars, quod scribatur dictis ambaxiatoribus in hac forma.

Quampluribus iam diebus elapsis recepimus litteras vestras cum capitulis vobis datis per serenissimum dominum regem Ladizlaum circa factum lige contrahende inter suam serenitatem et nostrum dominium, et subsequenter quamplures alias litteras vestras de tempore in tempus recepimus multa continentes secundum ea, que habuistis et sensistis in partibus illis, pro quibus virtutem et sollicitudinem vestram merito laudamus. Causa autem, propter quam tantum respondere distulimus, est, quia in suprascriptis capitulis sunt multa ardua et varia a commissione vobis data et multum discordantia ab his, que cum sua serenitate praticare habebatis nomine nostro, ad que nullo modo consensissemus, super quibus oportebat nos habere bonam considerationem et solemne consilium. Et stantibus nobis in his declarationibus et consiliis, ut possemus venire ad terminos et conclusiones utiles et rationabiles pro utraque parte presertim pro conservatione statuum utriusque partis contra serenissimum regem Sigismondum novum electum Romanorum, fuimus isto medio tempore per personam valde notabilem requisiti de tractatu pacis vel treugue inter ipsum dominum novum electum et nostrum dominium, et ex tali requisitione de passu in passum cum speciali intentione dicti domini regis misimus oratores nostros ad presentiam suam in patria Foroiulii, qui tandem post multas praticas et tractatus pro universali bono christianitatis et comodo utriusque partis concluserunt et firmaverunt treuguas die XVII presentis, que durare debent per annos quinque proximos secuturos. Propterea mandamus vobis cum nostro consilio centum, quatenus receptis presentibus studeatis comparere ad presentiam prefati serenissimi domini regis, et facta primo excusatione de causa dilationis, ut supra dicitur, et replicatis sibi rationibus, que nos moverunt ad mittendum ad conspectum suum, que iudicio nostro erant iuste et rationabiles pro utraque parte, iustificatis iuribusque nostris cum illis amicabilibus et sapientibus verbis et modis, qui vestre prudentie videbuntur, dicere debeatis et manifestare sibi conclusionem treugue suprascripte, sicut per alias litteras nostras datas XVIIII presentis vobis scripsimus, concludendo in hac forma: quod licet huiusmodi treugue sint secute, que non sunt in aliqua parte contra suam serenitatem, tamen firma dispositio nostra est velle perseverare in bona et perfecta amicicia cum excellentia sua, et non querere nec consentire aliquid, quod credamus posse converti in damnum et preiudicium sui status, quem amamus et amare intendimus tanquam proprium, ymo sit certissimus, quod nunc et in futurum quotienscumque videbimus posse aliquid facere, quod sit honoris et exaltationis sue serenitatis, ipsa habebit nos promptos et perfecte dispositos in omnibus, que erunt ad conservationem honoris et status sui cum honore utriusque partis, sicut videbit per effectum, quia

sine dubio tenemus, quod talis dispositio sue sublimitatis versus nostrum dominium, offerendo nos circa predicta cum illis amicabilibus, bonis et utilibus verbis, que vestre sapientie videbuntur, et procurando toto posse facere ipsum nobis benivolum et propicium, sicut est intentio nostra versus eum. Et quod in casu quo placeat sublimitati aliquid dicere vel vobis comittere, vos estis parati referre et procurare apud nostrum dominium omnia, que sint de beneplacito suo. Et factis expositionibus suprascriptis, auditaque responsione sua et his que dicere voluerit, sumptaque decenti licentia et comeatu a sua serenitate, debeatis redire Venetias de omnibus novis et conditionibus illarum partium informati. Volumus quidem, quod ad expositiones suprascriptas sit presens vobiscum consul noster pro honore nostro et sui consulatus, sed vos debeatis proponere et respondere et exequi illa, que vobis committimus, et que fuerint necessaria circa materiam suprascriptam. De parte 73, de non 10, non sinceri 7.

Capta in consilio centum. Quia sicut scribunt nobiles viri ser Bernabas Lauredano et ser Marcus Venerio ambaxiatores nostri apud serenissimum regem Ladizlaum, ipsi sunt in domo unius nobilis militis nomine dominus Artusius, dapiferi regii, qui eis fecit et facit maximum honorem et curialitatem; vadit pars, sicut requirunt dicti ambaxiatores, quod possint expendere usque summam ducatorum quinquaginta in illis rebus, que eis videbuntur, pro presentando et honorando dictum militem ac consortem et filios ac neptes et familiam sicut eis melius et honorabilius apparebit. De parte 75, de non 4, non sinceri 1.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. p. 124, u mlet. arkivu.

God. 1413. 29. travnja, u Mletcih.

Poslanikom o miru sa Sigmundom.

1413. die 29. aprilis. Quod respondeatur ambaxiatoribus nobilibus viris ser Tome Mocenigo procuratori ecclesie sancti Marci et ser Antonio Contareno existentibus in Patria apud serenissimum dominum regem Romanorum. In consilio centum. His diebus proxime elapsis recepimus tres litteras vestras Utini datas XX et XXIIII atque XXVII instantis mensis, per continentiam quarum denotastis omnes praticas, raciocinamenta et colloquia secuta et habita cum baronibus regiis et subsequenter cum comite Pipone super facto differentiarum, qui dixit vobis velle operire cogitamen domini regis super facto pacis. Intelleximusque responsiones per vos prudenter factas baronibus; sed nunc per hanc ultimam misistis nobis particulares petitiones domini regis vobis propositas et declaratas per dominum cardinalem et comitem Piponem, secundum quod in vestris litteris diffuse et particulariter continetur. Quibus omnibus plenissime intellectis et annotatis, et ex ipsis laudantes sapientiam et sollicitudinem vestram, providimus cum nostro consilio de centum vobis rescribere propter diversitatem mandatorum nostrorum, ac substantialiter declarare vobis in summa voluntatem et intentionem nostri domini est mediante gratia dei et virtute vestra valeatis, si dominus rex habet illam optimam dispositionem, quam scribitis ipsum habere, de volendo amicabiliter vivere nobiscum, venire ad conclusionem bone pacis. Ea

igitur, que volumus per vos sequi debere, sunt: primo, quod in memoria habeatis favorem et iustificationem iurium nostrorum, de quibus estis plenissime informati, sicut de providentia vestra confidimus plene, conando omnibus viis possibilibus trahere de mente regis et suorum baronum concessionem terrarum Dalmatie ad terminum, quoniam hec non esset pax perpetua etc, sed pro conservatione inviolabilis amicicie et conclusione bone pacis et perpetue sumus contenti devenire ad hos partitos videlicet, quod pro recognitione Dalmatie sub titulo specificato census videlicet terrarum, locorum et insularum Dalmatie et pro Tragurio, quod omnino procuretis habere, quia multum facit pro nostro dominio rationibus alias vobis expressis, et pro aptando facta terrarum et locorum imperii, que et quos teneremus, et confirmatione ipsorum, ac pro rehabendo terras et loca nostra amissa et ubilibet nobis occupata per gentes et subditos regios, possitis nomine nostro promittere ad partem ad partem usque ad summam ducatorum centumquinquaginta millium, quorum ducati centum millia solvantur firmata pace infra unum mentem vel duos aut plures, si fieri poterit, et de ducatis quinquaginta millibus fiat dilatio et terminus usque ad sex menses aut plures si possestis obtinere; preterea promittere possitis ducatos septem millia annuatim pro tempore futuro tantum, eo modo et forma, quibus continetur in pace Taurini, existentibus nobis absolutis a solutione temporis lapsi. Et quia hec sunt iusta et rationabilia, sumus certi, quod mediantibus virtutibus vestris taliter operabimini et scietis facere, quod modis predictis concludetis tractatum predictum pacis.

Si autem videretis, dominum regem aut mediatores suos velle omnino aliquid pro censu Dalmatie scilicet terrarum suprascriptarum, et faceret difficultatem in hoc, et facta per vos possibili experientia videretis hoc habere turbare tractatum pacis, sumus contenti, quod promittatis nomine nostro dare vel solvere unum sparverium aut unam copam argenteam singulo anno precii limitandi, secundum quod in vestris litteris continetur.

Volumus insuper, ut magnifici domini Nicolaus et Johannes de Garra comites sint propicii conclusioni istius tractatus pacis et precipue ad factum Tragurii, quod optamus habere, nam multum facit pro factis nostris, licet petierint insulas Chersi et Auseri occasionibus vobis notis, de quibus tamen modicam utilitatetem percipent. Nam quando plus percipitur de introitibus, non trahuntur ducati quadrigenti, et etiam propter aliquas promissiones factas incolis insularum predictarum, quando illas habuimus, quibus non possemus contravenire, quod possitis dicere ipsi domino Nicolao et fratri in secreto vel alio modo, ut vobis melius placuerit, quod sumus contenti providere ipsis fratribus de ducatis mille in anno videlicet ducatos quingentos pro quolibet ipsorum firmata pace aut dividendos inter eos, secundum quod vobis melius apparebit de quo sumus certi, quod remanebunt multum contenti, et merito habeant causam bone interpositionis.

Et si per suprascriptos modos poteritis obtinere, sicut sperandum est in divina gratia et in vestris virtuosis operibus, quoniam dominus rex, qui pretendit habere pecuniam, cognoscet optimum partitum et avantagium tangendi tantam pecunie summam. Et vos dabitis omnem

favorem, operam et causam cum illis utilibus verbis et rationibus, quas sapienter allegare et proponere scietis, de inducendo alteram partem ad conclusionem votivam; pro favore cuius recordamur vobis pro memoria et exemplo, quod dominus rex aliquibus dominis Lombardie confirmavit terras, quas possident, a quibus dominis rex non potest sperare quantum de amicicia et benevolentia nostra. Et ideo dominus rex debet realiter condescendere et demonstrare magnanimitatem excellentie sue, et habere memorie nostram ostensam continue caritatem et affectionem erga personam suam in maioribus extremitatibus, quam unquam fuerit, et in quibus multi solent compati, sed pauci subvenire. Et sequendo, quod dominus rex sit contentus ut est dictum, tunc in nomine ieshu christi concludatis, faciendo fieri instrumento et solemnitates opportunas et solitas fieri in contractibus pacis. Si autem videretis non posse sperare, quod dominus rex alienare vellet terras modo predicto nec condescendere ad nostram intentionem, debeatis dicere, quod ea, que habuistis praticanda, tantum sunt iusta et rationabilia, quod firmiter sperabatis non debere esse difficultatem, sed postquam videbitis propositum suum, quia aliud mandatum non habetis, subito nobis omnia significabitis et expetabitis velocem responsionem nostram. Et ita facere debeatis.

In pratica autem superiori vobis comissa, nec in conclusione quam faceretis, nolumus, quod ponatis factum Laurane nec ruinationem ipsius, quoniam ipsum locum habemus carum, et vidimus et experti sumus firmam constantiam fidelitatis subditorum ipsius loci; facimus enim mentionem de loco et situ loci, de autem spectantibus ad locum existentibus extra confinia nostra nichil dicere curamus.

Super facto colligatorum nostrorum videlicet domini marchionis pro facto Parme et Regii et domini Pandulphi pro facto Brixie, volumus et vobis mandamus, quod in hoc exequamini formam mandatorum nostrorum, videlicet quod tenere et possidere debeant illud, quod tenent ab imperio, cum illa honorificentia et contributione, ad quam obligantur.

Et quia libertatem habetis possendi expendere et facere promissionem usque ad summam ducatorum vigintimilium in illis personis, que vobis videbuntur propicie factis nostris et conclusioni pacis, et vos videtis, quod iam obligamus ducatos mille comitibus Nicolao et fratri de Garra, et sic intendimus facere aliquibus aliis, revocamus libertatem in tanta summa; et volumus, quod solum remaneat vobis libertas possendi expendere et promittere domino cardinali et aliis, qui vobis videbuntur, usque ad quantitatem decemmillium ducatorum.

Super facto domini Tristani et fratris dicimus et conveniens est et sic volumus, quod poni debeat in contractu pacis, nam ipse faciet promissionem obedientie illi, qui erit verus patriarcha et confirmatus per summum pontificum, et observabit et faciet sicut alii nobiles et castellani Patrie, dummodo non cogetur ad faciendum contra nostrum dominium et statum nostrum, cum conditione, quod habeant ipse et frater suus bona eorum in patria, et gaudeat illis et redditibus suis sicut iustum est.

Et similiter poni debeant illi nobiles de Brugnaria et comites de Collalto, habendo et gaudendo bonis suis, et similiter magnifici domini

Nicolaus marchio Estensis, Karolus, Pandulphus et Malatesta fratres de Malatestis, Opizo de Polenta Ravenne etc. et alii in treugua nominati.

Habeatis insuper menti, quod venientibus vobis ad conclusionem pacis perpetue, prefatus rex promittat, quod in terris, locis et portubus Dalmacie, qui et que non remanerent in potestate nostra, non detur receptus, reductus, favor nec aliquod iuvamen nec vitualia aliquibus gentibus vel navigiis inimicorum nostrorum aut aliquorum aliorum, qui vellent esse, venire vel attendere ad damna nostra terrarum, subditorum et navigiorum nostrorum, sicut est debitum et honestum.

Preterea quia per litteras rectorum nostrorum Istrie fuimus informati, quod illi de Albona et de Portulis discurrerunt territorium Istrie, et se extenderunt usque apud Polam, et commiserunt multas derobationes, aspordando multa animalia grossa et minuta et certos captivos, et predicta commiserunt post firmatam treuguam videlicet die XXII mensis instantis contra formam treugue; et similiter videtur, quod illi de Petra Pilosa discurrerint usque prope Piranum, inferendo damna et derobationes subditis nostris, quod certe nobis displicuit audire, quod iam per predictos presumatur fieri contra treuguam taliter, quod de iure debent esse extra illam. Similiter videtur per informationem, quam habemus a rectore Opitergii, quod Guilielminus de Prata miserit dictum uni nostro subdito de Opitergio, qui habet unum molendinum prope Opitergium, quod ex parte imperii non debeat macinare, et hoc modo querit movere subditos nostros ad zizaniam, idcirco comparere debeatis ad presentiam domini regis, et ei narrare predicta, rogando maiestatem suam, quatenus placeat mandare Guilielmino et illis de Prata, quod velint observare formam treugue et non contravenire et facere de rebus non honestis subditis nostris. Similiter quod det mandatum suis subditis Istrie, ut caveant ab inferendo tales raubarias et novitates, ut fecerunt, quia servantibus ipsis tales modos, erunt extra treuguam, et per consequens posset agi contra ipsos. Et propterea cum bonis et sapientibus modis providere debeatis, ut bonum et utile remedium opponatur factis predictis, et quod restituantur damna et bona, que ablata fuissent.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5. pag. 125 t. u mlet. arkivu.

God. 1413. 5. svibnja, u Mletcih.

Poslanikom, koji su ugovarali mir sa kraljem Sigmundom u Videnu.

1413. die 5. maii. Ser Nicolaus de Pesaro consiliarius, ser Bertucius Pisani sapiens guerre. In consilio centum. Cum nostri ambaxiatores scribant per has ultimas litteras datas secundo mensis instantis fuisse et intrasse ad praticam cum deputatis nomine regio secundum formam ultimorum mandatorum nostrorum, et substinendo et iustificando iura nostra fecisse promissionem ad partem ad partem de summa centum vigintiquinque millium ducatorum et alias promissiones notatas in litteris suis, et significent nobis responsiones habitas a mediatoribus tractatus nomine regio, et ea, que comprehendunt de mente domini regis, qui videtur non velle

attendere ad ea, que proposuerunt nostri oratores nec ad alien terras nisi ad certum tempus specificatum. Ex quo manifeste co. henditur, quod nisi detur ulterius mandatum oratoribus nostris, tract remanebit pacis, et ad nullam conclusionem veniemus. Et sicut cum gratia firmavimus treuguam cum honore nostri dominii, existente reg in patria hic prope, sic erit cum fama et gloria huius civitatis, quod firmetur conclusio pacis, quod omnes summo studio optare debent; vadit pars, quod non recedendo a via conclusionis bone, quod ambaxiatoribus nostris scribatur in hac forma, videlicet:

Scripsimus vobis pridie per litteras nostras datas vigesimonono mensis elapsi, et significavimus mentem et intentionem nostri dominii per vos exequendam iuxta formam mandatorum nostrorum; sed propter ea, que noviter scripsistis per duas vestras litteras, alteram de primo et alteram de secundo et alteram de tercio mensis instantis, per quam secundam specialiter significastis ea, que comprehenditis de mente et voluntate domini regis, qui non videtur dispositus alienare terras nisi ad tempus specificatum; significastis responsiones per vos prudenter datas, et requiritis declarationes aliquas etc. prout in vestris litteris diffusius continetur. Que omnia plene notavimus, vestram sapientiam laudantes, ac cum nostro consilio de centum rescribentes pro conclusione mandatorum nostrorum, quod in casu quo per formam et continentiam ultimarum litterarum nostrarum suprascriptarum datarum vigesimo nono mensis et partitorum contentorum in ipsis litteris possitis sequi et concludere, bene quidem observetis modos contentos in ipsis litteris. Quando autem, facta per vos possibili experientia, videretis non posse obtinere dictis modis, et quod non esset sperandum de possendo habere Tragurium includendum in terris Dalmatie pro quantitate ducatorum centum quinquaginta millium ad partem ad partem promissa cum confirmatione terrarum imperii ac restitutione terrarum et locorum amissorum et nobis occupatorum tempore huius guerre ubique locorum per subditos regis, et cum solutione septemmillium ducatorum prout in pace Taurini tempore futuro tantum, et existentibus absolutis de tempore preterito, ut in ultimis mandatis nostris continetur, aut habendo ipsum locum Tragurii pro imprestito fiendo per nos de ducatis quinquagintamillibus de summa centumquinquaginta millium ducatorum suprascriptorum, et quod non restitueretur locus nisi nobis restitueretur pecunia, non possendo vos devenire ad aliquem dictorum modorum sicut continetur in ultimis litteris et mandatis nostris, tunc sumus contenti, ut non restet conclusio pacis, quod relinquendo factum Tragurii extra, possitis promittere ducatos centum millia una vice solummodo solvendos modo contento in litteris nostris ultimis et dandos in quam longioribus terminis poteritis convenire a duobus mensibus ultra et cum aliis capitulis specificatis in ultimis litteris nostris. Et possendo hoc facere, concludatis in bona gratia.

Preterea si per modos et partitos suprascriptos non possetis devenire ad votivam conclusionem, ymo quod non procedendo ulterius, tractatus pacis infringeretur, quia dominus rex non attenderet ad volendum alienare terras Dalmatie, et quod nullam spem haberetis de alio modo, sumus contenti, factis per vos experientiis possibilibus, quod finaliter intretis ad praticam pacis, et condescendatis de accipiendo terras, insulas

et loca Dalmatie et Tragurium ad terminum annorum quinquaginta vel plurium, si fieri posset. Et pro recognitione et censu specificato predictorum ac pro optando factum terrarum et locorum imperii et confirmatione ipsorum et pro rehabendo terras et loca nostra amissa tempore huius guerre et nobis occupata per subditos regios possitis promittere ad partem ad partem usque ad summam ducatorum centumquinquagintamillium una vice solvendos et dandos, videlicet ducatos centummilia a duobus mensibus ultra, secundum quod melius facere poteritis; de ducatis autem quinquagintamillibus, quod fiat dilatio et terminus quam longior fieri poterit; qui ducati centumquinquaginta millia scontari debeant de anno in annum in solutione septemmilium ducatorum fienda quolibet anno, comodo et forma, quibus continetur in pace Taurini, et intelligatur ipsam solutionem fieri et incipere debere a tempore firmate pacis in antea pro tempore futuro tantum, existentibus nobis absolutis de tempore preterito. Et in fine temporis et annorum, in quos intraverit suprascripta pecunia diffalcanda, postea ab inde ultra dabimus de anno in annum ducatos septem milia, sicut superius continetur cum aliis capitulis notatis in ultimis litteris nostris etc. Et si dominus rex non vellet includere Tragurium dicto modo et cum tali solutione fienda simul pro omnibus suprascriptis causis, sumus contenti, quod de ipsa summa centumquinquagintamillium ducatorum contentorum in hoc capitulo extrahantur ducati quinquaginta millia, quos promittatis pro imprestito, habendo Tragurium ad imprestitum nomine pignoris cum condicione suprascripta, quod non restituatur locus nisi restituatur pecunia nostra.

Et si nec per hunc modum possetis devenire ad ullam conclusionem, et quod similiter non esset sperandum de Tragurio, nec quod per aliquem modorum predictorum possetis exequi nostram intentionem, ymo quod foret dubitandum de corruptione tractatus, sumus contenti finaliter, quod facta possibili experientia per vos, ut non deficiat conclusio pacis, quod dimittendo Tragurium extra, possitis concludere per dictum tempus annorum quinquaginta ut est dictum. Et pro recognitione et censu terrarum et locorum Dalmatie, excludendo Tragurium, et pro essendo absolutos a solutione septem millium ducatorum pro tempore preterito; et pro aptando facta terrarum imperii et confirmatione ipsarum, et pro rehabendo terras et loca amissa, ut est dictum, promittere possitis ad partem ad partem ducatos centum millia una vice solvendos et dandos in quam longioribus terminis fieri poterit, qui ducati centum millia scontari debeant etiam de anno in annum in solutione fienda ducatorum septemmilium quolibet anno, ut superius est expressum, usque ad diffalcationem quantitatis ante tractum exbursate et postea deinde ultra septem millia ducatos annuatim etc.

Et tamen ultimo quando videretis, facta per vos omni possibili experientia, quod non possetis concludere per hunc ultimum modum, quod videlicet reliqueretur Tragurium, promittendo ad partem ad partem usque centum millia ducatos una vice solvendos et diffalcatos ut supra, et vos videretis fractionem tractatus debere sequi, sumus contenti, ut pro hoc non restet, quod promittere possitis ducatos quinquagintamillia de pluri ad partem ad partem videlicet usque ad ducatos centumquinquagintamilia in quam longioribus terminis fieri poterit, ut superius conti-

netur sine Tragurio videlicet dimittendo Tragurium, qui ducati quinquagintamillia vel inde infra sicut conveniens diffalcentur i tione septemmillium ducatorum ut supra. Et licet demus vobis ter annorum quinquaginta in casibus suprascriptis, tamen volumus, possitis condescendere usque ad annos trigintaduos et inde supra ut melius poteritis.

Hec autem vobis recordamur ad abundantem cautelam, quod si aliqua dificultas foret in terris imperii, sumus contenti, quod ultra premissa promittere possitis pro censu terrarum imperii, secundum quod in aliis mandatis habuistis, illud, quod solebant dare et contribuere domini dux Mediolani et alii domini, dum habuerunt terras predictas et illas possederunt.

Ulterius recordamur vobis, quod habendo terras predictas ad terminum, ut est dictum, habeatis advertentiam, et sic specificetur in conclusione, quod in fine temporis et termini annorum quinquaginta partes remaneant in illis terminis, iuribus et actionibus, in quibus sunt ad presens, et quod aliqua obligatio, scriptura vel promissio non valeat nec preiudicet iuribus et actionibus nostris.

Super capitulo, quod si dominus rex vellet restituere terras et loca ablata in hac guerra etc., et fieret vobis mentio, quod per nos restituentur loca, que tenemus ad hoc; respondemus vobis, quod restituente domino rege terras et loca imperii, restituemus etiam loca, que aquisissemus in hac guerra in partibus Istrie et Foroiulii.

Insuper propter declarationem, quam queritis, si patria Foroiulii debet includi, respondemus vobis, quod sumus contenti, quod patria Foroiuli et omnia alia includantur per modum, quo inclusa sunt in treugua.

Item sumus contenti, quod sicut in treugua continetur de transitu regis pro veniendo ad partes Ytalie, sic includatur in conclusione pacis.

Item sumus contenti, sicut continetur in ultimo mandato et litteris nostris, quod pro recognitione sive censu Dalmatie possitis promittere de dando unum sparverium aut unam cupam argenteam quoliqet anno domino regi.

Similiter remaneat vobis libertas mille ducatorum dandorum comiti Nicolao de Garra et fratri secundum quod melius vobis videbitur, et similiter libertas decem millium ducatorum ut in ultimis mandatis.

Insuper ponatur capitulum, quod, venientibus vobis ad conclusionem tam perpetue pacis quam concessionis terrarum ad terminum, dominus rex promittat, quod in terris et partibus Dalmatie, qui et que non remanerent in potestate vestra, non detur receptus, reductus, favor, nec aliquod iuvamen nec victualia aliquibus gentibus vel navigiis nostrorum inimicorum etc., prout continetur in capitulo mandati ultimo destinati; et quod omnes promissiones suprascripte et alie, que fierent, fiant nomine regis Romanorum et Hungarie. etc.

Similiter de facto colligatorum observetur et fiat, sicut per ultima mandata habetis particulariter in mandatis. De parte 15.

Ser Johannes Corario consiliarius vult partem per totum ser Nicolai de Pesaro consiliarii et ser Bertucci Pisani sapientis guerre cum ista additione, quod si in pratica, quam ambaxiatores facient, comprehendent, quod in tractatu pacis per modum contentum in ipsa parte

dominus rex sit contentus restituire omnes terras et loca amissa et nobis occupata, bene quidem, debeant concludere in bona gratia; sed si comprehenderent, quod dominus rex non vollet dare et restituere omnes terras et loca, faciendo difficultatem maxime, ut est plus immaginandum, de Feltro et Cividado, sumus contenti, quod excludendo ipsas duas terras Feltri et Cividadi, tamen possitis concludere, remanentibus extra ipsis locis et non promittendo nisi ducatos centummillia una vice solvendos in quam longioribus terminis fieri poterit et diffalcando in solutione septem millium ducatorum fienda etc., ut est dictum. De parte 1.

Ser Albanus Baduario, ser Antonius Mauro procurator ser Franciscus Cornario, ser Fantinus Michael sapientes consilii; ser Andreas Contareno, ser Marcus Dandulo sapientes guerre. In consilio centum.

Cum ambaxiatores nostri nobis hodie scripserunt per suas litteras datas secundo mensis instantis, significando responsiones habitas ad praticas factas cum mediatoribus tractatus, et ea, que comprehendunt fore de mente et intentione domini regis etc., requirendoque responsiones nostras, et manifeste comprehendatur, dominum regem et etiam dominum cardinalem velle trahere totam nostram finalem intentionem et propositum, ut aperta et declarata voluntate nostra, sit in suo arbitrio nunc aut quando sibi videbitur tempus, habendo firmitatem eius, quod sibi promiserimus de avantagiando facta sua et devenire per aliam viam et alia media ad conclusiones, in quibus est habenda multa advertentia et omnino velle facere ea, que non sint in diminutionem honoris et fame nostre, que fama cum conclusione treugue illustrata est per universum, ubi quando fecissemus promissionem de tanta quantitate pecunie disbursanda et de concessione terrarum Dalmatie ad terminum, non possemus retrahere nos a promissione facta; vadit pars, quod respondeatur ambaxiatoribus nostris in hac forma, videlicet:

Post significationem ultimi mandati nostri dati ultimo aprilis duas vestras litteras suscepimus, alteram datam primo et alteram secundo mensis instantis, per quam ultimam scribitis, qualiter subito fuistis cum deputatis nomine regio, et introvistis ad praticam super rebus commissis vobis, et substinendo ac iustificando iura nostra ad partem ad partem promisistis usque ad summam ducatorum centumvigintiquinque millium etc., et certas alias fecistis promissiones notatas in litteris vestris, et significastis nobis omnes responsiones habitas super inde, que omnia plene intelleximus. Insuper ea, que dicitis conprehendere de mente et intentione regia, ponendo difficultatem, quod dominus rex velit condescendere alienando nobis terras etc. Et propterea quod dominus rex, qui esset contentus cum nostro dominio firmare bonam pacem ante recessum suum, vellet scire ultimam et finalem intentionem nostram. Unde laudantes sapientiam vestram providimus cum nostro consilio centum vobis respondere et significare, quod per ipsas ultimas litteras satis ample expressimus nostram intentionem claram et manifestam, ut possemus venire ad bonam pacem, de qua pace, si dominus rex, ut scribitis, habet bonam intentionem, et nos similiter, sicut notum est toti mundo; et hoc potest multum bene verificari in nobis, quia semper optavimus pacem, et nunquam defecit pro parte nostra, et semper voluimus facere ea, que forent iusta et honesta ac rationabilia; et sic nunc, pro deveniendo ad

bonam et perpetuam pacem, condescendimus ad faciendum de rebus, que sint placida domino regi, que nullo modo consentiremus facere nisi pro conservatione perpetue benivolentie et pacis inviolabilis. Sed per ea, que videntur, dominus rex facit tantas excessivas petitiones tam in non volendo consentire nobis terras Dalmatie perpetuo nomine census, quam in multis aliis, ymo videtur, quod non vult concedere nisi ipsas solum ad tempus, quod numquam faceremus. Nam querere conventiones ad terminos, post quos partes reveterentur ad pristinum statum solummodo, hec memoria non contineret firmam pacem. Et propterea debeatis esse cum mediatoribus tractatus, et cum suprascriptis et aliis verbis et rationibus, de quibus estis plenarie et sapientissime informati, et proponere, allegare et iustificare iura nostri dominii, et ponere spiritus nostros, ut secundum formam ultimorum mandatorum nostrorum, que sunt ultima et finalis intentio nostra, possitis devenire ad bonam conclusionem, quoniam videntur nobis iustissima et congrua, et ad que latissime dominus rex deberet condescendere mediantibus virtuosis operibus et notabilium mediatorum. Et si cognoscetis et videbitis, quod dominus rex sive deputati nomine regio habeant voluntatem condescendendi, et quod condescendant ut speramus, in nomine dei et bona gratia exequamini, secundum quod in illis continetur. Quando autem non attenderint ad partitos nobis missos per ultima mandata nostra, illo tunc factis per vos omnibus possibilibus experientiis, potestis dicere, quod deus testis est, quod non defecit pro nobis, quoniam desiderium nostrum fuit et erat firmare bonam et continuam pacem; tamen postquam remanemus in bona treugua, per tantum tempus illam servabimus, et sumus certi, quod servabitur a parte domini regis, et est sperandum, quod omnipotens deus providebit ad bonum medium partium cum salute totius christianitatis. Nos autem offerimus ad omnia ea, que cedant ad honorem et culmen regie maestatis cum omni sinceritate cordis. Et conclusive non possendo ad aliud devenire, sumpta reverenti et amicabili licentia a domino rege et ab illis baronibus, deinde discedatis, et reverti debeatis Venetias ad nostram presentiam de omnibus secutis plenissime informati. De parte 40, 44, 42.

Ser Nicolaus Victuri, ser Marinus Karavello procurator sapientes consilii; ser Laurentius Bragadino sapiens guerre. Capta in consilio centum.

Quod scribatu nobilibus viris ser Thome Mocenigo procuratori et ser Antonio Contareno, oratoribus apud serenissimum dominum Romanorum et Hungarie regem in partibus Utini in hac forma, videlicet:

Hoc mane recepimus litteras vestras datas Utini die secundo presentis in media note et postea alias datas tercio, per quas omnes vidimus et bene comprehendimus omnia, que fecistis et praticastis circa ultimum mandatum nostrum pro habenda pace perpetua, et responsiones, quas habuistis ab altera parte et a domino cardinali, et demum qualiter prefatus dominus rex dispositus non videtur confirmare nobis terras et loca Dalmatie, que possidemus, in perpetuum, nec etiam dare nobis Tragurium nec terras nec loca nobis ablata; intellexissemusque omnia alia in ipsis vestris litteris contenta et declarationes, quas petitis etc. Unde vobis rescribimus cum nostro consilio centum, volentes et man-

dantes, sicut modo ultimo scripsimus per nostras litteras datas XXVIIII aprilis elapsi, quatenus iterum debeatis instare, quod veniatur ad pacem perpetuam, quia sine dubio est melior et utilior pro utraque parte quam pax ad tempus, ut totaliter removeatur omnis causa vel materia, que possit inducere altercationem vel differentiam inter partes, et ut possimus perpetuo stare et vivere invicem in bona pace et amicicia, sicut optamus ex parte nostra. Quando vero videretis, quod tractatus rumperetur, et quod dominus rex recedere vellet, et staret constans nolle alienare suprascripta loca Dalmatie in perpetuum, volentes potius sumere concordium per aliquod longum tempus quam remanere ex toto discordes, sumus contenti, quod possitis intrare ad praticam pacis ad tempus et illam confirmare in hunc modum, videlicet: quod dante et concedente prefato domino rege pro se et corona Hungarie terras, insulas et loca Dalmatie, quas et que possidemus et Tragurium simul per spatium annorum triginta usque quinquaginta vel inde supra si poteritis, et confirmante eo nobis nomine imperii in perpetuum terras et loca iurisdictionis imperii, quas possidemus, cum illa solutione et honorificentia, quam dare solebant domini preteriti, qui illas possidebant, et restituente eo nobis terras et loca nobis ablata, sumus contenti dare sue serenitati a centum millibus usque centumquinquaginta millia ducatos, quanto melius poteritis, possendo promittere, quod dabimus sibi ducatos centummillia in spacio trium mensium et alios quinquagintamilia ex tunc usque ad quatuor vel sex menses, procurando tamen, quod tam ducati centum millia quam quinquagintamillia dentur per longiores terminos si facere poteritis. Et ulterius, quod possitis promittere solutionem ducatorum septem millium pro causis contentis in pace Taurini pro tempore futuro, et quod de tempore preterito libere absolvamur. Et insuper pro recognitione Dalmatie cum Tragurio possitis promittere unum accipitrem vel unam cupam argenteam, sicut pridie scripsistis. Sed bene volumus, et circa hoc vos quantum possumus oneramus, quod faciatis omnem vestram possibilitatem, et quanto efficatius poteritis procuretis, quod dicti centumquinquaginta millia omnes vel pars, sicut poteritis convenire, dentur nomine mutui cum conditione, quod transactis dictis triginta annis vel pluribus, si de pluribus poteritis obtinere, pro quibus habebimus concessionem terrarum Dalmatie predictarum cum Tragurio, si isto medio tempore non sequeretur alia compositio, nichilominus hec pax et compositio sit et esse debeat firma et valida, donec dicti ducati centum quinquaginta millia vel illa pars, que data foret nomine mutui, nobis fuerit integre restituta. Et si facta omni instantia possibili non possetis facere, quod darentur nomine mutui, volumus, quod scontentur de solutione predicta ducati septem millia de anno in annum usque ad integram satisfactionem. Et postea de anno in annum dare debeamus dictos ducatos septemmillia per totum tempus, quo dabit nobis terras predictas Dalmatie a triginta annis supra, sicut poteritis esse concordes. Quando vero factis omnibus possibilibus experientiis non possetis obtinere, quod dicte pecunie darentur nomine mutui, aut quod scontarentur de solutione annuali ducati septem millia, sicut superius dictum est, sumus contenti, ut pro hoc non restet conclusio pacis, quod finaliter possitis promittere, quod dicti ducati centum quinquaginta millia vel inde infra,

sicut melius poteritis obtinere, libere dentur et donentur prefa
regi pro causis suprascriptis Dalmatie cum Tragurio ac terr
perii et restitutione terrarum et locorum nobis ablatorum et p
lutione septem millium ducatorum pro tempore preterito et pro o
aliis differentiis pro bona conclusione pacis; ita tamen, quod
dictis triginta vel pluribus annis, si de pluribus poteritis obtinere, p...es remaneant in illis iuribus et condictionibus, in quibus sunt ad presens de factis Dalmatie. Quia ut predicitur terras imperii habere volumus in perpetuum, et quod hec vel alia compositio aut aliqua promissio, obligatio vel aliquis actus factus in istis tractatibus vel conclusionibus non preiudicet iuribus et iurisdictionibus alicuius partium.

In omnibus autem aliis tam de provisione danda domino Nicolao de Garra et fratri, quam de factis colligatorum, adherentium et recommendatorum nostrorum ac de domino Tristano et fratre, et circa favorem et receptum et victualia non danda in portubus et locis Dalmatie, que nobis non remanerent, et in libertate expendendi decem millia ducatos pro domino cardinali et aliis damus vobis eamdem libertatem, quam habetis pro pace perpetua. Item pro declaratione vestra contenti sumus, quod ex parte prefati domini regis includantur in pace perpetua vel ad tempus illi, qui inclusi sunt in treuguis. Et etiam in facto transitus sue serenitatis per loca et territoria nostra sumus contenti, sicut in treuguis continetur.

Preterea si pur erit expediens pro veniendo ad conclusionem pacis suprascripte, quod nos restituamus loca ablata, in hoc casu non possendo aliter facere sumus contenti, quod promittatis, quod restituemus terras et loca ablata in Istria et Foroiulio tantum in manibus illorum, quorum erant. Sed supra cetera faciatis posse vestrum, quod non obligemur ad hoc et presertim propter Latisanam, que non est de iurisdictione imperii nec corone Hungarie, quia summe cupimus, quod nobis remaneat multis respectibus.

Si vero videretis conclusive, quod in omnibus suprascriptis possemus esse concordes excepto quam de factis Tragurii, et videretis, quod pro Tragurio restaret conclusio pacis perpetue vel ad tempus, in hoc casu, ut non impediatur tantum bonum, sumus contenti, quod possitis concludere sine Tragurio cum omnibus aliis conditionibus suprascriptis, procurando facere quanto melius poteritis in omnibus suprascriptis pro utilitate et comodo nostri dominii, sicut de fide et virtute vestra speramus, excepto quod ubi damus vobis libertatem superius de ducatis centumquinquaginta millibus possendo habere Tragurium, volumus, quod non possitis promittere nisi solum ducatos centummillia sine Tragurio. De parte 30, 45, 47; de non 2; non sinceri 4, 4, 4.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 5 p. 127 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 10. svibnja, u Mletcih.

Mletačka republika obdaruje viernost Ivana Mišića Šibenčanina sa godišnjom doznakom od 150 dukata.

Assignatio stipendii domino Joanni Missich militi. — Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. nobilibus et sapientibus viris Petro

Zaccaria de suo mandato rectori et gubernatori Sibenicensi et successoribus suis fidelibus dilectis suis salutem et dilectionis affectum. Propter fidelia opera et grata servitia in honorem nostrum et commodum nostri status per spectabilem militem dominum Joannem Missich, civem et fidelem nostrum dilectum Sibenici, sicut vero experientie testimonio didicimus in expeditione maritima et terrestri, quam in Dalmatia tenebamus, continue demostrata ad eius personam et laudabilia merita nostre liberalitatis oculos convertentes, cum solemnitate nostri consilii rogatorum et additionis firma deliberatione providimus, quod idem dominus Joannes singulo anno, donec vitam duxerit in humanis, habere et percipere debeat a nostro dominio pro sua provisione ducatos centum et quinquaginta auri de introitibus et proventibus terre nostre Sibenici, qua provisio incipit et incepisse intelligatur die XXV mensis octobris MCCCCIX, et ab inde citra, et per tempora futura perseveret donec vixerit, ut prefertur. Quare vobis et vestris successoribus cum dicto consilio scribimus et mandamus, quatenus iuxta formam provisionis et deliberationis predicte prefato domino Joanni dictos ducatos centum et quinquaginta annis singulis dare et solvere integraliter debeatis, habentes insuper eum tanquam nobis fidelissimum et dilectum in suis comodis et honoribus cum honore nostri dominii favoribus propriis recomissum. Presentes autem litteras in patenti forma fieri iussimus et nostra bulla plumbea communiri, volentes, quod ea in cancelaria nostri regiminis registrari et exinde tradi domino Joanni pro sua et futurorum memoria assignari et registrari faciatis. Date in nostro ducali palatio, die x mensis madii, indictione VI, MCCCCXIII.

Diplomatarium Sibenicense u dvorskoj knjižnici bečkoj ruk. br. 13461.

God. 1413. 4. svibnja, u Mletcih.

Odgovara se na molbe poslanika gospodara Sandalja.

Die 4 maii 1413. Ambassiatoribus vero domini Sandalli ad capitula nobis presentata pro parte dicti domini Sandalli sibi spectantia respondeatur in hac forma:

Et primo ad primum capitulum, per quod petunt illos ducatos 10.000, quos ipse dominus Sandalli alias depositavit ad cameram nostram frumenti respondeatur, quod, sicut sciunt, iam est super hoc de dicta restitucione et assignatione pecunie provisum, ita quod super hoc alia presentialiter non cadit responsio.

Ad secundum, per quod petit, ut mandemus capitaneo nostro culphi, quod in quantum inveniret in mari aliquod lignum armatum per gens de Cataro Dulcignum et e converso de Dulcigno Cataram, eidem nullum inferatur impedimentum, respondeatur, quod licet non esset opus facere tale mandatum ipsi nostro capitaneo, qui sine aliquo dubio ipse et omnes alii nostri cives et subditi continue viderent quecumque sua navigia alacriter et bono animo, dummodo per ipsa non inferatur nostratibus et navigiis transeuntibus per mare et culphum nostrum aliqua molestia sive damnum, tamen in conplacentiam ipsius domini committemus ipsi nostro capitaneo et aliis navigiis nostris, quod quecumque sua navigia,

que non inferrant damnum transeuntibus per mare et culphum nostrum, videant dulciter et humane respectu magnitudinis sue, quam sincera affectione diligimus.

Ad tertium, per quod petit litteram nostram apertam pro securitate navigiorum suorum, ut sint salvi et bene tractati a nostris, respondeatur, quod postquam faciemus mandatum suprascripto nostro capitaneo culphi et aliis nostris navigiis, quod videant alacriter et benigne navigia sua, non est necesse, quod habeat aliam litteram, quia sine fallo mandatum nostrum, sicut diximus, per omnes nostros observabitur cum effectu.

Ad quartum continens de requisitione unius galee, quam emere vellet in Venetias a nostro comuni vel ab alia speciali persona, respondeatur, quod per leges et ordines nostros a longissimis annis citra conditos est omnino provisum et denegatum, quod talia navigia dentur seu vendantur aliquibus nobis non subditis, proter quod in hoc aliqualiter sibi complacere non possumus, et propterea nos habere placeat merito excusatos.

Ad quintum, per quod petit, quod duas pelandas et alias, quas ipse dominus Sandalli alias circa festum nativitatis domini mittebat presentandas Balse Strazimir per quemdam suum famulum, qui in Scutaro retentus fuit, et que pelande et res sunt in manibus nostri comitis et capitanei Scutari, restitui faciamus dicto domino Sandalli seu suprascripto Balse, respondeatur, quod mandabimus dicto nostro comiti et capitaneo, quod dictas pelandas et res sibi seu eius nuntio debeat assignare et restituere; et sic mandetur ipsi comiti, quod debeat facere.

Ad sextum et ultimum continens, ut nobis libeat mandare capitaneo nostro Jadre, quod ipsi domino Sandalli seu eius nuntio libere dimittat et expedite illam suam domum, quam habet in Jadra et nostra dominatio eidem alias largita fuit, nam per ipsum nostrum capitaneum fuit assignata aliquibus stipendiariis pro sua habitatione, qui illam devastant et male tractant, respondeatur, quod miramur, quod ipse noster capitaneus contra velle suum, ut dicit, dederit domum illam stipendiariis; set consideramus tamen, quod si istud fecit, fecerit necessitate cogente, quia nobis opus fuit tenere multos stipendiarios in Jadra ultra id, quod esset necesse tempore pacis; set quicquid sit in complacentiam suam mandabimus ipsi capitaneo, quod dictam domum ipsi domino seu eius nuntio libere et expedite debeat dimittere et illam non occupare, ut ipse dominus illam reparari possit iuxta velle suum. De parte 53., de non 10., non sinceri 5.

Senato. Misti. Vol. 49. c. 178, u mlet. arkivu.

God. 1413. 4. svibnja, u Mletcih.

Mletčani uvjeravaju Kotorane, da Sandalju neće ikoju galiju ustupiti.

Di 4 maii 1413. Cum pro parte comunitatis Catari per quemdam suum ambassiatorem ad nos missum fuerit post devotam recomendationem devotissime suplicatum, quod cum senserint, quod dominus Sandalli miserit huc spetialiter pro emendo unam vel duas galeas armandas postea ad damna comunitatis prefate dignaremur nullo modo velle assentire, quod de Veneciis extrahat seu haberi possit galeam seu galeotam aliquam;

et quod mandemus capitaneo nostro culphi, quod in casu quo reppereret illos suos brigantinos, qui sunt deputati ad custodiam bucche Catari, illos videat amicabiliter et habeat recommissos; et considerata fide et affectione, quam ipsa comunitas habet ad nostrum dominium, sit necessarium in ista tam rationabili requisitione presto respondere, ne stet hic cum expensis; vadit pars, quod ipsi ambassiatori respondeatur, quod teste deo nos singulariter et cordialiter diligimus comunitatem illam et omnes cives Catarinos, et nullo modo audire nec videre vellemus aliquod incomodum sive sinistrum dicte comunitatis, imo affectamus, quod in libertate sua se valeant conservare. Est bene verum, quod ipse dominus Sandalli requisivit a nobis galeas, set causis predictis sibi noluimus complacere nec assentire, ita quod sint boni animi, quod a nobis galeas aliqualiter non habebit nec ab aliquo cive nostro. Similiter etiam iuxta requisitionem suam mandavimus capitaneo nostro culphi, quod ipsos suos brigantinos videat dulciter et benigne, et habeat recommissos, pro ut petunt. De parte 57., de non 0., non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 49. c. 178. tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 11. svibnja, u Mletcih.

Republika na molbe podnešene joj u ime Sandalja i Balše uzima vremena za odgovor.

1413 die 11. maii. Cum isti ambassiatores Balse Strazimir, qui sunt hic pro parte domini sui predicti, nostro dominio presentaverint multa capitula, quorum per maxima pars videtur non bene rationabilia et honesta, et pars etiam egeret bona et matura deliberatione. Similiter etiam ambassiatores domini Sandali ultra certa capitula porrecta pro parte ipsius domini Sandali, porrexerunt certa alia capitula in favorem dicti Balse et conformia illis, que presentata sunt per ambassiatores dicti Balse; et considerata prolixitate dictorum capitulorum, que multa sunt et continentia multa, que videntur non bene honesta, ut est dictum; considerato etiam eo, quod scribit comes et capitaneus noster Scutari de mala voluntate et animo, quem videtur habere ipse Balsa, sit necessarium super predictis dare responsionem suspensivam, quia in futurum tempus melius nos docebit, qualiter cum ipso Balsa vivere et nos intelligere debeamus; nam istud iddem consulit noster comes Scutari, pro ut per suas litteras clarius intuetur; vadit pars, quod ipsis ambassiatoribus domini Sandali quantum ad capitula facientia ad facta Balse et similiter dictis ambassiatoribus Balse respondeatur, quod nos vidimus et examinavimus continentiam et tenorem capitolorum nostro dominio porrectorum, et teste deo essemus valde avidi respectu dicti domini Sandali et etiam boni animi et quod credimus habere ipsum Balsam facere ei de rebus placidis et honestis. Set sicut ipsi ambassiatores clare sciunt capitula, nobis presentata per eos pro factis Balse, sunt multa et continent diversa, super quibus volendo procedere debite, est necesse habere consilium et informationem, nec videmus, quod hic aliqualiter dictam informatiom habere possimus nisi post lapsum magni temporis. Et propterea volentes, sicut est dictum, facere sibi de rebus placidis et

honestis, cum simus usque ad paucos dies missuri nostros sindicos ad dictas partes Albanie, committemus eisdem, quod simul cum comite nostro Scutari examinent capitula predicta, et a nobis habebunt plenissimam libertatem respondendi ipsis capitulis in ea forma, que eis iusta et rationabilis apparebit, et in forma, quod habebit merito et rationabiliter contentari. Et propterea possunt dicti ambassiatores Balse, in quantum sibi placeat, reverti ad dominum suum cum nostra responsione predicta. De parte 62; de non 6; non sinceri 5.

Senato. Misti. Vol. 49. c. 178, u mlet. arkivu.

God. 1413. 2. lipnja, u Mletcih.

O razmirici medj knezom šibeničkim i knezom Ivanom cetinjskim.

1413. die secundo iunii Cum provisor noster Sibinici nobis scripserit, qualiter comes Johannes de Citines intendebat tenere et occupare totum territorium Sibinicense, quia illud equitaverat et circumiverat, et miserit Venetias ob istam causam ambaxiatorem suum, qui instat et solicitat habere responsionem; vadit pars, quod rescribatur dicto nostro provisori, quod receptis litteris suis, quas nobis scripsit, et intellectis litteris comitis Johannis, quas sibi scripsit, misimus ad presentiam regis nuncium nostrum ad deponendum querellam de hoc ad providendum, quod territorium Sibinicense non occuparetur per dictum comitem, et quod taliter ad hoc provideatur, quod forma treugue observaretur. Et per redditum nuncii nostri habuimus, dictum regem esse contentum et terminasse mittere ad dictas partes unam personam bonam et sufficientem pro videndo et examinando differentias existentes inter dictum comitem Johannem et vos occasione territori predicti, quod dicit velle occupatum tenere, et quod nos similiter mittamus unum ex parte nostra, qui cum suo terminent et aptant pacifice et quiete differentias predictas, quem suum destinandum promisit mittere tali tempore, quod usque diem vigesimum presentis erit in dictis partibus, et similiter dicto tempore mittere promisimus. Et quia mittere aliquem de Venetiis ad dictas partes esset expensa superflua, terminavimus, quod nobilis vir ser Egidius Mauroceno capitaneus noster Jadre debeat esse nostro nomine cum illo, qui veniet nomine regis ad dictas partes, et dedimus dicto ser Egidio in mandatis, ut ante terminum viginti dierum mensis presentis esse debeat vobiscum, et se informare de iuribus nostris et de causis, propter quas dictus comes Johannes non potest ned debet dictum territorium Sibinicense tenere occupatum, nam iniustum et inconveniens esset, quod quia equitavit et discurrit territorium, deberet sibi remanere. Nam similiter fecerunt gentes nostre super territorio suo, ut scripsistis. Et propterea debeatis eundem ser Egidium informare ad plenum de omnibus necessariis, ut territorium Sibinicense non occupetur per dictum comitem vel alios. Si vero vellet tenere illam bastitam, quam fecit, in hoc nullam difficultatem faciatis, sed permittatis eundem tenere et custodire dictam bastitam ad libitum suum, ita quod aliud territorium non occupetur. Et quia dominus rex dicit similiter, alias differentias ortas esse occasione Scardone et certarum villarum Ostrevize, quas dicit eidem obbedientiam dedisse, terminavimus similiter, quod dictus ser

Egidius esse debeat cum illo, qui mittetur nomine regis ad videndum et concordandum differentias predictas, ut forma treugue observetur, in qua treugua continetur, quod ambe partes tenere et possidere debeant totum et quicquid tenebant et possidebant tempore conclusionis treuguarum.

Si vero transactis diebus viginti mensis presentis dictus dominus rex non misisset nuncium suum ad dictas partes vel non remansissetis concordes cum dicto domino comite Johanne vel cum illo, qui esset loco sui, ita quod dictum territorium Sibinicense remaneret occupatum, debeatis dicto comiti Johanni protestari in illa forma, que vobis videbitur utilis et necessaria. Et facta protestatione si videbitis, quod fideles nostri Sibinici non possint recoligere blada sua, et ob hoc oporteret damnificare dictum comitem Johannem et loca sua, sumus contenti, quod hoc faciatis, habentes semper respectum ad securitatem fidelium nostrorum Sibinici, ne ponantur ad manifestum periculum. Et si videretur vobis necessarium fore pro securitate fidelium nostrorum, et ut possint recolligere blada sua, et pro exequendo predicta habere equos quadraginta, illos requirere debeatis a rectoribus nostris Jadre, quibus rectoribus mandetur, quod ad omnem requisitionem rectoris vestri Sibinici debeant dictos equos vobis mittere.

Ser Egidio Mauroceno capitaneo Jadre mandetur, quod debeat observare et exequi continentiam presentis partis, que sibi mittatur ad informationem suam; et possit expendere ducatos duos in die pro illis diebus, quibus stabit extra, de pecunia nostri comunis; et sibi committatur, quod in casu quo nuncius regis non applicuisset usque diem vigesimam mensis presentis, illum debeat expectare usque per totum mensem in Sibinico vel alibi, pro ut eidem melius videbitur. Et mandetur ser Jacobo Trevisano comiti Jadre, quod illo tempore, quo dictus ser Egidius stabit entra, debeat exercere officium capitanei loco ser Egidii predicti. De parte 80, de non 7, non sinceri 10.

Secreta cons. rogatorum. Vol. V. c. 133. u mlet. arkivu.

God. 1413. 3. lipnja, u Mletcih.

Dopituju se njeki dobitci Grguru knezu Korbavskomu.

1413. die 3 iunii. Cum iam pluribus diebus elapsis comparuit coram nostro dominio vir egregius comes Gregorius Corbavie petens certum prode quorundam denariorum ad offitium nostrum frumenti solitum recipi per precessores suos, et de civilitate sua ostendit privilegium cum bulla plumbea factum precessoribus suis predictis per recolede memorie dominum Franciscum Dandulo ducem Venetiarum; et dicti comites semper fuerint amici et devoti nostri dominii et precipue dictus comes Gregorius; vadit pars, quod auctoritate huius consilii mandetur offitialibus nostris frumenti, quod dicto comiti Gregorio solvatur predictum prode, secundum quod solvi solet suis precessoribus antedictis et dicto comiti Gregorio temporibus iam elapsis. De parte 6, de non 50, non sinceri 17.

Senato. Misti. Vol. 49. c. 187 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 11. lipnja, u Mletcih.

Odredjeno, da se sol rabska prodade za istu cienu kao zadarska i pažka.

1413. die 11 iunii. Cum prudens vir Thomasius de Petrucio fidelis civis noster Jadre notificaverit nostro dominio, quod rector noster Arbi incantavit datium salis Arbi per modum, quod dictus sal venditur minori pretio quam vendatur sal Jadre et Pagi, quod est cum magno damno nostri comunis, et super hoc sit necessarium providere; vadit pars, quod scribatur et mandetur rectori nostro Arbi, quod intelleximus eundem incantasse et deliberasse datium salis Arbi, qui sal venditur multo minori pretio quam vendatur sal noster Jadre et Pagi, quod redundat ad magnum incomodum et damnum nostri comunis. Et propterea sibi mandetur, quod tenere debeat modum, quod sal Arbi vendatur ad pretium, quo venditur sal Jadre et Pagi, quia intentio nostra est, quod sal terrarum et locorum nostrorum dictarum partium unomet pretio vendatur. Si vero propter deliberationem dicti datii et promissiones factas illis, qui dictum datium acceperunt, hoc facere non posset, debeat dictum datium facere reverti in nostrum comune, et facere, quod sal Arbi vendatur illo pretio, quo venditur sal Jadre et Pagi. De parte 114, de non 4, non sinceri 2.

Senato. Misti. Vol. 49 c. 191, u mlet. arkivu.

God. 1413. 17. lipnja, u Feltru.

Sigmund poziva Dubrovčane, neka posednu otoke Korčulu, Hvar i Brač, i da je voljan odpustiti jim te otoke uz pogodbu.

Sigismundus dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. rex. Nobiles prudentes fideles grate et sincere dilecti. Licet nostra benignitate regia annuerimus et consenserimus, ut Hervoya quamplures possessiones nostras, et presertim ipsam civitatem nostram Spalatensem pro eo, quod ipse semper nostre maiestati fideliter servire promiserit, tenuerit, et eadem nostra civitate Spaleti ad suam voluntatem usus fuerit, tamen idem Herwoya huiusmodi sua promissione, ymo omnium beneficiorum per nos sibi factorum immemor, fermentum sua veteris malicie et rebellionis valens renovare, quo alias nobis et sacro nostro dyademati insultare et cum infidelibus Turcis etc., quos in regnorum nostrorum et tocius christianitatis perdicionem adducere consueverat, nitabatur reluctari, nunc in sui ipsius perdicionem oppressionemque tocius christianitatis iterum de novo Turcos et aliarum barbaricarum nacionum gentes laborat indicere, veluti hec fidedigna relacione et etiam sensibili experimento, videlicet per cuiusdam familiaris sui detencionem, apud quem certe littere eiusdem Herwoye, vigore quarum prefatos Turcos ad invadendum regna nostra invitaverat, invente fuerunt, didicimus et quamplura castra contra nostre maiestatis mandatum sibi factum fidelis nostri magnifici Zandalii wayvode nunc hiis proximis temporibus, quibus idem Zandalius una cum illustri principe Dezpoto ac aliis regnorum nostrorum Hungarie et Bozne baronibus et nobilibus contra insultus et invasiones dictorum infidelium Turcorum et aliarum barba-

ricarum nacionum fuit constitutus, hostiliter expugnando occupavit, dampnaque intulit non modica et inferre non cessat de presenti. Cumque fideles dilecti, nos iuvante altissimo, prefati Herwoye rebellionem castigare, ipsiusque fermentum veteris malicie expurgare intendamus et velimus, fideles nostros reverendos in christo patres dominos Eberhardum et Johannem Zagabriensem et Quinque Ecclesiarum episcopos, nec non magnificos Johannem de Gara alias comitem Themesiensem, Petrum de Medwe Dalmacie et Croacie predictorum, et Paulum Chupor Sclavonie regnorum nostrorum banos contra et adversus prefatum Hervoyam cum valido exercitu duximus transmittendos. Et quia fideles dilecti per alias litteras nostras fidelibus nostris nostre civitatis Spaleti scripsimus, ut ipsi subtracta qualibet obediencia, quam usque modo prefato Herwoye facere soliti fuerunt, sub alas et dicionem nostre maiestatis et sacre nostre corone convolare debeant et reverti, fidelitatis constancia, prout eciam tenentur, nobis et sacro nostro dyademati exhibendo, volumusque, ut dum dicta obediencia, quam prefato Hervoye exhibere soliti fuerunt, per dicte nostre civitatis Spaleti fideles subtracta fuerit, et se nostri culminis et sacre nostre corone dicioni subiecerint, illas tres insulas, videlicet Corchula, Braczyum et Lezna, quas dudum habere desiderio desiderastis et a culmine nostro petivistis, subito occupare, occupatasque nomine nostre maiestatis conservare, et demum sollempnem vestram ambasiatam cum plena potestate ad tractandum nobiscum de dictis insulis, quomodo et qualiter et pro quanto annuo censu per vos conservari debeant, sine mora transmittere, nec non et vos, si necesse fuerit, dictis nostris fidelibus Spalatensibus subsidium parare et facere toto vestro posse contra dictum Herwoyam debeatis.

Datum Feltri XVII die iunii, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXVII, Romanorum vero tercio. Ceterum volumus, quod omnibus et singulis, que vobis fideles nostri Marinus de Gocha et Iunius de Gondola vestri concives nostri parte hac vice retulerint, fidem adhibeatis creditivam. Datum ut supra.

A tergo: Nobilibus et prudentibus rectori, iudicibus, consilio et comuni nostre civitatis Ragusiensis fidelibus dilectis.

Recepte die primo iulii 1413 a serenissimo domino nostro pro facto insularum.

Iz izvornika sa pečatom u bečkom dvor. arkivu. O tom Medo Pučić bilježi u svojih spomenicih srbskih str. 14. ovako:

„Die III. iulii 1413 in cons. rog. Prima pars est de intromittendo nos ad accipiendum tres insulas, videlicet Curzulam, Liesnam et Brachiam, de quibus scribit nobis serenissimus dominus noster; — de occupando dictas insulas, tenendo eas in manibus nostris pro parte serenissimi domini nostri. — Die XIII iulii in cons. rog. Prima pars est de respondendo serenissimo domino nostro, qualiter recepimus literas suas, et de regratiando ei de concessione nobis facta, et quod incepimus mandari executioni preceptum maiestatis sue, quod jam misimus ad accipiendum insulas, et elegimus de nostris nobilibus in ambassatores, quos mittamus in proximo ad presentiam maiestatis sue juxta ejus mandatum.

Die III iulii 1413 in maj. cons. Prima pars est de eligendo nostros nobiles, qui vadant ad dictas insulas. Electi s. Johannes de Menze, s. Clemens de Bobatia.

Die X. iulii 1413 in majori cons. Prima pars est de mittendo ambassatores ad serenissimum dominum nostrum pro tractando cum ipso super facto trium insularum. Electi s. Andreas M. de Volezo, s. Nicolaus de Gozii.

Die XIII iulii 1413 in maj. cons. Electio capitanei generalis armate mittende contra Curzulam et alias insulas: s. Marinus de Restis; electio patronorum duarum galearum: s. Matheus de Gradi, s. Zore de Palmota.

Die XXVI iulii 1413 in maj. cons. Prima pars est de eligendo tres comites, unum mittendum Curzulam, alium Lesnam, tertium Brazam per menses sex, de dando cuilibet pro salario dictorum mensium sex ypperperos trecentos, et cuilibet famulos quinque, cuilibet dictorum famulorum pro suo salario singulo mense ypperperos V.

Electio comitis Curzole s. Michael de Menze, Lesne s. Junius de Croxi, Braze s. Johannes de Goziis.

God. 1413. 7. srpnja, u Mletcih.

Upućuje se knez Zadarski, kako da se vlada proti napadajim iz Ostrovice.

1413. dei septimo iulii. Capta in rogatis. Cum comes noster Jadre per suas litteras datas 24 mensis elapsi scripserit nostro dominio, quod a multis fidelibus et subditis nostris illarum partium ut puta Aurane et districtus Jadre dictum sepe querellas sentit, dicentibus, quod per illos de Ostreviza dictis nostris subditis multa precepta et molestie inferuntur, volentes eos, paysium nostrum, quod tempore guerre dominatio nostra tenuit et habuit, subiugare. Et hoc dubitat, ne aliqua inconvenientia et sinistra occurant in colligendo blada nostrorum et alia illicita tentando, et requirit, ut dominatio nostra dignetur presto providere; vadit pars, quod respondeatur rectoribus nostris Jadre, quod intelleximus omnia, que nobis scripsit dictus ser Jacobus super facto predicto; et mandetur eisdem, quod si illi de Ostroviza sive alii aliquam novitatem attentabut contra nostros, quod debeat eis protestari per modum debitum et necessarium. Et facta protestatione si videbit, quod cum gentibus nostris obstare possit eis, debeat hoc facere; et perseverantibus ipsis ad damna nostrorum, debeat eos offendere et damnificare, habendo semper respectum ad conservationem civitatis nostre Jadre et securitatem gentium nostrarum. De parte omnes alii, de non 0, non sinceri 2.

Secr. cons. rogat. Vol. V. p. 142 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1813. 11. srpnja, u Mletcih.

O prodaji soli na Pagu.

1413. die 11. iulii. Capta. Cum fidelis comunitas nostra Pagi miserit ad nostrum dominium suos ambassiatores, exponendo conditionem salis et ordinationem nostram circa pretium salis, quod est, ut vendi debeat centenarium modiorum deinde ad pretium ducatorum XX per terram, et

quod ista de causa sal non emitur, imo omnes vadunt alio cum maximo damno et detrimento nostri comunis et introituum nostrorum intantum, quod repperitur in Pago quantitas milliarium XL, et propterea supplicent, ut dignemur providere, ita quod habeant causam vendendi salem suum cum utilitate nostra et comodo illorum fidelium nostrorum; vadit pars, quod scribatur rectoribus nostris Jadre, quod occasione predictorum deliberavimus et providimus, quod sal vendi debeat ad rationem duc. XV centenarium modiorum deinde, et de hoc sumus contenti, in casu quo videant et cognoscant hoc cedere ad comodum et utile comunis nostri et introituum nostrorum. Et sic in hoc casu debeant regulare et exequi secundum mandatum nostrum. Verum in casu quo foret oppositum, videlicet quod utilius foret et cederet ad maius comodum nostri comunis et introituum nostrorum, ut sal venderetur ad pretium duc. XX centenarium modiorum, sicut factum est, tunc et eo casu teneant pretium duc. XX, et nullam mutationem pretii faciant, set subito ipsi rectores Jadre debeant nobis notificire id, quod fecerint, et declarare consilium et parere suum et omnem informationem quam poterunt, ut illa habita possimus disponere, sicut noverimus opus esse et utile pro nostro comuni. De hoc autem debeat etiam advisari comes noster Pagi, ut in omni casu et conditione ipse debeat exequi, secundum quod per rectores nostros Jadre, qui sciunt nostram intentionem, sibi fuerit ordinatum. De parte 73, de non 1, non sinceri 1.

Senato. Misti Vol. 50 c. 5 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 17. srpnja, u Mletcih.

Mletčani pozivlju Dubrovčane iznova, neka njeki dug izplate.

1413. 17. iulii. Anno preterito quidam Marcus Sistus venetus derobatus fuit „in portu Galente in capite Curzole“ ab hominibus Raguseis pro summa 500 ducatorum. De hoc scriptum fuit communitati Ragusii, sed quia ipse Sistus „nichil habere potuerit preter verba turpia et inhonesta, et cum literis dicti regiminis, que nichil aliud quam verba frivola refferunt, ad nos reversus sit“, ideo scribatur iterum Raguseis, quod ablata restituent, quia „nullo modo intendimus ipsum civem nostrum in tam claro et liquido iure suo derelinquere, sed pro sua indemnitate et satisfactione debita providebimus per illas vias et modos, quos ad istam materiam noverimus utiles et opportunos“.

Senato. Misti L. 49. u mlet. arkivu.

God. 1413. 20. srpnja, u Mletcih.

Odlučeno, da se imenuje knez Šibenički.

1413. Die XX iulii. Capta. Cum rector et gubernator noster Sibenici compleverit terminum, pro quo missus fuit, et bonum sit providere de rectore ordinario et alleviare nostrum comune, in quantum fieri potest, expensis superfluis, postquam res per dei gratiam reducte sunt ad quietem; vadit pars, quod elligi debeat unus comes Sibenici per quatuor manus electionum in maiori consilio, et sit per duos annos et tantum plus, quantum eius successor ire distullerit, habeat de salario ducatos

septingentos auri in anno et ratione anni, recipiendo salarium suum a comuni Sibenici, tenendo ad suum salarium et expensas quinque famulos et quatuor equos, item unum cancellarium, cui dare debeat de salario libras centum parvorum in anno ultra expensas oris, et unum sotium, cui dare debeat libras CL. parvorum de salario in anno et libras L. pro expensis. De commissione autem sui regiminis providebitur per collegium. Debeat recedere infra mensem, postquam acceptaverit, et non possit sibi ellongari terminus sub pena ducatorum C. propter maximam expensam, quam habemus de provisore ibidem, pro ista vice tantum. De parte omnes, non 0, non sinceri 0.

Misti L. 13, u mlet. arkivu.

God. 1413. 23. srpnja, u Mletcih.

Naknada podjeljena radi rata oko Vrane.

1413. die 23. iulii. Capta. Cum alias providus vir Christoforus de Cividado in MCCCCXI die ultimo mensis maii acceperit ad incantum introitus castri Aurane a nobile viro ser Zacaria Trivisano milite tunc comite Jadre pro duobus annis pro pretio ducatorum MVI centum auri cum conditione, quod si tempore affictus guerra immineret, que impediret in totum vel in partem recollecta introituum predictorum, quod tunc diffalcari debeat id, quod erit iustum, et hoc in arbitrio dicti comitis. Et idem Christoforus comparuerit coram nostro dominio expomens, quod sicut est manifestum tempore, quo habuit dictus introitus ad affictum, continue in partibus illis fuit guerra publica et manifesta, propter quam damna maxima sustinuit, et humiliter supplicavit, ut dignetur dominatio providere indemnitati sue, sicut in sua affictatione continetur. Et pium sit et debitum conservare eidem Christoforo formam affictationis eidem facte, et habito parere et consilio dicti ser Zacarie; vadit pars, quod eidem Christoforo pro damnis receptis tempore dicti affictus occasione guerre diffalcari debeant eidem Christoforo de affictu predicto ducati ducenti. De parte 67, de non 4, non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 50. c. 14. tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 25. kolovoza, u Mletcih.

Odobrava se mirno poravnanje sbivše se medj knezom šibeničkim i knezom Ivanom Cetinjskim.

Laudatur comes Sibinici Antonius a Bocholis „de modis observatis cum comite Johanne de Citines, et demum qualiter per industriam et solicitudinem vestram devenistis secum ad certam compositionem pro bono et pacifico statu partium illarum et subditorum nostrorum, et fecistis hinc inde salvum conductum“.

Secreta consilii rogatorum V. 150, u mlet. arkivu.

God. 1413. 25. kolovoza, u Mletcih.

Hrvoja moli pomoć u Mletčana, a ovi se izpričavaju sa primirjem.

1413. Die XXV. augusti. Capta. Comparuit ad presentiam nostri dominii unus ambaxiator domini Crevoie exponens, qualiter dictus dominus

est civis noster, et semper fecit omnia, que putavit esse de beneplacito nostri dominii, et quod ad persvasionem nostram se alias pacificavit cum domino rege Sigismundo. Sed modo nuper, sicut omnibus est manifestum, dictus dominus rex sibi accepit Spalatum, et procurat alias terras et loca sua accipere, que omnia sunt contra sacramenta et promissiones sibi factas per dictum dominum regem. Et propterea considerato, quod dictus Crevoia est civis noster, rogat instanter nostrum dominium, ut velimus ei dare auxilium galearum nostrarum, ut possit recuperare terram suam Spalati et alia loca sua, quia si dabimus sibi subsidium nostrum, ipse similiter per terram et cum gentibus suis erit cum nostro dominio ad acquirendum Tragurium et alias terras Dalmatie etc.; vadit pars, quod respondeatur dicto ambaxiatori, quod multum gravat nostrum dominium, quod magnificus dominus suus Crevoia amiserit terram suam Spalati et alia loca sua, quia ipsum continue habuimus, habemus et habere intendimus in nostrum carum et bonum amicum, et semper omnia, que facere possemus in comodum et honorem suum ac sui status, faceremus tanquam pro amico carissimo. Sed sicut dicto domino Crevoia notum est, fecimus cum serenissimo domino Romanorum rege treuguam per quinque annos, et illam promisimus usque dictum tempus firmiter observare. Et propterea dispositi observare treuguam predictam pro honore nostro non videmus, quod possimus dicto domino Cravoie dare auxilium, quod requirit, et propterea rogamus eundem, ut sibi placeat nostrum dominium habere merito excusatum. De parte 76, non 0, non sinceri 3.

Secreta consilii rogatorum. Vol. V. 150, u mlet. arkivu.

God. 1413. 25. kolovoza, u Mletcih.

O trgovini soli u Šibeniku.

1413. 25. augusti. Capta. Quod scribatur nobili viro ser Antonio a Bocolis comiti nostro Sibinici in hac forma.

Auditis litteris vestris, quibus scribitis magnam necessitatem salis quam habetis propter prava tempora pluviarum, que regnaverunt, et quod si de illo haberetis, speratis bonam quantitatem expedire cum magna utilitate nostri comunis, visaque requisitione vestra, vobis rescribimus, quod damus in mandatis per litteras nostras presentibus alligatas, quas ad manus vestras mittimus secundum requisitionem vestram, comiti nostro Pagi cum nostris consiliis rogatorum et addictionis, quod ad omnem requisitionem vestram vobis dare et respondere debeat de illa quantitate salis, quam ab eo duxeritis requirendum. Verum ut idem noster comes Pagi posset de dicto sale vobis habiliter subvenire, debeatis secum vos taliter intelligere, quod quando mittetis acceptum de dicto sale, sciatis pretium sive constum, quo comes Pagi emerit dictum salem, et mittatis sibi pecunias, ut illi qui vendent salem, habeant solutiones suas, et non possint conqueri. Nam consideramus, quod hoc habiliter facere poteritis, quia tracta dicti salis vobis remanebit, et poteritis ad id et ad multa alia providere. Preterea mandamus vobis cum dictis consiliis rogatorum et addicione, quod vos informare debeatis de pretio, quo venditur sal nostri comunis in Jadra. Et teneatis omnino modum, quod sal non vendatur in Sibinico minori pretio eo, quo venditur in Jadra. Set si poteritis vendi facere maiori pretio quam in Jadra, hoc

nobis summe placebit pro bono et utilitate nostri comunis; et de hoc vos quantum possumus oneramus. De predictis autem omnibus emptoribus et venditoribus et de omnibus aliis faciatis teneri computum ordinatum, ut omni tempore possint bene videri dicte rationes. De parte 71, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 50. c. 23 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1413. 25. kolovoza, u Mletcih.

Nalaže se knezu pažkomu, neka pruži knezu šibeničkomu soli do potrebe.

1413. die 25 augusti. Quod scribatur comiti nostro Pagi in hac forma. Capta. Scripsistis nobis alias, quod habebatis ibi magnam quantitatem salis veteris, et speramus, quod etiam de novo bonam habueritis quantitatem. Et quoniam comes noster Sibinici nobis scripsit, quod propter prava tempora pluviarum minimam imo quasi nullam quantitatem habet, quodque de ipso sale habet maximam indigentiam, et quod, si de eo haberet, habet modum expediendi bonam quantitatem cum magna utilitate nostri comunis. Et propterea vobis scribimus et mandamus cum nostris consiliis rogatorum et additionis, quatenus ad omnem requisitionem dicti nostri comitis Sibinici sibi dare et respondere debeatis de illa quantitate salis, quam a vobis duxerit requirendum. Nam ipse comes habet ordinem et mandatum a nobis, quando volet, de dicto sale mittendi vobis pretium sive constum, quo emetis dictum salem, ut possitis solvere illis personis, a quibus emeritis. Set habeatis bonam advertentiam et diligentiam, sicut de virtute vestra confidemus, quod in emptione dicti salis procuretis avantagiare nostrum comune in pretio eius quantum poteritis, et de omnibus predictis teneatis et teneri faciatis bonum et ordinatum computum, ut dicte rationes bene possint videri. De parte alii, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 50 c. 24, u mlet. arkivu.

God. 1413. 31. kolovoza, u Mletcih.

Zabranjeno pod kaznom podielivati nadarbine tudjincem.

Ecclesiastica benefitia non obtineantur nisi a civibus. Pars capta in eccellentissimo consilio rogatorum sub MCCCCXIII, die ultimo augusti, et reperitur in offitio advocarie in libro L. folio XXVI.

Cum aliquoties a civibus et fidelibus nostris civitatum et terrarum aquisitarum de novo fuerit dominio nostro supplicatum, ut scribere dignaremur summo pontifici pro collatione aliquorum benefitiorum existentium in terris et locis predictis, et nostrum dominium non tantum in his specialibus requisitionibus sed generalibus voluerit erga ipsos nostros fideles ostendere benignam amplitudinem gratie et benevolentie nostre, ut per amplius diligant statum nostrum; vadit pars, quod de cetero aliquis, exceptis civibus originariis natione terrarum et locorum infrascriptorum, non possit acceptari ad possessionem alicuius prelature, canonicatus, clericatus primo vacantium vel spectantium vel alterius alicuius benefitii ecclesiastici vigore aliquarum bullarum, que fierent a die

captionis presentis partis in antea, nec vigore alterius dispensationis ab aliquo quovis prelato in Padua, Verona, Vicentia, Trevisio et Ceneda et partibus Dalmatie suis districtibus sub pena ducatorum quadringentorum pro quolibet consiliario, capite, sapiente vel aliquo, qui poneret partem in nostris consiliis, que attemptarentur, et nihilominus ultra dictam partem non valeat nec teneat talis pars, nisi capta fuerit per tres partes consilii rogatorum et addictionis congregatorum centum vel inde supra, de qua pena non possit fieri gratia, donum vel remissio alicui contrafacienti sub eadem pena pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium; et sic procedatur de pena in penam usque in infinitum, et committantur hec advocatoribus communis, qui habeant partem ut de aliis penis sive offitiis, exceptando ab his stricturis episcopatus Verone, Padue et Vicentie, Tervisii, Cenete, et abbatiam sancte Justine de Padua et sancti Zenonis de Verona et archiepiscopatum Jadre, qui et que remaneant ad conditionem presentem, pro quibus episcopatibus et archiepiscopatu et abbatiis observentur omnino hii modi, videlicet, quod illi, qui ad eos assumi voluerint, scribantur et probentur in consilio rogatorum, ut pro iis scribatur in curia. Preterea, sicut dictum est de supradictis beneficiis, sic intelligatur et observari debeant de feudis et livellis, que non possunt dari alteri et aliquibus nisi civibus originariis natione terrarum et locorum predictorum cum illis stricturis et pro illo tempore, sicut superius est expressum; ultra etiam predicta non possit aliquis de cetero, qui non fuerit civis originarius natione terrarum et locorum predictorum, ubi essent talia benefitia, impetrare aut facere impetrari aliquod dictorum benefitiorum sub pena ducatorum quingentorum in propriis bonis illorum, qui impetraverunt a die presenti in antea, et stare menses sex in carceribus Venetiarum; et intelligitur hec pars habere vigorem a die presenti in antea, et pro illis, qui impetrarent ab die in antea aliquod dictorum benefitiorum, sicut continetur in parte suprascripta; que pars revocari non possit nisi per numerum et congregationem ut supra L. R. S.

Diplomatarium Sibenicense, u dvor. knjižnici bečkoj, ruk. 13461.

God. 1413. 1. rujna, u Kuriji.

Sigmund još jednom pozivlje Dubrovčane, neka mu pošalju svoje poslanike u poslu odstupa onih triuh otoka, pošto ima drugih, koji bi jih rado htjeli.

Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungarie etc. rex. Fideles dilecti. Noveritis, quod quidam fideles nostri certi cives nostre civitatis Spaleti ad nostre maiestatis presenciam accedentes pro quibusdam certis insulis in predicto nostro regno Dalmatie existentibus, ut easdem insulas dicte nostre civitati Spalatensi dare, annectere et appropiare dignaremur, nobis sollicita diligencia preces porrexerunt. Nos vero plurimarum vestrarum preteritarum supplicacionum, quas pro pretactis insulis dudum maiestati nostre pia devocione obtulistis reminiscentes, prefatos nostre civitatis Spalatensis cives apud nos reservantes, ipsorum precibus super premissis insulis culmini nostro porrectis usque modo distulimus respondere, vestre fidelitatis ambasciatores continuo pre-

stolantes, quemadmodum fidelis noster dilectus Lucas de Bona aule nostre familiaris ostensor presentium, quem per nos de premissis plene informamus, pro vestri avisacione ad vos transmittendum duximus, vos plenius et lucidius informabit, cuius relatibus premissum negocium tangentibus adhibeatis plenam fidem. Cumque propter nostrorum et sacri imperii negociorum prosecucionem, quibus ad presens intendimus in presentibus partibus longam facere moram, vestrorumque ambasciatorum adventum, pro quibus vobis eciam prius scripsisse meminimus, diu non possumus prestolari, fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quanto statim presentibus visis quosdam certos vestros ambasciatores de vestre mentis intencione sufficienter informatos cum pleno mandato ac potestate sufficienti ad maiestatis nostre presentiam transmittatis, qui ratione pretactarum insularum, quas per nos vobis conferri et appropriari diu desiderio desiderastis, nobiscum disponendi, concordandi et finaliter concludendi plenam et integram habeant potestatem. Scientes, quod non solum predicti Spaletenses, verum eciam quidam alii nostri fideles pro pretactis insulis, ut easdem ipsis dare et appropriare dignaremur, instare apud nostram maiestatem. Datum Curie in festo beati Egidii abbatis et confessoris, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXVII, Romanorum vero tercio. Ad mandatum domini regis G. prepositus et vicecancellarius.

A tergo: Nobilibus et prudentibus rectori, iudicibus et consilio nostre civitatis Ragusii fidelibus nostris grate et sincere dilectis.

Recepte die secundo novembris 1413 pro facto insularum.

Izvornik u bečkom dvor. arkivu sa pečatom.

God. 1413. 11. rujna, u Mletcih.

Ustanovljeno, da se tri providura pošalju u Dalmaciju.

1413. 11 settembre. Capta. Cum captum fuerit alias in isto consilio, quod eligi deberent duo sindici et provisores ad partes Dalmatie cum certis conditionibus contentis in parte capta super hoc; et licet facta fuerit electio de predictis, tamen adhuc nulli voluerunt acceptare, et sit pur necessarium causis et respectibus contentis in parte capta super hoc, quod dicti provisores omnino vadant ad partes illas; et propterea ut inveniantur, qui acceptare et ire velint, ordinetur, quod dicti eligendi eligantur solumodo provisores cum omnibus conditionibus captis pridie, salvo quod ubi pars loquitur de duobus, ita eligantur provisores tres, qui pro istis paucis diebus, quibus stabunt in hoc negotio, nullum habeant salarium, sed si haberent offitium, reservetur eis et utilitas illius, et possint expendere tantum plus pro rata, et ducat quilibet ipsorum numerum familie pro ut captum fuit alias in isto consilio, et teneantur respondere hodie vel cras ad tertias, et recedere ad beneplacitum domini, et sint absoluti a sindicatu, et non possint refutare sub pena ducatorum CC pro quolibet. Sindicatus vero in dictis partibus Dalmatie committatur sindicis nostris, qui iverunt ad partes Crete[1], cum omnibus libertatibus et conditionibus, cum quibus comissa sunt eis facta

[1] Erant tunc sindici in Romania et in Creta Andreas Gisi, Nicolaus Erizo, Jacobus Michael et Franciscus de Garzonibus.

insule Crete pro ut in sua commissione distintius continetur, et non valeat eis excusatio pro persona, nisi cognitum fuerit per duas partes istius consilii congregati a LXX supra. De parte omnes alii, de non 4, non sinceri 1.

Senato. Misti. Vol. 50 c. 27, u mlet. arkivu.

God. 1413. 26. rujna, u Mletcih.

Neretvani prisiljeni da namire mlet. podanika za nanešene mu štete.

1413. die 26 septembris. Capta. Cum de anno nuper preterito ad instantiam prudentis viri Marci Sisto civis nostri, patroni unius navigii, quod captum fuit in capite Curzole in portu Galente per Stefanum de Narenta et Nicolaum condam Utesini et Gregorium eorum sotium simul cum aliquibus aliis de Ragusio et de dicto loco Narente, scripserimus efficaciter regimini Ragusii et regimini Narente, ut ipse civis noster damnificatus ad valorem ducatorum V centum et ultra ad satisfactionem debitam pervenire valeret; et regimen prefatum Ragusii per suas spetiales litteras et etiam ambassiatores, qui ad nostram presentiam accesserunt, se excusaverit allegando, predictos robatores non habere aliquia sub sua potentia, de quo possit ipsi civi nostro, cui valde compatitur, satisfacere, subiungendo, quod cum processerint contra predones prefatos, condemnando eos ad ultimum suplitium furcarorum, nobis placeat ipsos habere excusatos, cum sint dispositi nihilominus in futurum, quantum poterunt, ipsum civem nostrum habere favorabiliter commendatum, et iuxta posse suam satisfactionem debitam procurare. Et regimen prefatum Narente ad nostras prefatas litteras sibi pro hac causa destinatas verba rescripserit sine aliquo fructo, et per que comprehenditur, regimen prefatum de dicta satisfactione minime velle aliquid facere seu querere, quia sicut comprehendi potest tam ex tenore litterarum suarum quam etiam ex expositione ambassiatorum Ragusii et litterarum dicte comunitatis Ragusii, potius faverent talibus latrunculis, quibus receptum dant et subsidium, quam contra eos seu in eorum damnum vellent aliquid alliqualiter attentare; ex quo, nisi aliter provideretur, civis noster prefatus remaneret cum damno prefato, et omnino cogeretur de Venetiis aufugere et familiam suam, que magna est, et cui compaciendum est, derelinquere et ire per orbem vagabundus in ista sua miseria et senectute, quod pro debito iustitie et honore nostri dominii non est tollerandum; vadit pars ad ostandum ad hoc, quod scribatur et mandetur omnibus rectoribus terrarum et locorum nostrorum Dalmatie, ubi fuerit necesse, quod si ad terras et loca nostra eis commissa quomodocumque pervenerint de bonis et havere habitatorum dicti loci Narrente, illi debeant intromittere et sequestrare usque ad quantitatem seu summam ducatorum V centum auri; avisando nostrum dominium de eo, quod fecerint, ut possit postea, sicut iustum et conveniens videbitur, providere. De parte 56, de non 0, non sinceri 6.

1413. die quinto octobris. Commissum fuit per dominium provisoribus comunis, quod debeant observare partem suprascriptam, et intromittere de rebus, que Venetias capitarent, secundum quod in parte continetur de locis et partibus Dalmatie.

Senato. Misti. Vol. 50 c. 34 tergo, u mlet arkivu

God. 1413. 3. studenoga, u Mletcih.

Odgovori na molbe šibeničkih poslanika.

1413. die tercio novembris. Capta. Sapientes consilii. Quod respondeatur egregiis viris Luce Cosizich et Desse condam Jacobi de Spalato, civibus et fidelibus nostris Sibenici, ambassatoribus comitis nostri Sibenici ac rectorum, consilii ac comunis dicte terre ad capitula, que sibi literis credentialibus nostro dominio exposuerunt, et in scriptis porrexerunt, in hac forma:

Ad primum capitulum continens, quod propter novitates, damna et iniurias, que quotidie per gentes comitis Johannis ac illos de Ostroviza et de Tenino et certos servitores banni nostris fidelibus inferruntur, ex quibus ipsi nostri fideles Sibinicenses ad eorum recollectiones et laboreria vacare non possunt, dignaremur providere apud serenissimum regem Hungarie, quod ab huiusmodi damnis et novitatibus desistatur etc., resepondeatur, quod sumus contenti mittere et mittemus unum nostrum nuntium ad presentiam prefati serenissimi domini Romanorum et Hungarie regis pro causa, quam requirunt, cum tali commissione, quod speramus, quod providebit per modum, quod dicti nostri fideles habebunt merito contentari. Et ex nunc captum sit, quod mitti debeat unus nuntius cum illa commissione, que videbitur collegio, circa ista negotia.

Ad secundum continens, quod conduci faciamus pedites centum in partibus illis pro securitate et conservatione territorii Sibinici, etc; respondeatur, qued placet nobis, et ordinabimus, quod conducentur pedites centum ad nostras expensas, ut possint colligere olivas suas ac seminare et facere facta sua. Et ex nunc captum sit, quod mittantur ad manus comitis nostri Sibinici ducati trecenti pro adimplenda dicta nostra intentione pro isto principio, et de residuo postea providebitur de tempore in tempus, sicut collegio melius apparebit. Et fiant dioti pedites sub quatuor capitibus, que capita habeant a decem in duodecim libris pro quoque in mense, et pedites usque libras octo, sicut melius fieri poterit.

Ad tertium, per quod requirunt subventionem de gentibus nostris armigeris existentibus in Jadra etc. respondeatur, quod dabimus in mandatis rectoribus nostris Jadre, quod quandocunque erit expediens, ad omnem requisitionem comitis nostri Sibenici debeant ei subvenire de illa quantitate gentium armigerarum, quam habiliter mittere poterunt, pro tutela et conservatione territorii nostri Sibenici. Et sic scribatur rectoribus nostris Jadre, qui tamen semper habeant respectum ad securitatem et conservationem Jadre.

Ad quartum, per quod requirebant, quod satisfieri faceromus damnificatis per gentes comitis Johannis de pecuniis dicti comitis, quas habet in Venetiis secundum promissiones alias factas etc.; respondeatur, quod sciunt, alias intromitti et sequestrari fecimus pecunias comitis Johannis ad instantiam dicte comunitatis, et sic sequestrate sunt ad presens; sed pro omni bono respectu, et ut non detur materia comiti Johanni faciendi peius, quam faciat ad presens, nobis melius videtur pro presenti non facere aliquam novitatem, sed tempore debito taliter providebimus, quod habebunt iustam causam contentandi.

Ad quintum respondeatur, quod contenti sumus sicut petunt, quod privilegium nostrum, dicte comunitati concessum, in ea parte, ubi loquitur, quod sint tres rectores sive iudices apud rectorem nostrum, reformetur in tantum, quod sint quatuor cum aliis conditionibus in dicto privilegio declaratis.

Ad sextum, per quod supplicarunt, ut providere et intercedere dignaremur, quod illi quinque fideles cives nostri Sibinicenses, qui captivi in Zagabria, detinentur, cum honore nostri dominii relaxentur etc; respondeatur, quod sicut sciunt, nos alias eis dedimus duos notabiles milites Hungaros, quos in carceribus habebamus, ut magis habiliter possint redimere suos, et dispositi sumus in omnem eventum, sicut videbuntur per effectum, facere quicquid boni poterimus pro liberatione captivorum predictorum.

Ad septimum super factis ser Desse pro iniuria et novitate, que sibi fit per Spalatinos in retentione bonorum suorum etc.; respondeatur, quod volumus scribere et scribemus illis de Spalato in favorem ipsius ser Desse in plena forma, ut relaxent possessiones et bona sua; quod si facient, bene quidem; quando autem non, ex nunc captum sit, quod bona et possessiones Spalatinorum, que sunt super districtu nostro Sibenici, sive redditus et proventus eorum, qui assendunt ad summam ducatorum centum in anno vel circa, sicut asseritur, consignentur dicto ser Desse, ut illis gaudeat, donec aliter fuerit provisum. Et hoc in casu quo non sit aliquis alius fidelis noster de Sibenico, cui retineantur bona sua per Spalatinos, quia si plures essent ad istam conditionem, oporteret equaliter providere.

Ad octavum super facto requisitionis bladorum pro subventione illius nostri comunitatis, respondeatur, quod iam providimus mittere staria III centum ordei pro subventione dicte comunitatis, et ordinavimus, quod fiat terminus competens illis, qui habebunt de dicto frumento et ordeo. De parte 107, de non 1, non sinceri 0.

Misti L. 44, u mlet. arkivu.

God. 1413. 11. studenoga, u Mletcih.

Imenovana tri providura, da razvide javnu upravu u Dalmaciji.

1413. 11 novembris. Capta. Quia per litteras rectorum nostrorum Dalmatie et etiam per relationem omnium nostrorum venientium de dictis partibus necessarium est providere ad securitatem locorum nostrorum dictarum parcium, et ad regulandum taliter dicta loca, quod nostra dominatio non substineat tantam expensam, quantam substinemus in custodia terrarum et locorum nostrorum deinde, et nulla melior provisio fieri possit in presenti, quam ad dictas partes mittere notabiles provisores nostros cum ampla libertate, ut ad ea, que sunt necessaria, possint providere; vadit pars, quod eligi debeat de presenti in isto consilio per scruptinium tres nostri solennes provisores pro eundo Jadram et ad alias terras et loca nostra Dalmatie, qui possunt eligi de omni loco et officio et de judicatu petitionum et auditoribus, et teneantur respondere de presenti vel die lune ad tercias, et non possint refutare

sub pena ducatorum ducentorum, et habeant pro ista sua via, ut habeantur persone solennes, ducatos ducentos pro quolibet, et ducere debeant secum tres domicellos pro quolibet, unum notarium cum uno famulo, unum expensatorem et unum cochum inter omnes, non computatis agociis equorum et nabulis navigiorum. Et ex nunc declaretur, quod ea, que comittentur dictis nostris provisoribus exequenda in Jadra, terminari debeant per comitem et capitaneum nostros Jadre et per ipsos tres provisores nostros. Et quidquid per quatuor eorum fuerit terminatum, mitti debeat executioni et observari. Et in aliis locis nostris ordinetur, quod quicquid per maiorem partem dictorum nostrorum provisorum et rectoris dicti loci, ad quem ibunt, fuerit terminatum, debeat exequi et executioni mitti, ac si terminatum esset per istud consilium. De commissione autem sua ante eorum recessum venietur ad istud consilium, et providebitur, prout videbitur fore necesse. + 90 — 6 — 0.

Die suprascripto electi provisores: Ser Fantinus Michael maior, absolutus per partem captam in maiori consilio. Ser Benedictus Capello maior. Ser Marcus Venerio miles, refutavit per consilium de X.

Secreta consilii rogatorum V. 160. u mlet. arkivu.

God. 1413. 11. studenoga, u Mletcih.

Dozvoljeno Šibenčanom, da uz kneza budu četiri sudca.

Rectores sive iudices quattuor cum rectore esse debeant. — Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. nobilibus et sapientibus viris Antonio a Bocolis de suo mandato comiti Sibenicensi et successoribus suis fidelibus salutem et dilectionis affectum. Quoniam ubi scripture voluntatibus et dispositionibus conditorum non concordare videntur, claris et liquidis sunt sententiis reformande: cum alio tempore adepti dominii civitatis Sibenici ad requisitionem nobilium civium et universitatis ipsius civitatis inter cetera concesserimus, quod apud comitem sive rectorem nostrum, qui per tempora ibi nostro nomine presideret, assistere et presidere deberent quattuor rectores sive iudices ex civibus et fidelibus nostris Sibenici, qui una cum prefato nostro rectore per maiorem partem eorum, in qua maiori parte semper intelligeretur idem noster comes vel rector, causas civiles et quedam alia decidere et terminare deberent, videnturque, sicut nuper accepimus, quod in privilegio nostro Ducali, in quo concessiones huiusmodi describuntur, de tribus solum rectoribus sive iudicibus fiat mentio; cumque scriptura ipsa voluntati et concessioni nostre repugnet, harum serie ad evidentiam ac vestrum et futurorum certitudinem declaramus, quod intentio nostra fuit et est, quod apud comitem et rectorem nostrum assistere debeant quattuor iudices ex civibus Sibenici, qui per maiorem partem, in qua semper sit et esse intelligatur noster comes et rector, causas civiles et reliqua, que eis simul cum nostro comite audire concessum est, debeant terminare; mandamus itaque vobis vestrisque successoribus cum nostris consiliis rogatorum et additione, ut premittitur, adimplere et observare, in quantum ad vos attinet, ac observari et adimpleri facere formaliter debeatis, non obstanter, quod in privilegio nostro ducali de tribus iudicibus sollumodo caveatur.

Date in nostro ducali palatio die XI mensis novembris, indictione VII. MCCCCXIII.

Diplomatarium Sibenicense u dvorskoj knjižnici bečkoj ruk. 13461.

God. 1413. 11. studenoga, u Mletcih.

Obaviešćuje se knez Šibenički o odgovorih danih na molbe Šibeničkoga poslanika.

Rectores quatour quod sint, et de damnis Sicensibus illatis. Michael Steno dux Venetiarum etc. nobilibus et prudentibus viris Antonio a Bocolis de suo mandato comiti Sibenici et successoribus suis ac rectoribus, consilio et communi civitatis nostre Sibenici fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Venerunt ad nostrum cospectum pro parte vestra et illius fidelis communitatis nostre Sibenici cum litteris credentialibus egregi viri Lucas Cosicich et Dessa quondam Jacobi de Spalato, cives et fideles nostri Sibenici, et exposuerunt ea omnia, que sibi exposita fuerunt multum sapienter et ordinate. Nos quidem ad eorum expositionem, responsionem et expeditionem dedimus cum nostris consiliis rogatorum et additionis unam quamque partem, sicut inferius videbitis contineri, mandantes vobis, quatenus secundum responsionem et delibetionem nostram in hiis, que ad vos attinent, adimplere et exequi debeatis.

Primo quidem propter novitatem, damna et iniurias, que quotidie per gentes comitis Joannis ac illos de Ostrovizza et de Tenino et ceteros servitores bani nostris fidelibus inferuntur, ex quibus ipsi nostri fideles Sibenicenses ad eorum recollectiones et laboreria vacare non possunt, et volentes, quantum possumus, eorum commodis et indemnitatibus providere, deliberavimus mittere unum nostrum nuntium sufficientem ad presentiam serenissimi domini Romanorum regis cum tali commissione, quod speramus, quod providebit per modum, quo dicti nostri fideles habebunt merito contentari. Preterea contenti sumus et placet nobis, sicut dicti ambasciatores requisiverunt, quod levantur pedites centum in partibus illis ad nostras expensas, ut predicti fideles et subditi nostri possint recoligere olivas suas ac seminare et facere alia facta sua, et pro hac causa misimus vobis comiti nostro per dictos ambasciatores ducatos trecentos auri pro isto principio, ut dictos pedites conducatis, et postea de tempore in tempus pro eorum subventione opportune providebitur; dictos autem pedites conducere debeatis sub quatuor capitibus sufficientibus, quibus capitibus dare possitis a decem in duodecim libras parvorum in mense pro quolibet, et peditibus usque ad libras octo parvorum in mense pro quolibet vel inde infra, sicut melius possitis. Insuper damus in mandatis per litteras nostras presentibus alligatas rectoribus nostris Jadre, quas sibi mittere poteritis, quod quandocunque erit expediens ad omnem requisitionem vestram vobis debeant subvenire de illa quantitate gentium armigerarum, quantum habiliter mittere poterunt pro tutela et onservatione nostri territorii Sibenici.

Ad partem autem, per quam requirebant, quod satisfieri faceremus damnificatis per gentes comitis Joannis de pecuniis dicti comitis, quas habet in Venetiis secundum promissiones alias factas, et diximus et dicimus, quod

sicut notum est, alias intromitti et sequestrari fecimus pecunias dicti comitis ad instantiam illius communitatis, et sic sunt presentialiter sequestrate et pro omni bono respectu, et ut non prebeatur sibi materia faciendi peius quam faciat ad presens, nobis utilius videtur pro bono et commodo illius communitatis, pro presenti nullam facere novitatem, et tempore debito taliter providebimus, quod habebunt iustam causam contentandi.

Contenti sumus insuper, quod privilegium nostrum dicte communitati concessum in ea parte ubi loquitur, quod sint tres rectores sive iudices apud nostrum rectorem, reformetur in tantum, quod sint quattuor cum allis conditionibus in dicto privilegio declaratis.

Circa eam partem, qua supplicant, ut providere et intercedere dignaremus, quod illi quoque fideles nostri cives Sibenicenses, qui captivi in Zagrabia detinentur, cum honore nostri dominii relaxentur, et diximus atque dicimus, quod alias, sicut dictum est, nos consignavimus eis duos notabiles milites ungaros, quos in nostris carceribus habebamus, ut magis habiliter possint redimere suos, et tamen dispositi sumus in omnem eventum sicut videbunt per effectum facere quidquid boni poterimus pro liberatione captivorum ipsorum.

Ad factum autem ser Desse pro iniuria et novitate, que sibi fit per Spalatinos in retentione bonorum suorum, deliberavimus scribere et de novo scripsimus per litteras nostras ipsi ser Desse assignatas communitati Spalati in favorem suum in sufficienti et plena forma, ut relaxet possessiones et bona sua, quod si facient, bene quidem, quando autem non, ex nunc mandamus vobis cum dictis consiliis, quod de redditibus et proventibus Spalatinorum, qui sunt super districtu nostro Sibenici, qui, ut asseritur, sunt ad summam ducatorum centum vel circa annuatim, respondere faciatis dicto ser Desse, ut illis gaudeat donec aliter fuerit super inde provisum, et hoc dicimus in casu quo non sit aliquis fidelis noster de Sibenico, cui retineantur bona sua per Spalatinos, quoniam si plures essent ad istam conditionem, oporteret equaliter providere.

Super facto vero requisitionis bladorum pro subventione illius nostre communitatis, iam providimus, sicut per alias nostras videre potuistis, et etiam per effectum, quoniam misimus immediate vobis staria trecenta furmenti et staria quingenti ordei, vobisque ordinem dedimus, quod fieret competens terminus illis, qui de dictis bladis habebunt, ut possint se habiliter sustentare.

Et cum predictis responsionibus et expeditionibus circa ea, que sibi commissa fuerunt, prefati ambasciatores a nobis expediti cum gratia et licentia nostra ad propria revertuntur, quos tanquam fidelissimos et caros nostro dominio vobis stricte recomendamus.

Data in nostro ducali palatio, die XI novembris, indictione VII, MCCCCXIII.

Diplomatarium Sibenicense, u dvor. knjižnici bečkoj, ruk. 13461.

God. 1413. 18. studenoga, u Mletcih.

Odgovori na molbe poslanika vojvode Hrvoje.

1413. 18. novembris. Capta in rogatis. Quod ambaxiatori magnifici domini Crevoie ad ea, que nobis exposuit, respondeatur in hac forma.

Et primo ad ea, que nobis exposuit, quod serenissimus dominus rex Romanorum et Hungarie contra promissiones sibi factas multa fecit et attentavit contra dictum magnificum dominum Crevoiam et terras suas, mittendo capitaneos et banos suos ad partes dicti domini Crevoie etc., respondeatur, quod dictus serenissimus dominus rex fecerit contra eum aliqua, que sunt magnificentie sue displicibilia et molesta.

Ad aliam autem partem, quam nobis exposuit, videlicet dominus Turchorum sibi miserat unam ambaxiatam cum sexaginta equis ad offerendum dicto Cravoie triginta millia Turchorum pro succursu suo etc., respondemus, quod dictus magnificus dominus Crevoia est sapientissimus dominus, et potest in hoc terminare et disponere, prout sue magnificentie videtur pro bono sui status.

Ad aliam vero partem, per quam nobis notificavit, quod emimus Dalmatiam a serenissimo domino rege Ladislao pro magna quantitate denariorum, quam Dalmatiam poteramus acquirere, quia intendit per terram cum gentibus suis, et nos mittamus galeas nostras per mare ad aquirendum totam Dalmatiam nostro nomine, et si nolemus sub nostro nomine dictas galeas mittere, quod illas mittamus sub suo nomine; respondemus, quod cognoscimus bonam intentionem sue magnificentie, sed sicut dictus magnificus dominus scit, nos sumus in treugua cum serenissimo domino rege Romanorum et Hungarie, quam treuguam sumus dispositi pro honore nostri dominii, prout continue fecimus, effectualiter observare.

Ad requisitionem autem, quam facit, quod mittamus unum nostrum aut scribamus serenissimo domino regi Romanorum et Hungarie, quod de guerris et novitatibus, quas habuimus cum dicto domino rege, dictus dominus suus Crevoia nunquam se impedivit etc., respondeatur, quod considerato, quod dictus dominus suus nunquam se impedit in hoc, non videtur nobis honestam talem excusationem facere, quia ubi non est comissus defectus, non est necessarium ullam excusationem facere.

Ad id autem, quod requirit, ut vellimus mittere aut scribere magnifico domino Sandali, qui est civis noster, quod se abstineat a damnis et novitatibus inferendis dicto domino suo Crevoie etc., respondeatur, quod displicet nostro dominio, quod inter dominum suum Cravoiam et dictum dominum Sandali sit aliqua differentia, quia ipsos diligimus tanquam caros fratres nostros, et quia in brevi sumus missuri ad partes Dalmatie unum nostrum pro essendo cum dicto domino Sandali, et rogando eundem ex parte nostri dominii, ut velit se a damnis suis abstinere, et in hoc faciemus, quidquid poterimus cum illa honestate, qua poterimus.

Secreta consilii rogatorum. Vol. V. 163, u mlet. arkivu.

God. 1413. 23. studenoga, u Mletcih.

Poslaniku šibeničkomu zapovidjeno, da u Mletcih ostane, pošto se sumnjalo o njegovoj vjeri.

1413. 23. novembris. Quum comes Sibenici misisset hic in ambasciatorem Lucam Cosicich propterea, quia ipsum pro suspecto habet

ex litteris ei scriptis a fratre nunc stante in carceribus hungaricis, ex quibus apparet „quod res non sit sine suspitione", dicatur ipso Lucae, quod „pro omni bona causa et respectu placet nostro dominio, quod debeat hic Venetiis pro nunc morari", et ut possit vivere „secundum condictionem suam ordinetur, quod eidem ser Luce dari debeat de presenti provisio sua, ac si esset et staret in Sebenico". Alius ambasciator Dessa redeat Sibinicum.

Secreta cons. rog. V. 164, u mlet. arkivu.

God. 1413. 30. studenoga, u Mletcih.

Uprava tvrdjavica kod Šibenika predana ondješnjemu knezu.

1413 die ultimo novembris. Capta. Cum quando habuimus turres Sibinici, quia non habebamus terram Sibinici, dicte turres, gubernatio et custodia earum commisse fuerunt rectoribus nostris Jadre. Sed nunc quia habemus dictam terram Sibenici, melius est et securius, dictas turres committere regimini et gubernationi comitis nostri Sibenici; vadit pars, quod scribatur rectoribus nostris Jadre, quod commisimus custodiam et gubernationem dictarum turrium comiti nostro Sibinici, et quod de dictis turribus non debeant amplius se impedire.

Comiti vero Sibinici scribatur, qualiter volumus, quod de cetero dicte turres sint sub regimine et gubernatione sua, et ita scripsimus rectoribus nostris Jadre. Et mandetur dicto comiti Sibinici, quod de dictis turribus habere debeat bonam et vigilem diligentiam et custodiam, ita quod de eis non possit ullo modo dubitare. Et quia dicte turres egent magna reparatione, ordinetur et committatur dicto comiti Sibenici, quod dictas turres faciat cohoperire et aptare pro ut fuerit necesse, faciendo quam minorem expensam poterit pro utilitate nostri communis.

De parte omnes alii; de non 2; non sinceri 3.

Senato misti. Vol. 50 c. 53, u mlet. arkivu.

God. 1413. 4. prosinca, u Mletcih.

Izabrana tri poslanika, da podju k papi u poslu mira sa Sigmundom.

1413. 4 decembris. Eligantur tres solemnes ambasciatores pro eundo Laudem ad summum pontificem, qui vult esse mediator inter rempublicam et regem Sigismundum in facto pacis. Electi Thomas Mocenigo, Antonius Contareno et Franciscus Foscari.

Secreta cons. rog. V. 165, u mlet. arkivu.

God. 1413. 10. prosinca, u Mletcih.

Naputak za poslanike iduće papi u poslu mira sa Sigmundom.

1413. die decimo decembris. Quod fiat commissio nobilibus viris ser Thome Mocenigo procuratori ecclesie sancti Marci, Antonio Contareno et Francisco Foscari ambaxiatoribus ad dominum papam et dominum regem Hungarie.

Michael Steno dei gratia dux Venetiarum etc. Comittimus ibus viris Thome Mocenigo procuratori ecclesie sancti Marci, Contareno et Francisco Foscari dilectis et honorabilibus civibus quatenus in nomine yehsu christi et beatissimi evangeliste pro- s nostri ire debeatis in nostros solennes ambaxiatores ad sanctissim. n dominum papam Johannem existentem in Laude aut in terris illis Lombardie pro pace tractanda et propiciante gratia spiritus sancti concludendo inter serenissimum dominum Romanorum et Hungarie regem et nostrum dominium. Et propterea cum primum fueritis ad conspectum summi pontificis, presentatis sibi litteris nostris credentie, cum solita reverentia et devotione offeretis me, meamque comunitatem ad omnia concernentia laudem et decus sue apostolice sanctitatis, secundum quod prudentiis vestrum videbitur melius convenire.

Subsequenter explicabitis causam acessus vestri ad illas partes, quam vobis substantialiter dicimus, ut illam cum circunstantibus et utilibus verbis ad propositum declarare positis. Videlicet, qualiter pro parte sue sanctitatis significato nobis a reverendissimo domino cardinali Venetiarum per litteras, sanctissimum dominum papam more pii patris fecisse et facere requisitionem ambaxiate nostre mittende ad beatitudinem suam de voluntate et conscientia domini regis Romanorum, et quod presto mittere vellemus illam, ut bona pax et concordia sequi possit inter prefatum dominum Romanorum et Hungarie regem et nostrum dominium, secundum quod clementia sua, quam noscimus per certitudinem diligere cordialiter pacificum statum nostrum, desiderat. Illico nos tanquam filii obedientie perseverantes in solitam devotionis integritatem et amplissimam spem clementie sue, providimus vos nostros ambaxiatores dirigere et destinare ad beatitudinis sue conspectum, volendo etiam servare capitulum treugue firmate mediante reverendissimo domino cardinali legato apostolico nomine sanctitatis sue, continentem, quod ipse summus pontifex esse debeat in differentiis amicabilis compositor. Idcirco sperantes in gratiam summi creatoris et in maximam sapientiam et providentiam suam, que sciet virtuose dare bonum principium, melius medium et optimum finem ad hoc opus toti Italie tam laudabile et fructuosum cum salute christianorum, vos offertis ad omne mandatum apostolicum, quando et ubi sibi placuerit paratos esse ad praticam et tractatum huius benedicte pacis, existente altera parte contenta, secundum quod nobis notificatum est. Que si concludetur, domino concedente, ipse dominus papa certe aquiret laudem in hoc mundo et gloriam ac premium in eternum.

Et si prefatus dominus papa, qui per praticas preteritas factas in curia sua alias coram eius sanctitatem et per suos ambaxiatores apud serenissimum dominum regem Romanorum de mandato apostolico existentes, debet esse satis plene informatus de differentiis existentibus inter partes ac de iuribus nostris et de multis praticis et aliis secutis hinc retro, vellet adhuc pro maiori declaratione habere aliquam informationem a vobis, volumus, quod illam sibi detis, secundum quod videbitur sapientiis vestris, ut per amplius sit informatus de favoribus et iuribus nostris.

Et quia vos alias multociens fecistis in similibus tractatibus et praticis, et estis plenissime docti de omnibus secutis usque ad presentem

diem ac de voluntate domini regis nec non de eis, ad que voluit condescendere de responsionibus datis hinc inde, et de materia facti tantum instructi, quod non est amplius opus vobis ulterius declarare. Si cum dei gratia dabitis principium et executionem pratice, recordamur vobis, quod in iustificando iura nostra, quando et ubi fuerit necesse, sitis diligentes, memores et prompti, secundum quod de virtute vestra plene confidimus.

+ Et propterea sub brevitate verborum vobis declarabimus intentionem nostri domini super partibus et divisionibus vestre commissionis particulater, ut cum illis rationibus, viis et modis ac formis, qui et que vobis videbuntur magis utiles et inductive, debeatis procurare et obtinere nostram intentionem iuxta desiderium nostrum, si dominus rex habebit voluntatem veniendi ad concordium pacis bone, sicut speramus.

Primo enim vobis proponimus et sumus contenti, quod pro conservatione inviolabilis amicitie et conclusione pacis bone et perpetue devenire ad hos partitos, videlicet, quod pro recognitione Dalmatie sub titulo specificato census, videlizet terrarum, locorum et insularum Dalmatie, quas tenemus et possidemus, et pro Tragurio, quod procuretis habere, quia multum facit pro nobis, et pro castro Ostrovice, quod noviter in hac guerra est nobis occupatum, et pro aptando facta terrarum et locorum imperii, que et quas tenemus, et pro confirmatione ipsarum, ac pro habendo terras et loca nostra amissa et ubilibet nobis occupata per gentes et subditos regios in partibus Tarvisane et Cenetensis, Feltri et Cividadi, in his omnibus rebus, secundum quod vobis melius videbitur facere posse, possitis nomine nostro promittere ad partem ad partem usque ad summam centumquinquaginta milium ducatorum, quorum ducati centummille solvantur firmata pace infra duos aut tres menses vel plures, si possetis obtinere. Et quando non possetis aliter, condescendatis omni mense tercium usque ad tres menses, et de aliis ducatis quinquagintamillibus fiat dilatio et terminus usque ad menses sex aut plures, si possetis obtinere, faciente et consentiente nobis predicta domino rege Romanorum nomine imperii, regni et corone Hungarie cum cautellis et solemnitatibus, que requiruntur in talibus. Bene recordamur vobis ad cautellam, quod Ceneta non est de iurisdicione imperii.

Preterea sumus contenti, in casu quo aliter facere non possetis, quod possitis promittere ducatos septemmillia annuatim pro tempore futuro tantum eo modo et forma, quibus continetur in pace Taurini, existentibus nobis absolutis libere a solutione temporis elapsi.

Et si pur videritis, dominum regem velle omnino aliquid pro censu Dalmatie scilicet terrarum suprascriptarum, et faceret difficultatem in hoc, et facta per vos possibili experientia videritis hoc habere turbare tractatum pacis, sumus contenti, quod promittatis nomine nostro dare unam cuppam argenteam singulo anno precii limitandi. Et si pur fieret difficultas de cuppa, quia altera pars vellet pecuniam, sumus contenti, quod loco predicte cuppe promittatur per vos a ducatis centum usque ducatos mille in anno pro recognitione Dalmatie.

Et si per suprascriptos modos poteritis obtinere, sicut sperandum est in divina gratia et in vestris virtuosis operibus, quantum dominus rex, qui pretendit habere pecuniam, et nunc est magis necessaria sibi quam alias, cognoscet partitum et avantagium tangendi tantam summam

. in hac indigentia, et vos dabitis omnem operam cum utilibus ...ibus modis, quos tenere scietis; recordando vobis pro memoria ...io, quod dominus rex in partibus Dalmatie aliquibus dominis ...vit de terris et locis deinde; et insuper aliquibus dominis Lom- ... confirmavit terras quas possident, a quibus ipse dominus rex non potest sperare quantum de amicicia et benivolentia nostra. Et debet reminisci, quantam caritatem ostendimus in maioribus extremitatibus quam umquam haberet, et sic semper faceremus cum optima disposi- tione. Et propterea satis ample contentari deberet ad has nostras iustas et honestas requisitiones. Quod si faciet, in bona gratia concludatis, fa- ciendo fieri instrumenta et solemnitates solitas et oportunas in contra- tibus pacis.

Et si pur non possetis obtinere de habendo nos Tragurium, ut non restat pro hoc conclusio pacis, voluimus et sumus contenti, quod dimittatis Tragurium. Et in hoc casu non transeatis summam centum- millium ducatorum sine Tragurio.

Si autem factis omnibus experientiis possibilibus per vos videretis et comprenderetis manifeste, quod intentio domini regis non esset ullo modo alienandi terras et loca Dalmatie, que et quas possidemus, et Tra- gurium et castrum Ostrovice in perpetuum, allegato per vos, quod sine dubio pax perpetua et melior et utilior quam pax ad tempus, ut remo- veatur omnis causa et materia, que posset inducere gravedinem et dif- ferentias inter partes; non possendo vos exequi nostram intentionem modis predictis, set videritis tractatum pacis rumpi, volumus, postquam non possit esse alius modus, potius sumere concordium per aliquod tempus quam remanere discordes, tunc intretis ad hanc secundam pra- ticam in infrascriptis modis, videlizet:

Quod dante et concedente prefato domino rege pro se et corona Hungarie terras, loca et insulas Dalmatie, que et quas possidemus et Tragurium et predictum castrum Ostrovice nobis occupatum, simul per spacium annorum XXV in triginta, secundum quod melius poteritis, et confirmante nobis nomine imperii in perpetuum terras et loca jurisdi- tionis imperii, quas possidemus cum illa solutione et honorificentia, quam dare solebant domini preteriti, et restituente eo nobis terras et loca nobis ablata et occupata per gentes et subditos suos ut predicitur, su- mus contenti dare et concedere causa mutui sue seremitati a centum millibus ducatis utque ad summam centumquinquagintamillium quanto melius et minus poteritis, possendo promittere, quod dabimus sibi du- catos centummille in spacium duorum vel trium mensium aut plurium, si facere poteritis, aut si aliter non possetis, condescendatis ad dandum quolibet mense tercium utque ad tres menses et alios ducatos quinqua- gintamille ex tunc usque ad sex menses vel per quam longiores ter- minos poteritis. Et in hoc quantum plus possumus vos oneramus, quod conveniatis de dando dictas pecunias causa mutui. Et ulterius, ut pro hoc non restet conclusio pacis, et ut melius continetur dominus rex, relinquimus in vestro arbitrio, quod possitis promittere solutionem septem- millium ducatorum pro causis contentis in pace Taurini pro tempore futuro tantum et quod de tempore preterito libere absolvamur, et quod pro hac causa nulla molestia, petitio sive inquietatio unquam fiet per

eum nec alios nunc vel in futurum ullo modo, forma vel ingenio, promittendo reddere nos securos et quietos et absolutos etcetera, ut servatur in contractibus pacis. Insuper pro recognitione Dalmatie cum Tragurio possitis promittere unam cuppam argenteam etc. Et si poteritis obtinere nomine mutui, in bona gratia concludatis, ut est dictum, cum condicione tamen, quod transactis dictis triginta annis, si isto medio tempore non sequeretur alia compositio, nihilominus hec pax et compositio sit et debet esse firma et valida, donec dicta tota pecunia concessa nomine mutui nobis fuerit integre restituta.

Et si facta omni instantia possibili non possetis obtinere, set videretis, quod nulla spes esset modis predictis, sumus contenti, quod possitis promittere dictam pecuniam ad suprascriptam summam centum quinquaginta millium ducatorum aut inde infra et in quam longioribus terminis poteritis, scontando in solutione predicte pecunie ducatos septemmillium de anno in annum usque integram satisfationem et complementum dicte pecunie. Et postea de anno in annum dare debeamus ducatos septemmille per totum tempus, quo dabit nobis et dimittet terras predictas Dalmatie.

Quando vero factis omnibus experientiis possibilibus, quod dicte pecunie darentur nomine mutui, aut quod scontarentur de solutione annuali septemmille ducati, ut est dictum, non possetis obtinere, sumus contenti, ut pro hoc non restet conclusio pacis, quod finaliter positis promittere, quod dicti ducati centumquinquagintamille vel inde infra, sicut minus poteritis obtinere, libere dentur et donentur prefato domino regi pro causis suprascriptis Dalmatie cum Tragurio et castro Ostrovice ac pro terris imperii nec non pro restitutione terrarum et locorum ablatorum et pro solutione ducatorum septemmillium pro preterito ac pro omnibus aliis differentiis et pro bona conclusione pacis. Ita tamen, quod transactis dictis triginta annis partes remaneant in illis iuribus et conditionibus, in quibus sunt ad presens de factis Dalmatie; quia, ut predicitur terras imperii omnino volumus habere in perpetuum et similiter terras nobis occupatas per gentes et subditos regios, ut est dictum.

Et si pur comprehenderetis, quod non sit modus possendi haberi Tragurium, quia dominus rex non esset contentus, tunc volumus et sumus contenti, quod non prosequamini ad petitionem Tragurii, set concludatis sine Tragurio ultra ducatos centummille, sicut est conveniens atque iustum.

Recordamur etiam vobis, quod, in casu quo deus concedat conclusionem huius pacis aut concordii, habeatis ad memoriam, quod omnes promissiones et obligationes regie fiant et fieri debeant nomine imperii sive regis Romanorum ac corone et regni Hungarie, et quod ratificetur per illos, quorum interest ratificare, ad terminum, qui erit in contractu specificatus pro firmitate rerum; et quod omnia, que obtinueritis in ipsa conclusione pacis cum capitulis inclusis, et omnia ac alia, que videritis posse redundare ad securitatem et validationem agendorum nostrorum et promissionum factarum, fiant cum illis cautellis et solemnitatibus, que requiruntur in stipulationibus et contractibus pacis, ita quod promissa nobis non possint infringi, set sint firma et valida, et illis oponi non possit per tempora futura, et hoc pro evitando disturbia et inconvenientias, que ullatemus sequi possent. Et propterea in omnibus, que

vestris prudentiis videbuntur, sumus contenti et placet nobis, quod possitis conferre et habere consilium et juvamen ac auxilium dominorum cardinalium Venetiarum et Florentie, quos noscimus esse propicios corde et effectibus ad comoda nostra et diligere dominium et statum nostrum.

Insuper si in dicta pratica fieret vobis mentio vel requisitio aliqua de galeis nostris contra infideles, damus vobis libertatem possendi et antequam exprimatis totam quantitatem et post, quando et sicut vobis videbitur posse prodesse nostris intentionibus suprascriptis, promittere et tenere in partibus Gretie a quinque usque decem, galeas armatas nostris expensis in subsidium et favorem christianitatis et ipsius domini regis Romanorum et Hungarie, quando et donec sua maiestas personaliter cum potenti exercitu erit et stabit in partibus Gretie contra infideles, declarando et ostendendo, ut est rei veritas, quanta gravedo et expensa nobis erit tenere tot galeas in dictis partibus, et quantus favor christianitatis et regni Hungarie et quantum damnum cedet nostris locis confinantibus cum Turchis et etiam mercatoribus nostris conversantibus in locis Turchorum; que promissio habeat locum, si concludetur in pace. Et hoc pro una vice tantum.

Volumus insuper, quod habeatis libertatem possendi expendere et promittere illis personis, que vobis viderentur propicie et prodesse agendis istis pro deveniendo ad bonam conclusionem pacis secundumque nobis melius videbitur usque ad summam ducatorum quinquemillium, set quod pecunia non exbursetur nec solvatur, nisi facta conclusione pacis.

Super facto autem colligatorum nostrorum, adherentium et recomendatorum iniungimus vobis, et sic est nostra intentio, quod sicut nominati sunt in treugua, sic nominentur in presenti pace, cuius treugue copiam penes vos habetis. Verum declaramus, quod super facto magnifici domini marchionis pro facto Parme et Regii ac magnifici domini Pandulphi pro facto Brixie procurare debeatis et obtinere, quod includantur, ut est dictum, et ulterius quod teneant et possideant ea, que tenent ab imperio, cum illa honorificentia et contributione, ad quam obligati sunt.

Super facto domini Tristani et fratris dicimus, quod conveniens est, et sic volumus, quod poni debeat in contractu pacis. Nam ipse faciet promissionem obbedientie illi, qui est vel erit verus patriarcha et confirmatus per summum pontificem, et observabit et faciet sicut alii nobiles et castellani patrie, dummodo non cogetur ad faciendum contra nostrum dominium et statum nostrum, cum conditione, quod habeant ipse et pater suus bona eorum in patria et gaudeant illis et redditibus suis, sicut conveniens est.

Et similiter poni debeant illi nobiles de Brugneria et comites de Colalto, habendo et gaudendo bonis suis etc. Habeatis insuper menti, quod, venientibus vobis ad conclusionem pacis perpetue, prefatus rex promittat, quod in terris et locis ac portubus Dalmatie, qui et que non remanerent in potestate nostra, non detur receptus, reductus, favor nec aliquod juvamen nec victualia aliquibus gentibus vel navigiis inimicorum nostrorum aut aliquorum aliorum volentium venire vel attendere ad damna nostra terrarum, subditorum et navigiorum nostrorum, sicut est debitum et honestum.

Preterea si pur esset expediens pro veniendo ad conclusionem pacis suprascripte, quod nos restituamus loca ablata, in hoc casu, non possendo aliter facere, sumus contenti, quod promittatis, quod restituemus loca ablata in Istria tantum in manibus, quorum erant. Set supra cetera non obligemini ad dandum Latisanam, quia non est de jurisdictione imperii nec corone Hungarie, quia summe cupimus, quod nobis remaneat multis respectibus.

Debeatis insuper vos presentare ad conspectum serenissimi domini Romanorum et Hungarie regis, cui post reverentes salutationes offeretis nos et nostrum dominium ad honores atque beneplacita sue regie maiestatis cum illis verbis, que vestris sapientiis videbuntur pro honore sue serenitatis et nostro. Et dicetis sub isto effectu, quod summus pontifex tanquam pius pater, cuius proprium est procurare quietem et pacem inter christri fideles, nuperime nos requisivit, quod mitteremus nostram ambaxiatam ad partes illas, ut posset tractare et deo dante concludere bonam et perpetuam pacem inter suam serenitatem et nostrum dominium, sicut iamdudum optaverat et optabat pro universali bono christianitatis et ecclesie dei ac utriusque partis. Quare nos tanquam filii obedientie et tanquam bene dispositi ad tantum bonum, sicut fuimus etiam per elapsum, deliberavimus vos mittere ad cospectum sue beatitudinis ista de causa. Et quod habuistis in mandatis a nobis presentandi vos ad suum regium conspectum, et declarandi sibi suprascriptam causam vestri adventus, sperantes, quod sua serenitas erit etiam prompta et perfecte disposita, ut tam salutiferum opus in presentia et per medium prefati summi pontificis concludatur, quodque vos nomine nostro eritis similiter perfecte dispositi ad tantum bonum in omnibus, que sint convenientia et honesta.

Visitabitis insuper reverendissimos dominos cardinales, in personam quorum fecimus fieri litteras credentiales. Quibus post salutos offeretis nos ad sua beneplacita et honores cum verbis pertinentibus, et exponetis in substantia causam vestri additus, rogantes et inducentes eos, quod sint propicii et favorabiles, ut hoc bonum pacis possit deo dante concludi. In speciali quidem multum stricte salutabitis dominos cardinales Venetiarum et Florentie cum verbis domesticis et caritativis, inducendo similiter eos ad predicta, et conferendo secum circa ea, que vobis videbuntur, quia certi reddimur, quod ad utilitatem et honorem ac comoda nostra se reddent favorabiles et prompti quantum poterunt.

Insuper posuerunt ultrascriptam commissionem cum omnibus et singulis capitulis et aliis scriptis in precedenti latere positis per ipsos sapientes exceptis illis duobus scriptis in precedenti latere, que specialiter posuerunt ser Albinus Baduario, ser Nicolaus Victuri et ser Petrus Civrano sapientes consilii, cum hoc etiam capitulo infrascripto, quod captum fuit cum ipsa commissione et dictis capitulis exceptis predictis duobus.

Tenor autem dicti capituli talis est, videlizet: Capta. Sed volumus principaliter et est nostra intentio, quod antequam intretis ad praticam promittendi aliquam summam pecuniarum per aliquem modum sive partitum, secrete procuretis scire et sentire a domino papa, si dominus rex sit contentus pervenire ad conventionem et condescendere ad dimittendum nobis terras imperii notatas in commissione vestra, et restituere

terras occupatas, et quod nobis remaneant terre Dalmatie, ut notatur in capitulis vobis datis. Et si per responsionem et verba sua videbitis et comprehenderetis, quod mens regia velit inclinare ad tales assensus, facientibus nobis ea, que sint iusta, honesta et rationabilia, placet nobis, quod exequamini per modos notatos et contentos in hac commissione. Quando autem comprehenderetis, animum regium non esse dispositum inclinare, non procedatis ad ulteriores promissiones, set rescribatis nobis prestissime, et expetetis mandatum nostrum. De parte 82, de non 51, non sinceri 13.

Dictum autem capitulum poni debet et scribi post quartum capitulum ultrasripte commissionis sub hoc signo +.

Secreta cons. rogat. vol. V. p. 166, u mlet. arkivu.

God. 1414. 8. siečnja, u Mletcih.

Poslanik u Rimu Toma Mecenigo izabran za dužda mletačkog.

1413. 8 ianuarii. Capta in rogatis. Quia favente gratia yeshu christi et beate virginis Marie ac intercessoris et protectoris nostri beati Marci evangiliste electus est inclitus noster dux Venetiarum illustris dominus Thomas Mocenigo, qui fuerat destinatus ambassiator ad s. summum pontificem et serenissimum dominum regem Romanorum de pace tractanda, et pro laude et honore urbis nostre et salute persone sue sit expediens eidem scribere et notificare electionem factam, et providere de factis, pro quibus ipse et alii duo ambassiatores ibidem sunt ac circa executionem agendorum et tractatus in tali modo et forma, quod honor noster conservetur, et nostri ambassiatores sciant se intelligere pro praticis, que fierent ad conclusionem pacis; vadit pars, quod per litteras nostras scribi debeat illustri domino Thome electo inclito duci nostro, et similiter scribatur duobus ambassiatoribus nostris ser Antonio Contareno et ser Francisco Foscari, notificando electionem excellentem quam fecimus de inclita et illustri persona sua ad sublinitatem et fastigium ducatus Venetiarum cohoperante gratia et infusione spiritus sancti. Et quia se repperit personaliter in partibus deinde et secum alii duo nostri ambaxiatores pro pace tractanda, et non videatur nobis conveniens nec honestum, quod utatur officio legationis, relinquimus in libertate sue excellentie recedendi pro repatriando et veniendo ad regimen sublime suum ducatus, et quanto hoc sequi possit cicius, securius et habilius, magis placebit dominio et toti terre. Verum antequam sit recessus suus, compareat ipse et sotii ambassiatores ad presentiam domini pape et domini regis Romanorum, si ibidem erunt, significando sibi electionem quam fecimus de inclita et excelsa persona sua ad ducatum Venetiarum. Et propterea cum bono amore ac vera perseverantia caritatis, sicut semper fuit dispositus erga sanctitatem apostolicam et honores et status ecclesie sancte dei, erit et est dispositus esse; supplicando sue sanctitati, ut dignetur sicut incepit sic perseverare et dare modum conclusioni pacis bone, secundum quod sapientia sua facere sciet. Dominum autem regem Romanorum debeat cum bonis verbis etiam visitare cum sotiis ambassiatoribus, tangendo, quod in omnibus, que habeant inducere

et conservare benivolentiam, amorem et bonam pacem a parte dominationis nostre, est et erit semper dispositus et paratus, reservato semper honore dominii etc. cum illis verbis, que erunt convenientia et honesta. Et viso tempore discedere possendi, deinde discedat pro veniendo versus Venetias, remanentibus ibidem nobilibus viris ser Antonio Contareno et ser Francisco Foscari ambassiatoribus cum illis modis, condicionibus et libertate per ipsos duos, quibus erant omnes tres iuxta formam commissionis, que se extendat in ipsis duobus tantum. Verum si ante recessum occurreret aliquid tractandum, fiat per ambassiatores duos audito et habito consilio domini ducis electi, ut honor suus et noster conservetur. Pro securitate autem persone sue in recessu suo et accessu recordamur sibi, quod providimus scribere magnifico domino Pandulfo de Malatestis, rogando suam magnificentiam, quatenus, si requiretur ab ipso domino duce electo, placeat mittere de gentibus suis, qui societ ipsum. Et similiter mandavimus rectoribus nostris Verone, et sic debeat eis mandari, quod ad omne suum beneplacitum et voluntatem mittatur ad eum et obviam sibi de gentibus nostris armigeris in illa quantitate, que videbitur rectoribus inspecta etiam securitate civitatis predicte, et quod dum persona domini ducis electi erit in Verona notificet nobis de appulsu suo, et expectet, quousque miserimus ad honorandum personam suam per nostros ambaxatores condecenter, et quod dederimus ordines necessarios circa ea, que disposuimus agere pro laude et honore civitatis nostre et illustris persone sue.

Et ex nunc mitti debeat sindicatus in personam duorum ambassatorum et omnes alie scripture pertinentes ad ambassiatam, ut ambassiatores nostri ibidem remaneant ad exequendum formam sue commissionis et alia mandata nostra; et significetur eis, quod cras mittemus eis aut quam cicius poterimus responsionem et declarationem, quas nobis miserunt. De parte 119, de non 4, non sinceri 0.

Secreta cons. rogat. vol. V, p. 171, u mlet. arkivu.

God. 1414. 16. veljače, u Mletcih.

Naloženo poslanikom pri rimskom dvoru, neka se, pošto nema nade do mira, povrate u Mletke.

1413. Die 16 februarii. Capta in rogatis. Cum iam multis diebus ambassiatores nostri existentes apud summum pontificem scripserint nostro dominio terminos, in quibus se reperiebant super facto pacis tractande inter dominum regem Hungarie et nostrum dominium, de cuius conclusione non videbant modum, causis et rationibus in dictis litteris tactis; et modo miserunt Venetias prudentem virum Franciscum de la Siega notarium nostrum, per quem nostro dominio significarunt omnia, que habuerunt a cardinalibus Venetiarum et Florentino, et similiter opiniones suas, per que omnio nostro dominio significarunt spem habere super facto dicte pacis, et quod ducimur per verba cum damno et onere nostri dominii et ad comodum et utilitatem aliorum, sicut distincte audivistis a dicto Francisco; et multum faciat pro honore et bono nostri comunis

providere super hoc; vadit pars, quod scribatur et respondeatur dictis nostris ambassiatoribus in hac forma, videlicet:

Per litteras vestras, quas de tempore in tempus nobis misistis, fuimus distincte et ordinate informati de omnibus, que secuta sunt super facto pacis tractande inter dominum regem Hungarie et nostrum dominium, et qualiter ducti fuistis per verba, et audivimus similiter ea, que vestri parte nobis exposuit ordinate circumspectus vir Franciscus de la Siega notarius noster; quibus omnibus mature examinatis, cum nostris consiliis rogatorum et additionis fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus die iovis proximo XXII presentis comparere debeatis ad presentiam summi pontificis, sue sactitati dicere et exponere, quod, sicut sua beatitudo scit, requisiti pro parte sue sanctitatis misimus vos in nostros ambassiatores ad conspectum sue beatitudinis, ut per medium et interpositionem sue sanctitatis bona pax concludi posset inter dominum regem Romanorum et Hungarie et nostrum dominium, et sicut sua sanctitas videt, dicta pax non potuit propter causas et rationes sue sanctitati notas et manifestas concludi. Et quia talis tractatus amplius praticari non potest propter absentiam dicti domini regis, habebitis in mandatis repatriandi et redeundi ad presentiam nostram; subiungentes, quod illud, quod in presenti non potuit habere locum et effectum, in futurum favente divina gratia poterit tractari et concludi. Et accepta licentia et benedictione sua, debeatis in bona gratia reverti Venetias. De parte 81.

Secreta cons. rogat. vol. V. p. 175, u mlet. arkivu.

God. 1414. 1. ožujka, u Piacenci.

Sigmund obavieščuje Dubrovčane, da šalje svoje pouzdanike njim i Sandalu vojvodi, i neka ovim izruče novac, što mu duguju.

Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Dalmacie, Croatie etc. rex. Nobiles fideles dilecti. Fideles nostros dilectos egregium Ladislaum Jakch de Kusal aule nostre militem et Johannem Chalnak aulicum nostre maiestatis harum exhibitores, quas eciam ad fidelem nostrum dilectum magnificum Zandal wayvodam direximus, ad vestram fidelitatem mittimus de presenti de nostre majestatis intencione vobis et predicto Zandal wayvode reseranda, ad plenum eruditos, cupientes et vestre fidelitati firmiter committentes, quatinus pro practica cum prefato Zandal wayvoda facienda duos ex vobis ydoneos cum ipsis fidelibus nunciis, si vobis consonum videbitur, transmittere, aut eosdem nostros nuncios de vestra intencione totali, quam circa practicam huiusmodi servare debeant, plenarie erudire et informare, nec non censum annuum anni presentis e vestri medio nostre maiestati provenire debentem totaliter et ex integro predicto Ladislao Jakch et Johanni reddere et persolvere ac manibus eorum assignare debeatis pleno cum effectu. Aliud non facturi. Datum Placentie feria quinta proxima post dominicam Invocavit. Anno domini MCCCCXIIII, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXVII, Romanorum vero quarto.

A tergo: Fidelibus nostris nobilibus rectori, iudicibus et communitati nostre civitatis Ragusii grate nobis dilectis.

Recepte die XIII. aprilis 1414. a serenissimo domino nostro.

Izvornik u beckom dvorskom arkivu.[1]

God. 1414. 23. ožujka, u Mletcih.

Mletčani obdaruju viernost zadarskoga plemića Šimuna Detrika.

Thomas Mocenigo dei gracia dux Venecianum etc. nobilibus et sapientibus viris Jacobo Trivixano comiti et Egidio Mauroceno capitaneo Jadre, fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum et successoribus suis. Considerata fidelitate et laudabili portamento strenui militis domini Simonis Detrico nobilis nostri Jadratini in honorem et serviciis nostris fideliter et solicite demostratis, consideratisque hiis, que nostro dominio super operationibus comendabilibus eiusdem per vestras literas denotastis, prefacto domino Simoni cum nostris consiliis rogatorum et aditionis de gracia concessimus, quod illas duas lanceas, quas habet in Jadra, possit scribi facere filio suo, quem scribitis ad hoc esse aptum et idoneum. Et ut idem dominus Simon cognoscat benignitatem nostri domini ob fidelia opera sua, volumus et sic eidem concessimus, quod

---

[1] Istodobni dopis na Dubrovčane sa njekojimi razlikami u istom arkivu glasi ovako (V. Wenzel p. 563):

Sigismundus dei gratia rex Romanorum semper augustus, ac Hungarie etc. rex. Nobiles fideles dilecti. Fideles nostros dilectos eggregium Ladislaum Jakch de Kussal aule nostre militem et Johannem Chalnak aulicum nostre maiestatis harum exhibitores, quos eciam ad fidelem nostrum dilectum magnificum Zandalium wayvodam direximus, ad vestram fidelitatem mittimus de presenti de nostre maiestatis intencione vestre fidelitati et predicto Zandalio wayvode reseranda, ad plenum eruditos; mandantes eidem vestre fidelitati firmo regio sub edicto, quatenus ipsis Ladislao et Johanni in dicendis nostri parte hac vice fidem indubiam adhibendo pro pratica cum prefato Zandalio wayvoda facienda duos ex vobis idoneos cum eisdem nostris nunciis, si vobis consonum videbitur, transmittatis, aut hoc vobis non placente, predictos nostros nuncios de plena vestra intentione circa premissam praticam servanda plenarie informare debeatis. Assumimus nichilominus et presentibus pollicemur omnia et singula, que cum ipsis nostris nunciis in hoc negocio seu practica tractaveritis, ordinaveritis et finaliter concluseritis rata, grata et firma habere, aliisque litteris nostris solidantes confirmare. Ceterum volumus et vobis similiter regio mandamus sub edicto, ut censum annuum anni presentis de vestri medio nobis provenire debentem predictis nostris nunciis totaliter et ex integro persolvere et realiter assignare studeatis. Aliud pro nostra gracia non facturi. Datum Placencie feria quinta proxima post dominicam Invocavit; anno domini MCCCCXIIII, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXVII, Romanorum vero quarto.

A tergo: Fidelibus nostris nobilibus rectori, iudicibus consilio et communitati nostre civitatis Ragusii nobis sincere dilectis. Recepte die XIII aprilis a domino nostro rege in forma expeditoriarum.

singulo anno pro stipendio persone sue habeat ducatos centum de denariis camere nostre Iadre ad beneplacitum nostri dominii. Et propterea fidelitati vestre scribimus et mandamus cum nostris consiliis antedictis, quatenus dominum Simonem predictum observare et observari facere debeatis graciam per nos eidem concessam, prout superius continetur, facientes has nostras litteras in cancellaria vestri regiminis ad futurorum memoriam registrari.

Data in nostro ducali palatio die XXIII marcii, indictione VII, MCCCCXIIII.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro primo c. 29." u zadarskom arhivu.

God. 1414. 2. travnja. u Mletcih

Odgovori na neke molbe Šibenčana.

1414. die 2. aprilis. Capta. Sapientes consilii. Quod respondeatur ad capitula porrecta pro parte comunitatis Sibenici in hac forma:

Primo, quia districtus Sibenici continue destruitur per vassallos regis Hungarie, quod dignetur maiestas ducalis providere, quod non fiat ulterius. Ad istud respondeatur, quod alias per illos de Sibenico facta fuit similis querela et requisitio, et consuluerunt nobis, ut mitteremus pecuniam, et quod scriberemus et mandaremus rectoribus nostris, ut stipendiarent pedites centum de illis deinde, nam tenerent se multum bene securos, et possent se valere, dummodo etiam si aliquo casu foret eis necessarium de gentibus nostris armigeris, rectores mitterent sibi aliquos equos in casibus opportunis. Et propterea ad requisitionem et instantiam suam missa fuit pecunia et scriptum rectoribus nostris, ut providerent et mitterent executioni, ut superius dictum est, et miramur, si non adimpleverint mandatum nostrum, sed illud repplicabimus in efficaci forma rectoribus nostris predictis, ut sic debeant penitus observare.

Item quia illi de Scardona, emuli dicte civitatis Sibenici, multa damna inferunt civibus Sibenici, derobantes dictos cives in genere et in spetie, quod dignetur maiestas ducalis providere de factis ipsius Scardone. Respondetur, quod per suprascriptam provisionem adimpletur intentio illorum de Sibinico circa contenta in ipso capitulo, ita quod cum securitate poterunt stare.

Item quod terminus brevis est ad exigendum pecunias pro frumento dato civibus in credentia, dignetur maiestas ducalis prorogare dictum terminum ad nativitatem domini proxime futurum. Respondeatur, quod sumus contenti concedere sibi terminum solutionis de dicto frumento usque ad festum omnium sanctorum proxime futurum, declarando sibi, quod nullo modo possemus ellongare sibi terminum predictum.

Item quod dignetur maiestas ducalis providere illis civibus Sibenicensibus de residuo subventionis dudum facte per magnificos provisores, et confirmate per excelsum ducale dominium, et hoc propter paupertatem, qua sumus oppressi. Respondeatur, quod sicut sciunt in recessu suo de residuo subventionis sue, quam debebant habere pro aliquo tempore, quo steterant extra domum, nam de tempore in tempus ha-

buerant suam provisionem in maiori parte, providimus scribere et mandare, ut ipsum residuum sibi daretur deinde per nostros rectores; et sic de novo scribemus rectoribus, ut provideant de residuo suprascripto.

Item dignetur ducale dominium mittere ad manus domini Anthonii comitis Sibinici ducatos centum in denariis parvulis, quos ipse comes debeat cambiare in aliis monetis, et facere bonos, et dare stipendiariis ibi existentibus. Respondeatur, quod sumus contenti complacere Sibent censibus de capitulo suprascripto.

Suplicatur insuper de facto turrium, quod dignetur maieštas ducalis providere de salario stipendiariorum, quia quolibet mense debent habere ducatos ducentos, et quia possit idem comes ad arbitrium suum, quando videretur ei, minuere quantitatem eorum pro utilitate ducalis dominii. Respondeatur, quod provisum est per dominium et mandatum rectorum de modis observandis circa custodiam et conservationem turrium per modum necessarium, et sic de tempore in tempus providebitur de custodia et securitate illarum, secundum quod dominio videbitur fore neccesse.

Insuper dignetur maiestas ducalis providere de provisione illis, quibus dominus Franciscus Cornario promisit, habens in mandatis a ducali dominio. Respondeatur, quod sicut dictum est, data fuit provisio illis, qui erant extra domum suam, pro eo tempore, quo steterunt extra, sed ab inde citra non debent intelligi, nec fuit intentio nostri dominii velle dare provisionem predictis. De parte 77, non 0, non sinceri 5.

Misti. L. 93, u mlet. arkivu.

God. 1414. 16. travnja, u Mletcih.

Dozvoljava se Šibeničanom, da na onoj granici njeku tvrdjavu podignu.

Quod scribatur comiti Sibinici in hac forma: Per litteras vestras datas nono ianuarii elapsi nostro dominio denotastis, qualiter cives exiticii Sibinici simul cum comite Johanne de Cetines ad invicem ratiocinati fuerant de fabricando unum fortilicium in loco vocato Grebaz in sumitate cuiusdam montis distantis a litore maris per duo miliaria vel tria et a civitate Sibinici per octo miliaria, et addidistis, quod si dicti inimici facerent dictum fortilicium, esset totalis consumptio districtus nostri Sibinici. Et ob hoc saluberius esset, ut dictum fortilicium faceretis pro securitate et tutella civitatis nostre et totius districtus Sibinici. Et similiter ambaxatores vestri et comunitatis nostre Sibinici, qui nuper ad presentiam nostram fuerunt, multum efficaciter supplicarunt, ut dignemur vobis mandare, quod dictum fortilicium fieri faceretis, allegantes in hoc comodum et utile, quod sequeretur civitati nostre Sibinici et toti districtui, et damnum et incomodum quod sustinerent fideles nostri deinde, si dictum fortilicium per inimicos nostros edificaretur, et subiungentes, quod dictum fortilicium fiet in octo diebus. Quibus omnibus diligenter intellectis cum nostris consiliis rogatorum et additionis fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus esse debeatis cum illis fidelibus nostris deinde, qui vobis videbuntur, et providere de dando principium

fortilitio predicto, providendo quod fiat presto cum securitate nostrorum deinde; et damus vobis libertatem possendi expendere pro dicto fortilicio construendo ducatos centum de denariis nostri comunis, quos de inde habetis de illis trecentis, quos vobis misimus pro gentibus soldandis. Si vero maior expensa esset necessaria, vobis declaramus, quod dicti ambaxiatores obtulerunt, quod illam expensam ultra dictos ducatos centum fideles nostri deinde parati sunt solvere.

De parte 94, de non 2, non sinceri 3.

Secreta cons. rogat. V. 179 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1414. 5. lipnja, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju kotorskomu poslaniku, da nemogu jamčiti za onu občinu napram vojvodi Sandalju, niti da je zgodno za sada vrieme, da prime onaj grad u svoju vlast.

1414. 5 iunii. Capta. Cum comparuerit ad presentiam nostri dominii unus ambassiator comunitatis Catari, et exposuerit pro parte dicte communitatis, quod ipsi iam diu fuerunt molestati multum a magnifico domino Sandali et a Balsa, qui dominus Sandali optabat occupare terram et castrum Catari, propter quod dederunt dicto Sandali datium salis, et ipse satisfacere debeat Balse Strazimiri de eo, quod annuatim dicta comunitas Catari dicto Balse dabat et solvebat. Sed dictus Sandali vult habere fideiussionem ducatorum XII mille a comunitate Catari, et ob hoc retinet captivos quatuor suos cives, quos liberare non intendit, nisi prius habeat plezariam predictam. Et de hoc dictus ambassiator instanter rogavit nostrum dominium, ut dignemur dictam plezariam dicto Sandali nomine dicte comunitatis facere; vadit pars, quod respondeatur dicto ambassiatori, quod veritas est, quia semper amavimus comunitatem Catari, nobis displicuit et semper displiceret, quod dicte comunitati inferrentur novitates et iniurie, et velemus, quod pacifice et quiete vivere possent; et ad prezariam, quam petunt, per nostrum dominium fieri nomine dicte comunitatis magnifico domino Sandali de ducatis XII mille, dicimus, quod semper essemus dispositi in cunctis possibilibus dicte comunitati complacere, sed quia nostra dominatio non est consueta huiusmodi plezarias facere, et etiam certis aliis bonis causis et respectibus, non videmus posse dicte comunitati de dicta plezaria complacere, et rogamus dictam comunitatem, ut ob hoc placeat, si sue requisitioni non condescendimus, habere nostrum dominium excusatum.

Et quia dictus ambassiator dixit, quod alias dicta comunitas obtulit, velle dare nostro dominio dictam civitatem Catari, et quod sibi fuit responsum, quod non erat adhuc tempus, et quod istud tempus ipsi expectabant cum illa aviditate, qua expectabant antiqui patres existentes in nimbo adventum christi etc.; respondeatur dicto ambassiatori, quod pro multis bonis respectibus non videtur nobis adhuc tempus respondendi super facto accipiendi terram predictam. De parte 114, de non 1, non sinceri 3.

Secreta cons. rog. V. 185, u mlet. arkivu.

God. 1414. 13. lipnja, u Mletcih.

Naloženo knezu šibeničkomu, neka se nepača nipošto u stvari tičuće se Luke Kosičića, dok se ovaj nalazi u Mletcih.

Capta. Cum per comitem nostrum Sibinici, postquam prudens vir ser Lucas Cosicich venit Venetias, multe novitates inferuntur, et coctidie dictus ser Lucas comparet ad presentiam nostri dominii ad exponendum querelas suas predictas; et bonum sit pro omni bono respectu in predictis ponere conclusionem; vadit pars, quod scribatur comiti nostro Sibenici in hac forma.

Multotiens comparuit ad presentiam nostram providus vir ser Lucas Cosicich fidelis noster Sibenici, ad presens moram trahens Venetiis, sicut scitis, exponens, quod per vos contra ipsum et bona sua multa attentantur in damnum et pregiuditium suum, et novissime vultis accipere quandam tinctoriam, quam habet, non obstante, quod nondum completus sit terminus suus. Et quia consideramus, quod quando principales absentes sunt, alii, qui sunt nomine suo, non possunt ita bene deffendere iura sua, sicut si presentes essent, propterea fidelitati vestre cum nostris consiliis rogatorum et addictione scribimus efficaciter et mandamus, quatenus de factis spectantibus et pertinentibus quomodocunque dicto ser Luce nullo modo, forma vel ingenio debeatis vos impedire vel intromittere. Et si a die, qua recessit de Sibinico, et venit Venetias, per vos contra ipsum vel in bonis suis aliquid fuisset factum vel innovatum, debeatis omnia revocare, et reducere in illum statum et condictionem, quibus erant, quando dictus ser Lucas de Sibinico recessit. Et donec stabit Venetiis, contra ipsum nec in bonis et rebus suis nullam debeatis facere novitatem; nam intentio nostra et nostri consilii est, quod donec erit Venetiis, non debeatis ullo modo vos de ipso et bonis suis impedire vel intromittere, nec novitatem aliquam facere modo aliquo sive forma. De parte 79, de non 2, non sinceri 5.

Misti L. 118, u mlet. arkivu.

God. 1414. 25. lipnja, u Triniju.

Sigmund obavješćuje stanovnike otoka Korčule, Hvara i Brača, da jih je privremeno podčinio dubrovačkoj občini.

Commissio propria domini regis. Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper Augustus ac Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. rex. Fidelibus nostris universis et singulis insulanis in insulis Carchula, Lesne et Brachia vocatis pertinentiisque earundem commorantibus et constitutis salutem et graciam. Cum nos huiusmodi nostras insulas per fideles nostros communitatem nostre civitatis Ragusiensis de speciali nostre maiestatis mandato occupatas, simul cum earum pertinenciis et utilitatibus apud manus dictorum fidelium nostrorum Ragusiensium duximus relinquendas tamdiu, quousque una cum fidelibus nostris prelatis et baronibus dicti regni nostri Hungarie aliud superinde decreverimus disponendum. Igitur fidelitati vestre universitatis et cuiuslibet vestrum firmiter precipiendo mandamus, quatenus a modo et in antea universis et

singulis redditibus, proventibus fructibus et obvencionibus quibusvis e medio vestre universitatis nostre maiestati provenire debentibus et consuetis dictis fidelibus nostris Ragusiensibus vel eorum officialibus ipsorum nomine ad hoc deputatis absque omni diminucione aministratis et effective assignatis in omnibus et singulis more alias consueto, eisque Ragusiensibus vel eorum officialibus predictis parere et optemperare debeatis, quousque aliud a nostra maiestate superinde habueritis in mandatis. Scripsimus eciam fideli nostro dilecto magnifico Johanni de Medwe regnorum nostrorum Dalmacie et Croacie predictorum bano, ut ipse predictos Ragusienses et eorum officiales in predictis insulis et suis pertinentiis percepcioneque reddituum, proventuum et obvencionum predictorum impedire et molestare aut se et suos de eisdem intromittere non presumat modo aliquali, sed ipsas nostras insulas una cum pertinenciis et utilitatibus eorum universis apud manus ipsorum Ragusiensium pacifice et absque ullo impedimento usque tempus prefixum permittat et permitti faciat permanere. Secus ergo non facturi nostre gracie sub obtentu; presentes eciam post earum lecturam semper reddi volumus presentanti. Datum Trynii secundo die festi nativitatis beati Johannis Baptiste. Anno domini MCCCCXIIII, regnorum nostrorum anno Hungarici XXVIII, Romanorum vero quarto.

Izvornik sa pečatom u bečkom dvorskom arkivu.

God. 1414. 26. lipnja, u Mletcih.

Naputak za providire odlazeće u Dalmaciju.

1414. die XXVI. iunii. Capta. Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Vitali Miani Laurentio Capello et Petro Lauredano, dilectis civibus et fidelibus nostris, quod in bona gratia ire debeatis nostri solemnes provisores ad partes et aliarum terrarum et locorum nostrorum Dalmatie. Et cum applicueritis Jadram, volumus et sic vobis mandamus, quatenus esse debeatis cum comite et capitaneo Jadra, et inter ipsos et vos examinare debeatis mature et diligenter ea, que sunt examinada ad bonum et conservationem dicte civitatis, ad comodum et utilitatem nostri dominii.

Et quia inter alias provisiones, que videntur esse utiles et proficue ad securitatem civitatis nostre Jadre, est providere, quod, si qui nobiles vel alii alterius conditionis deinde sint, qui sint suspecti, removeantur deinde, volumus, quod esse debeatis cum rectoribus nostris, et examinare conditiones illorum tam nobilium quam aliorum, qui viderentur removendi et extrahendi de Jadra, et facta bona et diligenti examinatione, damus vobis libertatem removendi et extrahendi de Jadra per vos vel quatuor vestrum in concordio illos nobiles et alios, qui viderentur vobis suspecti, et ipsos mittatis Venetias, habendo semper advertentiam, quod, quando extrahentur dicti nobiles vel alii suspecti, hoc faciatis tali tempore et per talem modum, quod sit cum securitate civitatis nostre predicte et cum honore nostri dominii. Et si pro executione predictorum videretur vobis de retinendo capitaneum pro octo dies ad longius et non plus.

Volumus etiam, quod cum dictis comite et capitaneo insimul providere debeatis ad fortificationem castri Jadre, quia intelleximus, dictum castrum non esse in illa fortitudine et defensione necessaria. Et quia, sicut omnes affirmant, securitas civitatis nostre Jadre consistit, quod gentes nostre tam equestres quam pedestres habitent in unomet loco, debeatis similiter providere et examinare de loco habili in dicta civitate, ubi gentes nostre predicte possent comode insimul habitare. Debeatis similiter videre et examinare situm et conditionem citadelle Jadre, et si videtur vobis, quod sit utile eam retinere vel destruere; et similiter debeatis videre et examinare situm et conditionem civitatis nostre predicte Jadre, et examinare illud, quod vobis videretur opportunum et necessarium ad eius securitatem et conservationem, et super predictis, habita bona et matura deliberatione, debeatis per vos omnes sive quatuor vestrum in concordio illud, quod vobis videbitur pro bono et securitate civitatis predicte, et sic per vos quinque vel quatuor vestrum deliberatum et terminatum fuerit, ita mitti debeat executioni, ac si terminatum foret per istud consilium.

Et quia, sicut scitis, de dicta civitate nostra Jadre magnas habemus expensas et modicos introitus, volumus, quod cum dictis nostris rectoribus examinare debeates, si expense nostre diminui et introitus augeri possint, non augendo aliquod datium de novo; circa hoc adhibeatis curas et spiritus vestros solicitos et attentos, ut fiant ille provisiones, que sint cum securitate, comodo et utile nostri dominii; et quicquid per vos sive quatuor vestrum deliberatum et terminatum fuerit, debeat mitti executioni, sicut superius dictum est. Et sicut dicimus de facto dictarum expensarum et introituum, ita dicimus de quibuscumque aliis, que egerent provisione et reformatione, quod omnia, que cognoscetis esse reformanda pro bono et comodo nostri dominii, debeatis per vos vel quatuor vestrum reformare et regulare, sicut vobis vel quatuor vestrum utile et necessarium videbitur; et omnia per vos vel quatuor vestrum provisa, regulata et reformata, executioni mitti debeant cum effectu, sicut superius declaratum est.

Debeatis similiter ire Pagum, et ibi videre et examinare debeatis omnes introitus et expensas dicti loci Pagi, et similiter introitus salis nostri Pagi, et quomodo tenentur computa dicti salis, quia informationem habemus, quod dicta computa tenentur per comitem Pagi solum; et ad regulandum dictum locum Pagi super facto dicti salis, in quo consistit tota utilitas nostra, debeatis providere, regulare et modum apponere, ita quod comune nostrum habeat debitum suum, et non defraudetur. Et quia sumus informati, quod in extrahendo dictum salem per mare diversa datia solvuntur, quia extrahendo per unum locum, unum datium solvitur, et extrahendo per unum alium, unum alium datium solvitur, volumus, quod circa factum dicti salis et circa omnia alia, que vobis videbuntur providenda et regulanda pro utilitate et bono nostri comunis, debeatis diligenter providere, et quicquid per vos et comitem nostrum Pagi, sive per tres vestrum in concordio terminatum fuerit, mitti debeat executioni.

Insuper quia tota utilitas introitus nostri in partibus Dalmatie consistit super facto salis, et qnia sal Sibinici, qui extrahitur per mare,

solvit de datio nostro comuni ducatos decem pro centenario modiorum, secundum concessionem per nos factam comunitati Sibinici, volumus, quod, quando eritis in Sibinico, debeatis esse cum comite nostro Sibinici et similiter cum illis nostris fidelibus deinde et cum consilio suo, si necesse fuerit, et eis exponere cum illis bonis modis, verbis et rationibus, que vestre sapientie videbuntur, quod, sicut ipsi sciunt, magnas expensas sustinuimus et habuimus, sustinemus et habemus de terris nostris Dalmatie. Et propterea ipsos tanquam fideles nostri dominii debeatis inducere et hortari, quod de sale, qui extrahitur per mare de Sibinico, solvatur illud datium, quod solvitur in Jadra et in Pago de sale, qui per mare extrahitur de dictis locis, considerato, quod nimia pars sui salis extrahitur per mare, quia quasi totus suus sal extrahitur per viam terre, ita quod hoc erit cum parvo incomodo suo. Et si poteritis dictos nostros fideles Sibinici ad hoc inducere per modos congruos et honestos, bene quidem. Quando autem nolent ad hoc condescendere, quia velent, quod observemus eis promissionem nostram, quam eis fecimus super facto dicti salis, debeatis eisdem dicere, quod intentio nostri dominii est ea, que dicte comunitati provisimus, integraliter observare, et quod de hoc non habeant dubitare. Et debeatis nostrum dominium de omnibus particulariter et distincte informare, ut possimus postea, habita vestra informatione, deliberare et terminare, sicut nobis videbitur opportunum.

In dicto enim loco Sibinici volumus, quod ultra factum dicti salis, de quo supra fit mentio, debeatis cum comite nostro insimul providere et examinare introitus et expensas dicte terre, et similiter omnia alia, que egerent reformatione et provisione, et circa illa facere illas provisiones et reformationes, que vobis videbuntur utiles et fructuose pro bono et utile nostri comunis et civitatis predicte; et quicquid per vos quatuor vel tres vestrum in concordio terminatum fuerint, debeat observari et mitti executioni.

Et similiter debeatis examinare turres nostras Sibinici, et omnia, que erunt necessaria tam ad fortificationem quam ad defensionem earum, et facere illas provisiones, que vobis videbuntur utiles et necessarie, prout superius continetur.

Volentes similiter providere super facto civitatis nostre None, si eam retinere debemus, consideratis expensis, quas de illa habemus, volumus, quod insimul cum comite nostro Jadre vel capitaneo, quia volumus, quod unus eorum remaneat in Jadra, ire debeatis Nonam, et examinare diligenter conditionem dicte civitatis nostre None, et si videtur vobis pro comodo et securitate civitatis nostre Jadre dictam civitatem tenere debeamus, examinare debeatis, cum quanta expensa custodiri posset, et que reparationes fieri possent ad conservationem eius, et expensam, que intraret in istis reparationibus fiendis, et similiter cum quanta expensa cavaretur portus ille. Et quia aer est male sanus, et intellexerimus, quod si daretur flumini alia via ita, quod non intraret foveas dicte civitatis, dicta civitas efficeretur sana, debeatis similiter examinare, si hoc fieri posset, et si daretur alia via flumini predicto, si dicta civitas esset sana, et cum quanta expensa hoc fieri posset, et in quanto tempore hoc fieret, cum sumus informati, quod daretur alia via flumini predicto cum

expensa ducatorum IIII. centum. Et de omnibus predictis debeatis nos distincte et particulariter informare. Similiter examinare debeatis, si dicta civitas in minori circuitu reduci posset, et si reduceretur in minori circuitu, cum quanta expensa custodiretur, conferendo in predictis cum illis personis, que vobis videbuntur. Si vero videretur vobis de faciendo suprascriptas provisiones vel alias, debeatis similiter nobis scribere dictas provisiones et causas, que vos ad hoc moverent, et de omnibus nos debeatis informare, et dictam informationem nobis mittere, ut illa habita possimus deliberare et vobis mandare, sicut nobis videbitur opportunum.

Et sicut dicimus de dictis locis nostris Jadre, Sibinici et Pagi, ita dicimus de omnibus terris et locis nostris Dalmatie, ad que ire debeatis, et ad comodum et bonum nostri comunis et ad securitatem et conservationem dictarum terrarum et locorum facere debeatis illas provisiones, que vobis videbuntur utiles et necessarie; et quid per vos et rectorem dicti loci, ad quem ibitis, sive tres vestrum terminabitur, habeat locum, et observari debeat, sicut superius continetur.

Et quia sumus informati per quemdam fidelem servitorem nostri dominii, quod in Jadra sunt duo Spalatenses, qui missi fuerunt ambassiatores per Spalatenses ad regem Hungarie, sed dicunt non posse reverti Spalatum, quia prevaricaverunt commissionem suam, quorum unus vocatur Calimbina filius Novarci, alter Johanes filius Marci Pactina, qui continue sunt cum certis iunioribus nobilibus Jadre, et specialiter in domo cuiusdam Johannis filii quondam domini Johannis militis de Grisovanis, et ibi multas confabulationes faciunt, quod redundare posset ad damnum nostri dominii, propterea vobis mandamus, quatenus cum eritis Jadre, debeatis vos subito informare tam a rectoribus nostris quam ab aliis de conditionibus dictorum duorum Spalatensium, et si invenietis eos suspectos, debeatis ipsos mittere Venetias sub fida custodia, ut ipsos hic Venetiis examinare possimus, et providere, sicut fuerit opportunum. Si vero videretur vobis de non mittendo ipsos Venetias, subito et omnino licentiare de Jadra ipsos debeatis, et eis mandare, quod non audeant in Jadra nec in aliis terris et locis Jadre stare nec habitare.

Si vero in regulando et providendo terras et loca nostra Dalmatie super his, que vobis commissa sunt, non essetis concordes per numerum vestrum, sicut superius continetur, videlicet in Jadra per quatuor vestrum computatis comite et capitaneo, et in aliis locis per tres vestrum computato rectore loci, ubi eritis, volumus, quod differentias, in quibus essetis, et opiniones vestras super talibus differentiis debeatis nostro dominio denotare, ut super ipsis terminare possimus, sicut nobis videbitur opportunum.

Insuper quia fuit nobis presentatus punctus cuiusdam litere, per quem apparet, quod aliqui de Jadra tractant contra nostrum dominium, fecimus vobis dari copiam dicte litere, ut illam examinare possitis, et cum eritis in Jadra, possitis facere illas provisiones, que vobis videbuntur utiles et necessarie.

Ita volumus et sic vobis committimus, quod examinare debeatis tam in Jadra quam in omnibus aliis locis Dalmatie omnes expensas et introitus nostri comunis, et si invenietis tam in Jadra quam in aliis

locis nostris factas fuisse aliquas expensas contra id, quod facere debuissent, damus vobis illam libertatem, quam habent offitiales nostri rationum in condemnando et sententiando, prout facere possent offitiales nostri rationum; reservato semper officio nostrorum advocatorum comunis in omnibus, que suo offitio spectarent.

Volumus insuper, quod si nobilis vir ser Egidius Mauroceno exivisset regimen suum, et similiter si capitaneus noster culphy ibi esset, debeatis super vobis commissis et tractandis in Jadra dictos ser Egidium et Petrum Civrano audire, et eos vobiscum habere et audire opiniones suas. Sed terminatio facienda spectare debeat et fieri per vos provisores et comitem et capitaneum Jadre, qui erunt in regimine, sicut in aliis capitulis continetur.

Et si pro his, que terminare habebitis, erunt vobis necessarie due galee nostre Crete, que sunt in partibus Sibinici, debeatis scribere patronis, quod ad partes Jadre se conferant, nam dictis patronis dedimus in mandatis, quod debeant omnibus vestris et rectorum nostrorum Jadre mandatis obedire. De parte 114, de non 0, non sinceri 6.

Secreta consilii rogatorum V, u mlet. arkivu.

God. 1414. 26. lipnja, u Triniju.

Sigmund piše Dubrovčanom, da je već pisao stanovnikom otoka Korčule, Hvara i Brača, neka se njihovoj občini podlože, a dalm.-hrv. banu, neka jim u tom nesmeta.

Commissio propria domini regis. Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungarie etc. rex. Fideles nobis grate et sincere dilecti. Quod divina largiente clementia corporali sanitate perfruimur, et iam assumpto itinere tramite directo versus Almanie partes progredimur, ibique multitudine fidelium nostrarum gencium, quibus plurimorum nostrorum et sacri imperii rebellium superba cornua deo auxiliante poterimus in manu potenti conterere, congregata de eisdem Almanie partibus rursus in presentes partes redire intendimus, vestre fidelitati duximus intimandum. De factis vero insularum nostrarum Corchule, Lesne et Brachia appellatarum, racione quarum fideles nostros dilectos nobiles Andream de Vlcio et Nicolaum de Gose vestros concives et ambassiatores speciales ad nostre maiestatis presentiam transmisistis, quorum quidem ambasiata prudenter exposita et per nos audita, ipsos ad nostre celsitudinis reverenciam et honorem apud nos retinentes, eosdem de nostre mentis intencione vobis reseranda informavimus sufficienter, quibus in dicendis fidem per vos adhiberi volumus creditivam; volentes, ut easdem insulas cum omnibus et singulis earum pertinentiis, utilitatibus, fructibus, proventibus et redditibus apud manus vestras tamdiu, quousque aliud de eisdem duxerimus disponendum, et a nobis aliud habueritis in mandatis, conservare debeatis. Scripsimus eciam per alias nostras litteras magnifico Johanni regnorum nostrorum Dalmacie et Croacie bano, ut ipse vos et vestros officiales in dictis insulis constitutos in conservatione earundem insularum ac eciam ipsos insulanos in nullo presumat impedire, aut

ovis modo se intromittere de eisdem. Ceterum predictarum insularum strarum insulanis scripsimus, ut ipsi vobis et vestris officialibus in emissis insulis constitutis de omnibus et singulis fructibus, proventibus redditibus ex parte eorum maiestati nostre provenire solitis respon-re ac eosdem persolvere debeant pleno cum effectu. Datum in Trino festo beatorum Johanni et Pauli Mart. regnorum nostrorum anno ngarie etc. XXVIII, Romanorum vero quarto.

A tergo. Nobilibus et prudentibus rectori, consilio et communitati stre civitatis Ragusii fidelibus nostris grate et sincere dilectis.

Recepte die XXII augusti 1414.

Izvornik u dvor. bečkom arkivu sa pečatom.

God. 1414. 26. lipnja, u Triniju.

gmund zapovieda dalm.-hrv. banu, da nesmeta Dubrovčane u posjedu onih trijuh otoka.

Commissio propria domini regis. Sigismundus dei gracia Romano-m rex semper augustus ac Hungarie, Dalmacie Croacie etc. rex. Fi-li nostro magnifico Johanni de Medwe regnorum nostrorum Dalmacie, roacie predictorum bano salutem et graciam. Cum nos vigore aliarum terarum nostrarum insulas nostra Carchula, Lesne et Brachia vocatas r fideles nostros communitatem nostre civitatis Ragusiensis de spe-ali nostro mandato occupatas, simul cum universis pertinenciis et uti-tatibus, nec non redditibus, proventibus et obvencionibus earundem ibuscunque, de earum medio nostre maiestati provenire consuetis apud anus eorumdem nostrorum fidelium Ragusiensium duxerimus relin-endas tamdiu, quousque aliud superinde una cum fidelibus prelatis baronibus dicti regni nostri Hungarie decreverimus deliberandum; ripserimusque dictarum insularum habitatoribus universis inter alia, ut edictos Ragusienses in conservacione predictarum insularum fructu-nque et reddituum ac obventionum predictorum percepcione usque mpus prefixum nullatenus debetis nec possitis impedire, aut vos de sdem insulis ac proventibus et redditibus modo quolibet intromittere. itur fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus usque mpus prenotatum predictos nostros fideles dilectos Ragusienses vel rum officiales in conservacione et gubernacione dictarum insularum uctuumque et reddituum ac obvencionum predictarum perceptione im-edire, molestare et quovis modo aggravare aut vos seu vestros de sdem insulis et pertinentiis nec non proventibus et redditibus earundem quatenus intromittere et involvere non presumatis, sed easdem in-las simul cum predictis suis pertinentiis et utilitatibus apud manus rundem nostrorum fidelium Ragusiensium pacifice permanere permit-tis; secus nequaquam facere ausuri de premissis gracie nostre sub tentu; presentes etiam post earum lecturam in exhibentis manibus lumus remanere. Datum Trinii vicesima sexta die mensis iunii, anno mini MCCCCXIIII, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXVIII, omanorum vero quarto.

Izvornik u bečkom dvorsk. arkivu sa pečatom.

God. 1414. 12. srpnja, u Mletcih.

Odbijaju se njeki zahtjevi Nikole senjskoga kneza.

Capta die 12. iulii 1414. Quod ambassiatori magnifici domini Nicolai comitis Segne, qui ex parte dicti domini sui exposuit, quod quando habuimus terram et castrum Arbi multe munitiones erant intus, que erant dicti domini sui, et petit solutionem rerum predictarum, respondeatur: quod quia dictus dominus suus similem requisitionem fieri fecit nostro dominio, voluimus informari, que munitiones et res erant in castro Arbi, quando illud habuimus, et secundum veram informationem nobis datam non fuerunt repperte in dicto castro munitiones alique exceptis tribus vel quatuor ballistis fractis, ex quo dominus suus non habet causam faciendi similem requisitionem nostro dominio.

Super facto autem requisitionis, quam dictus ambassiator fecit, quod cum dictus dominus suus habere debeat ab aliquibus civibus nostris Arbi certam quantitatem denariorum, et similiter ab archidiacono Arbi, quos dictis civibus et archidiacono mutuavit, vellimus committere rectoribus nostris Jadre vel aliis nostris officialibus, quod contra dictos sibi fiat iuris debitum complementum, respondeatur, quod sicut scit sua magnificentia prefata, sua magnificentia tenetur nostro dominio in ducatis sexcentis, qui accepti fuerunt mercatoribus nostris. Similiter promisit nostro dominio satisfacere damnum per ipsum illatum sub castro nostro Raspurch. Similiter Franciscus Bicharano civis noster habere debet unam marcham et dimidiam auri, quod sibi mittebat ser Petrus Bicharano pater suus de partibus Carcovie et per magnificentiam suam sive per suos officiales ie partibus Segne fuit acceptum. Et propterea quotiescumque satisfaciet nobis et civibus ac subditis nostris, mandabimus rectori nostro Arbi vel rectoribus Jadre, ut sibi faciant contra dictos debitores iuris et iustitie cum expeditione debitum complementum, sicut alias diximus domino episcopo Vigiliensi ambassiatori suo. De parte 98, de non 0, non sinceri 1.

Secreta cons. rogat. VI. 3, u mlet. arkivu.

God. 1414. 21. srpnja, u Neresišću.

Obćina Bračka podieljuje njeka prava.

In tempore domini Joanis de Gotiis de Ragusio, honorandus insule Brachie vicarius cum Michaeli Cranci, Giorgio Tomasi suis iudicibus aliisque nobilibus triginti quinque congregatis in aula palacii Nerezi ad sonum campane ad tractandum varis negotiis, audita atente humilis petitio domini egregi Mixa de Petrullo nobilis Brachie ac Spalati et nobilis Michael de Baloe, sua merita exposuerunt, facta insule ac antecessorum eorum; considerantes ista nemine discrepante eorum ac successoribus conceditur unanimiter pro amicitie ac gratificationis titulo speciali gratia antedictis, ut animalia eorum in lacubus ac fontibus insule possint libere tam grossa quam minuta biberare, laudantes, aprobantes istis suis fidelibus privilegia anteriora concessa pacifice fruantur; ad futuram memoriam sigillo autentico presentes sint roborate. Datum ante ecclesiam

sancte Marie Neresi per magnificum Nicolaum Gen . . . . auctoritate imperiali notarius hodie magnifice comunitatis Brachie presentia honorandi vicari et consilii sub ano 1414, indictione prima, die 21 mensis iulii. L. S. C.

Ego Giorgius patavinus publicus auctoritate imperiali notarius, presens cancelarius spectabilis regiminis Brachie millesimo quadragentesimo septuagesimo secundo extraxi manu propria istrumenta ac privilegia suprascripta ex membranis autenticis in publica forma redactis, fideliter transcripsi, signo sancti Marci roboravi.

Iz starog rukopisa u kući Nisetića na Braču.

God. 1414. 24. srpnja, u Mletcih.

Poslaniku carigradskomu odgovaraju Mletčani, da su spremni sklopiti mir s ugar.-hrvatskim kraljem uz poštene uvjete; da će mu pomagati proti Turkom, ako se toga i drugi vladari prihvate itd.

Capta 1414 die 24 iulii. Quod respondeatur ambassiatori serenissimi domini imperatoris Constantinopolis ad ea, que nobis exposuit.

Et primo ad id, quod nostro dominio exposuit, quod ex parte serenissimi domini imperatoris Constantinopolis multum hortatus fuit dominum regem Romanorum et Hungarie ad pacem nobiscum faciendam, quem invenit optime dispositum, dicentem, quod ex parte sua non deficiet de veniendo ad pacem cum nostro dominio. Et similiter ex parte dicti imperatoris Constantinopolis hortatur nostrum dominium, quod pro bono totius christianitatis velimus cum dicto rege habere pacem et tranquilitatem etc.

Respondeatur, quod mores nostrorum progenitorum semper fuerunt volendi cum quibuscumque pacifice vivere, et nos eorum vestigia sequentes, illud idem desideravimus et desideramus, et semper inveniemus prompti ad pacem habendam cum dicto domino rege Romanorum et Hungarie, quando illam habere poterimus rationabilem et honestam; et si pax sequi non poterit ex parte nostra, observabimus, pro ut fecimus, et observare intendimus cum effectu treuguas existentes inter dictum dominum regem Romanorum et Hungarie et nostrum dominium, sicut semper soliti simus facere, et observare promittimus.

Super secundo, per quod petit subsidium nostrum occasione Turchorum etc. sicut alias requisivit, respondeatur, quod sicut sua imperialis maiestas plene novit semper nostrum dominium fuit promptum in dando subventionem nostram pro bono et conservatione sui imperii et partium deinde. Et perseverantes in optima dispositione nostra quotiescumque videbimus alios principes et dominos mundi dispositos ad dandum subsidium pro defensione et conservatione sui imperii et partium deinde, nos similiter repperiemur pronti et parati ad faciendum ex parte nostra ea, que erunt iusta et rationabilia.

Super tercio autem, per quod ex parte dicti domini sui imperatoris requirit bona, que fuerunt quondam domini Johannis Lascari etc., respondeatur, quod, sicut alias dicto domino imperatori responderi fecimus per oratores suos, qui similem requisitionem fecerunt nostro dominio,

bona, que requirit, non erant ipsius domini Johannis Lascari, qui, sicut patet, erat civis noster, ymo fuerunt Henrardi Lascari filii sui, similiter civis nostri, cui ipse dominus Johannes de ipsis bonis donationem fecit ut patet per publicum instrumentum donationis, et tamquam bona dicti Henrardi civis nostri intromissa fuerunt per nostros officiales. Et facte sunt terminationes ac alii actus iudiciarii pro ut eis apparuit secundum leges et ordines nostros. Et quod si aliquis pretendebat habere ius in bonis predictis, poterat comparere coram nostris advocatoribus, qui ministrarent eis complementum iustitie; propter quod aliqui pretendentes habere ius super, comparuerunt coram nostris advocatoribus, qui nostri advocatores declaraverunt eis, qualiter processerunt facta predicta. Set nihilominus si vult potest dictus ambastiator comparere coram nostris advocatoribus, quibus hec negotia comissa fuerunt, qui eundem similiter clare informabunt, qualiter processerunt facta predicta.

Super quarto, per quod petit, quod quia multi expediuntur pro Venetis qui non sunt Veneti, et similiter quod mercatores nostri Veneti multas mercationes faciunt expedire pro suis, que sunt aliarum personarum, quod redundat in damnum comerclorum suorum, et quod velimus ad hoc providere; respondeatur, quod si per baiulum nostrum Constantinopolis aliqui expediuntur pro Venetis, credimus, quod dictus baiulus faciat recte offitium suum, et si aliter faceret, quod expediret pro Venetis illos, qui non essent Veneti, hoc nobis displiceret. Et similiter displiceret nostro dominio, quod mercatores nostri tanxarent havere aliorum pro suo, propter quod dabimus in mandatis baiulo nostro ituro ad dictas partes, quod cum nostris mercatoribus debeat providere taliter super hoc, quod illi, qui non sunt Veneti, non tractentur pro Venetis, et quod mercatores nostri non taxent havere aliorum cum damno comerclariorum dicti imperatoris.

Super quinto, per quod petit, quod cum per patronos gelearum et aliorum nostrorum navigiorum fiant cum mercatoribus suis certa pacta et conventiones, que sunt contra formam treuguarum, velimus ad hoc providere et ordinare, quod serventur treugue inter partes existentes etc.; respondeatur, quod intentio nostri domini est de observando et observari faciendo per nostros formam et continentiam treuguarum. Et ob hoc ordinabimus capitaneis et patronis galearum nostrarum Romanie et aliorum navigiorum nostrorum, quod cum suis mercatoribus observent treuguas predictas. Et ita rogamus dictum serenissimum dominum imperatorem dominum suum, quod sibi placeat dictas treuguas observare et per suos observari facere, ita quod baiulus et mercatores nostri in Constantinopoli et in imperio suo existentes habeantur et tractentur secundum continentiam treuguarum predictarum.

Super sexto, per quod petit, quod mercatores sui in locis nostris et in Candida tractentur pro ut continent treugue, respondeatur, quod intentio nostra est observare dictas treuguas. Et propterea mandabimus rectoribus nostris insule Crete, quod mercatores suos tractare debeant secundum continentiam treuguarum inter partes existentium. Et versa vice rogamus dictum dominum imperatorem, quod erga mercatores nostros faciat per suos dictas treuguas observari.

Super septimo per quod requirit, quod cum suus patriarcha intendat mittere ad partes Crete muncium suum pro examinando presbiteros suos, quod dictus nuncius suus permittatur ire et stare in Candida etc.; respondeatur, quod sicut dictus patriarcha scire potest, in insula nostra Crete sunt multi presbiteri greci, qui habent superiores suos, qui bene sciunt ipsos examinare et facere, que sunt necessaria, et propterea non expedit, quod dictus patriarcha aliquem mittat.

Super octavo, per quod petit, quod cum in camera nostra Nigropontis sint aliqua paramenta ab altari et a presbitero, que spectant episcopo de Chisico, placeat nobis mandare, quod restituantur dicto episcopo etc.; respondeatur, quod ignoramus, si dicta paramenta sunt in camera nostra Nigropontis, et propterea dictus episcopus potest ire vel mittere Nigropontem, quia ordinabimus regimini Nigropontis, quod sibi ministret in facto dictorum paramentorum iuris et iustitie debitum complementum. De parte 68, de non 11, non sinceri 4.

Secreta cons. rogat VI. p. 4, u mlet. arkivu.

God. 1414. 30. srpnja, u Mletcih.

Mletčani pripravni odaslati svoje poslanike u Feraru, da s poslanici Sigmunda ugovore mir.

1414. die 30. iulii. Capta. Cum magnificus Ugutio de Contrariis miserit nuper ad presentiam nostram unum ex cancellariis magnifici domini marchionis, per quem notificavit nostro dominio redditum domini archiepiscopi Ravene, quem miserat ad presentiam serenissimi domini regis Romanorum, qui archiepiscopus retulit, dictum dominum regem esse contentum mittere suos ambassiatores Ferrariam pro tractatu pacis inter suam serenitatem et nostrum dominium, quos suos ambassiatores primo mittet Tridentum, et ibi expectabunt nostrum salvumconductum etc.; vadit pars, quod respendeatur dicto ambassiatori in hac forma:

Quod audivimus ea, que nobis prudentissime exposuit de redditu domini archiepiscopi Ravene a presentia serenissimi domini regis Romanorum, et intelleximus omnia secuta per dictum dominum archiepiscopum cum dicto domino rege, qui rex est contentus mittere suos ambassiatores Ferrariam pro tractatu pacis tractande inter suam serenitatem et nostrom dominum, quos primo mittet Tridentum, ubi expectabunt nostrum salvum conductum, et dicimur, quod certi reddimur, quod magnificus Ugutio omnia, que facit, ipse facit pro statu magnifici filii nostri domini marchionis. Et licet salvus conductus, quem requirit pro ambassiatoribus regis, non sit necessarius, cum possint secure ad terras et loca nostra venire, sumus contenti dictum salvum conductum facere et sibi dare et consignare, ut illum mittere possit dictis ambassiatoribus ad partes Tridenti secundum requisitionem suam.

Ad requisitionem autem, quam idem magnificus Ugutio facit, ut mittamus nostros ambassiatores similiter Ferrariam pro tractatu dicte pacis cum mandato ad plenum, respondeatur, quod sumus parati dictos nostros ambassiatores mittere Ferrariam pro dicto tractatu pacis. Et quotiescumque sciverimus, ambassiatores regis applicuisse Tridentum, et

esse in via pro veniendo versus Ferrariam, providebimus mittere nostros; ita quod quando ambassiatores regii Ferrarie erunt, nostri similiter ibi erunt. Et quia sicut dictus magnificus Ugutio scit, nos scimus in liga cum illustre domino duce Mediolani, et ea, que tractanda sunt super facto dicte pacis, tangunt etiam suam excellentiam, deliberavimus hec omnia sue excellentie facere nota, ut dictus dominus dux Mediolani possit ad ea, que sua interest, providere. De parte 96, de non 3, non sinceri 2.

Secreta cons. rogat. VI. p. 5, u mlet. arkivu.

God. 1414. 7. kolovoza, u Mletcih.

Mletčani pristaju na njeke molbe Šibenčana, te primaju upravu občinskoga imetka.

1414 die 7 augusti. Capta. Sapientes consilii et ordinum. Cum provisores nostri ad parte Dalmacie scripserunt nostro Dominio fuisse in Sibenico et fecisse illas provisiones, que eis apparuerunt utiles et necessarie; et per cives Sibenici eisdem provisoribus fuerit porrecta certa capitula, que capitula dicti nostri provisores acceptaverunt et ratificaverunt, et requirunt, ut dicta capitula per literas nostras cum bulla nostra approbemus et ratificemus; vadit pars, quod respondeatur dictis provisoribus, quod recepimus literas suas cum inclusis capitulis porrectis per cives Sibinici et per eos ratificatis, per quas requirunt, ut dicta capitula ratificemus et approbemus per literas nostras nostra bulla bullatas. Quod examinavimus capitula predicta, que nobis placent, et secundum requisitionem suam sumus contenti dicta capitula approbare et ratificare per patentes literas nostras. Et ex nunc sit captum, quod per literas nostras nostra bulla bullatas, dicta capitula ratificentur et approbentur, que litere mittantur ad manus nostrorum provisorum predictorum, ut illas possint comunitati nostre Sibenici dare et presentare. De parte 79, non 3, non sinceri 2.

Infrascripta sunt capitula porrecta per Sibenicenses, videlicet. In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem MCCCCXIIII, indictione VII, die XVI. mensis. iulii. Tempore serenissimi principis et excellentissimi domini domini Thome Mocenigo dei gratia incliti ducis Venetiarum etc. Tempore equidem reverendi in christo patris domini Bogdani dei et apostolice sedis gratia episcopi Sibinicensis, ac non nobilis et spectabilis viri domini Anthonii a Bocolis comitis civitatis Sibinici, nobiliumque virorum domini Johannis Misich militis, ser Marci Schiulccht, ser Mladini Radoy et ser Gregorii Tavilich rectorum dicte civitatis. Actum Sibinici in sala magna palacii residentie prefati domini comitis, presentibus domino Johanne Misich examinatore, ser Slavogna Braisich et ser Lucha Butrisich, testibus ad infrascripta vocatis et rogatis. Cum vigore cuiusdam partis capte in consilio generali virorum nobilium civitatis Sibinici de presentibus indictione, millesimo, die XIII instantis mensis iulii pro parte comunitatis Sibinici exhibita et porrecta fuissent certa capitula et pacta capta et balotata in dicto generali consilio in predictis millesimo, indictione et die spectabili domino Anthonio comiti predicto et spectabilibus viris dominis Vitali Miani, Laurentio Capello

et Petro Lauredano honorabilibus provisoribus missis per serenissimum ducale dominium Venetiarum, et ipsi dominus comes et provisores predictis capitulis responsiones dederunt, prout suis spectabilitatibus visum fuit, et prout ad unumquodque dictorum capitulorum plenius continetur et evidenter apparet. Cumque per partem captam in dicto generali consilio de presentibus millesimo et indictione, die XV. mensis iulii electi, creati et ordinati fuerunt quatuor sindici et procuratores dicte comunitatis Sibinici, qui sindicario nomine dicte comunitatis eiusdem videre et examinare deberent et possent responsiones factas capitulis antedictis, et eas dicto sindicario nomine acceptare et approbare vel recusare, et cum ipsis dominis provisoribus super dictis responsionibus concludere, prout eis melius videretur, prout in sindicatu per idem constitutum facto evidenter apparet. Quorum capitulorum et eorum responsionum tenor sequitur, et est talis:

Ad laudem et gloriam omnipotentis dei eiusque sanctissime matris Marie semper virginis ac beatorum Marci evangeliste et Michaelis archangeli totiusque celestis curie. Ad augmentum et triumphum status serenissimi ducalis dominii Venetiarum et ad pacem perpetuam et quietem comunis et civium civitatis Sibinici, infrascripta sunt capitula et pacta porigenda pro parte comunitatis Sibinici egregiis et spectabilibus dominis dominis Vitali Miani, Laurentio Capello et Petro Lauredano, honorabilibus provisoribus missis per serenissimum ducale dominium nostrum Venetiarum ad partes Dalmatie, balotata et capta in generali consiglio dicte civitatis pro bono et pacifico statu civitatis eiusdem, ut infra, videlicet:

Primo, quod pro parte dicte comunitatis Sibinici supplicetur prefatis dominis provisoribus, quod ex auctoritate et bailia eisdem data et concessa per prefatum serenissimum ducale dominium dignentur confirmare, approbare et ratificare id, quod est captum in generali consilio civitatis antedicte, quod pro tollendo et quietando murmura et rancores, que erant in civitate ista occasione bonorum rebellium comunis et cedularum indebite factarum, sit in libertate solius domini comitis distribuere predicta bona rebellium et disponere de dictis cedulis, prout ei melius videbitur pro bono et tranquillo statu dicte civitatis. Et in casu quo ipse dominus comes nollet tale onus acceptare, quod ipsi domini provisores ex auctoritate predicta dignentur ipsum dominum comitem astringere et ei mandare, quod tantum bonum exequi non reccuset, quia nullo modo dicta bona ad finem deduci possunt sine murmure et scandalo, nisi per manus ipsius domini comitis. — Ad hoc primum capitulum respendent concorditer viri spectabiles et egregii dominus Vitalis Miani, dominus Laurentius Capello et dominus Petrus Lauredano provisores honorabiles antelati, quod viso et intellecto dicto capitulo auditaque continentia partis capte in generali consilio civitatis Sibinici in MCCCCXIIII. die VI. marcii super contentis in dicto capitulo committendis prefato domino comiti, cognitoque et manifeste intellecto, quod illi quinque nobiles, quibus hec dispensatio et distributio bonorum et executio dictarum cedularum commissa fuerat, sponte renuntiarunt hoc officium in generali consilio in manibus prefati domini comitis, visisque partibus superinde captis in suis consiliis, habito etiam colloquio cum

civibus dicte civitatis, visisque consideratis et mature discussis omnibus opportunis, attendentes, quod predicta comunitas Sibinici hoc cum omni instantia petit pro pacifico statu et quiete eorum, et ne disturbia et scandala suscitent in posterum, determinant concorditer et concludunt, quod predictus dominus comes et successores sui debeant facere et observare, prout et sicut punctualiter et ad literam in suprascripto capitulo continetur, et prout in partibus superinde captis evidenter apparet, non obstante privilegio ducali predicte comunitati concesso mentionem agentem de predictis bonis per predictos quinque deputatos dispensandis, non obstante, quod literis ducalibus scriptis prefato domino comiti aliter disponentibus, spectabilis et egregius vir dominus Anthonius a Bocholis honorabilis comes Sibinici, attendens litteras ducales per serenissimum ducale dominium sibi scriptas, aliisque respectibus habitis, non fuit in opinione cum predictis dominis honestatis gratia.

Item quod prefati domini provisores dignentur providere et adhibere remedium, quod districtus Sibinici dimittatur in pacem et quietem, et quod cives ipsius civitatis ac eius districtuales gaudere possint eorum possessionibus et bonis absque perturbatione comitis Johannis et aliorum emulorum, sicuti gaudent et alii subditi Dalmatini prefate dominationis. Et in casu quo ipsi cives molestarentur a predicto comite Johanne vel aliis emulis, quod dicti cives Sibenicenses habeant libertatem se defendendi et offendendi eos offendentes, et quod in tali offensione et defensione Jadra cum Sibenico et Sibenicum cum Jadra sint unum corpus, videlicet quod unus locus succurrat alteri et alter alteri, cum fuerit necesse, et exigetur, precipiendo dictis rectoribus Jadre, ut in casu opportuno subveniant isti civitati de gentibus armigeris ibidem existentibus. — Ad hoc secundum capitulum respendeatur, quod, visis literis ducalibus scriptis domino Anthonio a Bocolis comiti Sibinici cum consilio rogatorum et additionis in MCCCCXIIII. die XXI. mensis aprilis mentionem agentibus, quod, si comes Johannes molestaret territorium Sibinici, idem dominus comes Sibinici deberet sibi protestari, et si exinde non cessaret, deberet ipsum comitem Johannem dannificare etc.; unde determinant domini provisores concorditer, quod dictus dominus Anthonius a Bocolis, si dannificabitur territorium Sibenici per comitem Johannem sive alios castellanos et dominos, debeat et possit dictus dominus comes attendere ad defensionem territorii sibi commissi et ad offensionem offendentium territorium Sibinici, habendo semper advertentiam ad secunitatem civitatis Sibinici et subditorum ipsius. Ad subsidium vero requisitum respondeatur, quod dicti domini provisores taliter operabuntur et providebunt, quod Jadra et Sibinicum erunt unita, et temporibus opportunis ac secundum exigentiam dicte civitatis Sibinici dabitur per dictos rectores Jadre subsidium et auxilium gentium pro tutela et deffensione territorii sui.

Item cum hoc sit, quod comes Johannes fundaverit quoddam fortilicium in districtu Sibinici contra pacta alias habita per comitem Neliptud, avum ipsius comitis Johannis, cum prefata dominatione Venetiarum, et noviter tempore treugue Miccius servitor ipsius comitis Johannis impetraverit a domino rege Hungarie certas villas districtus Sibinici circumstantes dictum fortilicium, quod dignetur providere per illum modum,

qui eis videbitur, quod cives Sibinici gaudere possint districtu predicto et villis suis. — Ad hoc tercium respondetur, quod attenta forma treuguarum vigente inter serenissimum dominum regem Hungarie et illustrissimum ducale dominium Venetiarum, in qua fit specialis mentio, quod per neutram partium aliquod debeat innovari etc. pro non infringendo dictam treuguam, non est pro presenti super hoc aliquid faciendum, sed suis loco et tempore providebitur, prout visum fuerit expedire pro bono et utilitate dicte comunitatis Sibinici.

Item quod dignentur providere de faciendo fortificare civitatem Scardone a parte terre, ut ipsi cives Sibinici possint per illam viam habilius defendere districtum Sibinici, et sua bona usufructuare. — Ad hoc quartum capitulum respondeatur, quod attenta conditione presentis temporis non est pro nunc aliquid superinde faciendum, sed pro futuro tempore providebitur cum honore serenissimi ducalis dominii et comodo dicte civitatis Sibinici.

Item considerantes, quod principalis causa, que inducebat scandalum in civitate ista Sibinici, erat administratio bonorum comunis Sibinicensis, et quia murmurabatur, quod regentes dictum comune usurpabant bona ipsius comunis, et ut tales discordie amodo resecentur quod supplicatur prefatis dominis provisoribus, ut nomine comunis Venetiarum accipere velint prefatum comune Sibinici et introitus ipsius comunis in comune Venetiarum, et quod prefatum dominium debeat regere et gubernare ipsos introitus, prout sue serenitati videbitur, solvendo tamen de predictis introitibus infrascriptos salariatos comunis predicti, videlicet domino comiti Sibinici ducatos VII centum in anno, medico phisico ducatos II centum et domum, medico ciroico duc. centum et domum, duobus cancellariis duc. centum et L. et domos, magistro scolarum ducatos LXXX et domum, pro salario rectorum in anno libras III centum et XX, pro salario iudicum civilium causarum libras CLXXX in anno, pro salario iudicum camporum libras XXXVI in anno, pro salario admirati libras LXXXXVI in anno, pro salario procuratorum libras L in anno, pro salario prothomagistri marangonum libras XXV in anno, pro salario duorum capitum de nocte libras CXX in anno, pro salario trium plazariorum et sex famulorum comunis libras V centum XL in anno. Item si non poterit haberi spiciarius sine salario, quod detur uni spiciario salarium competens. — Ad quintum capitulum respendeatur, quod isti domini provisores sunt contenti, volunt et eis placet pro sedandis discordiis, differentiis et rancoribus, qui per elapsum viguerunt inter predictos cives, acceptare introitus comunis Sibinici ac comune Sibenicense in comune Venetiarum, et sic ex nunc acceptant, uti et sicut in capitulo continetur, cum onere solvendi expensas in ipso capitulo quinto contentas de introitibus Sibinici, que exigebantur per comune Sibinici.

Item quod unicuique habere debenti legitime a comune Sibinici pro debitis antiquis sive novis solvi debeat de predictis bonis comunis, et similiter quilibet debitor comunis sive pro tempore preterito sive pro presenti solvere debeat, quod tenetur. — Ad sextum capitulum respondetur, quod predicti domini provisores sunt contenti, quod habere debentibus pro debitis antiquis sive novis solvatur de bonis rebellium, sicut alias fuit terminatum per generale eorum consilium, et prout patet

per partem captam in dicto suo consilio in millesimo CCCCXIIII. die XXII. mensis maii. Et tamen quod comune Venetiarum non teneatur ad aliquam solutionem dictorum debitorum, non intelligendo tamen in hoc salarium domini comitis Sibenicensis nec aliorum salariatorum dicti comunis.

Item quod pascua posita in districtu Sibinici, que legitime mostrabuntur esse specialium personarum, remanere debeant illis personis, quarum sunt, non obstante, quod per tempora preterita fuerint affictata per comune Sibenicense. — Ad istud respondeatur, quod videtur nobis et sic placet, quod dicta pascua remaneant in comune, sicut iam longo tempore fuerunt. Verum si ville dicte civitatis habitabuntur tempore in futurum, quod rustici dictorum civium possint mittere ad dicta pascua eorum animalia, prout eis placebit, intelligendo videlicet pascua, que fuerunt in comune, a die quo dominium Venetiarum adeptum fuit civitatem Sibinici retro.

Item quod si foret neccesse mittere aliquam ambassiatam, quod mitti possit expensis dicti comunis. — Ad istud octavum respondeatur, quod sumus contenti, quod fiat, uti jacet.

Item quod omnes incantus comunis venditi usque nunc remaneant illis, quibus venditi sunt, cum illis pactis et condictionibus, cum quibus ipsos emerunt. — Respondeatur, quod placet nobis, prout jacet.

Item quod si casus accideret, quod deus avertat, quod prefatum ducale dominium faceret aliqua pacta vel conventiones cum aliquo dominio vel comunitate de relaxando illam comunitatem a suo regimine et protectione, quod dictum ducale dominium tunc et eo casu debeat dictos cives Sibenicenses prius restituere in pristinum statum et libertatem, redendo eis dictum comune, ut nunc habent. — Ad istud decimum respondeatur, quod sumus contenti, quod fiat et observetur secundum formam et continentiam privilegii ducalis concessi dicte comunitati superinde mentionem agentis.

Item quod Martinus cancellarius noster confirmetur per tantum tempus, quantum placebit dicte comunitati, cum salario ducatorum nonagintaocto in anno, qui sunt ei taxati ex illis ducatis CL concessis pro duobus cancellariis; respondetur, quod est conveniens et honestum, et sic nobis placet.

Item quod sal Sibenicense, quod extrahetur per mare, sit ad illam conditionem in facto tratte, ad quam erit sal aliorum locorum Dalmatie subditorum prefate nostre dominiationi, cum pacto, quod illi, qui emerunt salinas a comuni, possint, si voluerint, amodo in antea eas dimittere in comune, non obstantibus eorum incantu, cum sale facto anno presenti, et eis reficiantur expense facte in ipsis salinis dicto presenti anno. — Ad hoc respondeatur, quod placet nobis, sicut jacet.

Viri nobiles et prudentes ser Johannes Tavilich, ser Marcus Gosdoich, ser Nicolaus Michitich et ser Dessa Jacobi sindici et procuratores dicti comunis Sibinici ad hoc specialiter deputati, prout de eorum sindicatu constat publico instrumento manu mei Martini cancellarii infrascripti de presentibus millesimo et indictione, die XV instantis mensis iulii, visis et examinatis dictis capitulis eorumque responsionibus diligenter et mature ponderatis, cernentes, ipsas responsiones esse confor-

mes intentionibus dictorum capitulorum, et potissime eas cedere et redundare ad augmentum serenissimi ducalis dominii nostri prelibati et bonum et pacificum statum comunitatis Sibenicensis, ex auctoritate eisdem concessa per prefatum generale consilium, omnibus modo, via, iure et forma, quibus melius potuerunt, dicto sindicario nomine ea omnia capitula ipsorumque responsiones et quamlibet earum, prout jacent, acceptaverunt, approbaverunt et ratificaverunt, et pro acceptis et ratis haberi voluerunt, promittentes dicti domini sindici dicto sindicario nomine et nomine dicte comunitatis, predicta omnia capitula et continentiarum eorum eorumque responsiones perpetuo firma et rata habere et tenere, attendere et observare, et in nullo contrafacere vel venire sub obligatione omnium dicte comunitatis bonorum presentium et futurorum. Insuper predicti domini sindici nomine dicte comunitatis iuraverunt ad sancta dei evangelia, tactis corporaliter scripturis, in manibus dictorum dominorum provisorum, predicta omnia et singula attendere et firmiter observare; et in testimonium autem et robur presentis instrumenti predicti provisores mandaverunt, ipsum instrumentum sigilli comunitatis Sibinici appensione muniri.

Et ego Martinus de Ferro civis Cremonensis, publicus imperiali auctoritate notarius et nunc iuratus cancellarius comunis Sibinici, predictis omnibus et singulis interfui, et ea rogatus scripsi, et in hanc publicam formam reddegi, meumque signum apposui consuetum in testimonium omnium premissorum.

Misti. L. 139, u mlet. arkivu. Propter casualem ammissionem huius privilegii fuit pro ipsis Sibenicensibus die iulii 1454 renovatum, eisque consignatum.

God. 1414. 8. kolovoza, u Mletcih.

Zaključci stvoreni od načelnika zadarskih i od providura poslanih u Dalmaciju, da javnu upravu prosude, te što je krivo ili manjkavo poboljšaju.

MCCCCXIIII. die VIII. mensis augusti. — Infrascripte sunt provisiones et determinationes facte per magnificos et generosos dominos dominos Jacobum Trivisano honorabilem comitem et Nicolaum Venerio honorabilem capitaneum civitatis Jadre, nec non Vitalem Miani, Laurentium Capello et Petrum Lauredano honorabiles provisores ad partes Dalmacie, et hoc ex amplissima auctoritate sibi concessa per consilium rogatorum et additionis potentissimi communis Venetiarum.

1. Cum sicut manifestum est castellani Jadre, qui hactenus hic fuerunt, secundum sue comissionis seriem non invigilarunt neque invigilant custodie civitatis istius, prout tenentur, nam interdum est unus interdum ambo extra dictum castrum, quod nempe periculosum est, et possent exinde sequi res statui serenissimi dominii nostri damnose plurimum et nocive. Ad que pro conservatione bona et salubri dicti castri est penitus providendum; idcirco magnifici et generosi domini Jacobus Trivisano comes et Nicolaus Venerio capitaneus Jadre, ac Vitalis Miani, Laurentius Capello et Petrus Lauredano honorabiles provisores ad partes Dalmacie superius annotati determinaverunt concorditer et concluserunt,

non derrogando tamen in aliquo comissionibus dictorum castelanorum, sed illas potius confirmando: quod ut semper alter ipsorum dominorum castelanorum et similiter quicunque successores sui stare debeant sua die continue in dicto castro hoc modo, videlicet quod per teseram aut concordiam alter ipsorum stet una die et alter altera sequenti die in dicto castro, et non possit ille ex ipsis castelanis, ad quem tanget stare sua die in castro, exire illud, nec venire in barbachanum seu extra barbacanum aliquo colore, modo, forma vel ingenio, sed stet continue per totam suam diem intra proprium castrum antedictum, et hoc sub pena ducatorum centum auri, cuius pene medietas sit accusatoris, per quem habebitur veritas, et habeatur in credentia, et reliqua medietas applicetur domino capitaneo et successoribus suis.

2. Et ut dicti castelani spe ignorantie se non valeant excusare, debet dominus capitaneus et successores sui semper, cum venerint aliquis vel aliqui castelani dicti castri Jadre, presens capitulum et determinacionem per dictos quinque . . . . dominos factam et conclusam ex auctoritate sibi concessa per generale consilium rogatorum et additionis communis Veneciarum facere sibi legi ad eorum informacionem, ut attendere valeant et observare superius annotata et descripta.

3. Die VI. dicti mensis augusti. — Considerata debili fabrica castri Aurane visa per supradictos dominos provisores; attentoque, quod dictum castrum est una ex principalibus clavibus civitatis Jadre; et considerato, quod, reparando castrum istud de tempore in tempus, id reduceretur in debita fortitudine; per prefatos dominos comitem et capitaneum et provisores ex auctoritate predicta concorditer determinatum fuit, quod, ne dictum castrum Aurane derruat et in ruinam tendat, per dictum comitem Jadre et successores suos singulo anno expendi possint et debeant de denariis camere nostri communis ducati ducenti auri pro fortitudine castri antedicti.

4. Die XV dicti mensis augusti. — Cum inter cetera capitula novissime contracta per magnificos et generos dominos Anthonium a Bocollis comitem Scibinici et provisores supradictos cum hominibus et comunitate Scibinici, ipsi magnifici domini promiserint eidem communitati se taliter facturos et effectualiter procuraturos, quod Jadra et Scibenicum erunt quoadmodo unum corpus, videlicet quod in opportunis casibus, et secundum requisitionem comitis Scibinici et successorum suorum dabitur dicte communitati Scibinici omne possibile auxilium gentium pro deffensione sui territorii, existente versa vice dicta civitate Scibinici obbligata ad hec auxilia dictis rectoribus Jadre danda ad eorum requisicionem; idcirco pro ipsius promissionis debita et effectuali observancia magnifici et generosi domini comes et capitaneus Jadre item provisores suprascripti concorditer determinaverunt, quod dicti domini comes et capitaneus Jadre et dominus comes Scibinici eorumque successores secundum casuum opportunitatem et rerum exigentiam et prout alter eorum ab altero duxerit requirendum, debeant de cetero sibi invicem de gentibus pro suorum districtuum deffensione munimen ampliare succedenter, et observare, prout superius continetur.

5. Die XI mensis septembris. — Cum multi ex stipendiariis serenissimi dominii nostri existentes in Jadra et in aliis locis Dalmacie,

plurimique ex balistariis existentibus in castro civitatis eiusdem optantes habere omnes denarios sibi restantes in camera, et ipsis exactis, de novo se facere scribi sub aliis comestabilibus seu capitaneis, qua caliditate integre consequuntur, quod habere restat, et alii comestabiles et balistarii nostri ipsius castri, qui predicta caliditate non sunt usi, nequaquam tamen de pecuniis camere predicte percipiant quantum predicti, quod certe inducit confusionem non parvam aliis gentibus nostri dominii; quibus erroribus prorsus obviare intendentes, nos comes Jadre et provisores ante nominati determinamus, quod si quis ex balistariis et peditibus antedictis se de cetero cassare fecerit, non possint scribi neque reassumi in Jadra castro nec aliis locis predictis ad soldum serenissimi dominii nostri usque ad duos annos tunc proximos a die cassacionis huiusmodi, et hoc sub pena ducatorum viginti domino capitaneo et successoribus suis pro quolibet, quem contra predicta acceptaret vel scribi faceret, et ducatorum decem auri collateralli Jadre presenti et futuris pro quolibet, quem contra predicta scriberet. Et non possit dominus comes Jadre nec sui successores ordinare seu permittere, quod bullete alicuius vel aliquorum, qui contra predicta scriberentur, solvantur sub pena ducatorum centum auri, de quibus penis accusatores, per quos habebitur veritas, habeant medietatem, et reliqua medietas sit communis.

6. Die XXVII mensis iulii. — Prefati quinque domini provisores providerunt et determinaverunt, quod comes None de cetero elligi et fieri debeat per dominos comitem et capitaneum Jadre per unum annum tantum, et sit de nobilibus Jadre fidelibus servitoribus serenissimi nostri dominii, et qui fuerit uno anno, non possit aliis duobus annis immediate sequentibus. Et quod dominus comes habere debeat in anno de salario libras quingentas pro tenendo unum famulum suis expensis.

7. Providerunt insuper et determinaverunt, quod cancellarius None, qui habet in anno ducatos vigintiquinque auri, de cetero habeat libras centum triginta parvarum in anno, tenendo ordinate computum munitionum, que Nonam mittentur de tempore in tempus.

8. Providerunt etiam et determinaverunt, quod unus ex quatuor turrisanis deputatis de nocte excitare custodias super campanili None, cassetur, et de cetero non sint ibi nisi tres cum salario consueto, et in terra unus plazarius serviturus comiti ibi iuxta consuetum.

9. Die III. mensis septembris. — Cum Andreas Borsa de Jadra, officialis ad officium salis et trintesimi constitutus, raciones pecuniarum ex utroque officio ad manus suas hactenus perventarum valde irregulate et sine modo et forma tenuerit in tantum, quod non possit videri finis nec consolidari possunt nec concludi dicte sue raciones denariorum exactorum per ipsum absque longa examinatione dictarum suarum racionum; nam dictus Andreas stetit ad dictum officium pluribus annis, et omnia sua computa tenuit in aliquibus suis quaternulis irregulatis et intricatis, unde suspicandum est, quod forte pecunie per ipsum exacte non fuerunt bene administrate. Et proinde prelibati domini comes, capitaneus et provisores dispositi saluti communis Venetiarum et eius utilitati salubriter vigillare, concorditer determinaverunt, quod camerarii Jadre presentes et futuri teneantur et debeant videre et examinare dictos quaternulos rationum dicti officii trentesimi et salis una cum Petro Roso

scriba dicti officii, ipsosque scontrare et videre cum quaternis auctenticis camere. Et si visis et examinatis dictis rationibus invenerint, dictum officialem plures denarios ex dictis officiis exigisse seu eorum altero, quod dederit et presentaverit de tempore in tempus camere prelibate, habeant ipsi camerarii libertatem plenissimam sententiandi et condemnandi ipsum Andream officialem ad ressignandum, et restituendum camere predicte omne id totum, quod ratione sui officii tam salis quam trintesimi exigisset et non presentasset camere, ut tenebatur. Et insuper habeant libertatem in condemnando eum in soldos quinque pro libra pro pena, que pena dividatur equis portionibus inter camerarium seu camerarios predictos et Petrum Roso eorum scribam. Verum si idem Andreas officialis sentiret se gravatum, possit habere recursum ad dominum comitem et successores suos, qui possit decidere, concludere et terminare in predictis, ut sue prudentie visum fuerit iuri et iusticie convenire. Preterea teneantur dicti camerarii videre et examinare rationes ser Girardi de Canaruto et Simonis de Nassis, qui fuerunt officiales dicti officii trintesimi et salis, videndo dictas eorum rationes solummodo a tempore, quo serenissima dominatio Venetiarum habuit dominium Jadre citra. Et similiter omnium aliarum personarum, que administrassent pecuniam communis cum libertate sententiandi, quod restituant pecuniam, quam reperiretur predictos vel aliquem ipsorum exigisse nomine communis et non assignasse camere, ut supra; et insuper solidos quinque pro libra pro pena, que dividatur ut supra. Et possint predicti condemnandi et quilibet eorum habere refugium appellandi ad dominum comitem Iadre et successores suos, si sentient se gravatos, qui dominus comes possit congnoscere et terminare, uti sue sapientie videbitur iusticie convenire, remanente nichilominus omni libertate officialium rationum communis Venetiarum possendi revidere et congnoscere ac terminare in predictis, uti ad presens habent dicti officiales.

10. Die XVII. mensis septembris. — Quia dominus Jacobus de Raduchis est unus ex illis, quos magnifici domini comes, capitaneus et provisores suprascripti determinaverunt concorditer secundum eis traditam libertatem esse Venetias trasmittendos una cum duobus eius maioribus filiis, est iturum potestatem Anchone, deliberaverunt memorati domini et concluserunt, quod cum ipse dominus Jacobus recesserit et applicuerit ad suam potestariam predictam cum suis filiis antedictis, magnificus dominus comes Jadre debeat ipse domino Jacobo scribere, sicut per dictos dominos determinatum fuit, quod nec ipse dominus Jacobus nec dicti eius filii debeant reverti Jadram completo suo regimine sine literis et expressa licentia serenissimi nostri ducalis dominii. Nam determinatum est, ipsos stari extra Jadram ut supra, sicut alios de Jadra in proximo transmittendos.

11. Preterea quia Georgius de Rosa, usus ex aliis, quos predicti domini ituros Venetias determinavere, presentialiter non est Jadre, parvoque anni tempore stat in Jadra, nam more mercatorio in partibus Marchie ut plurimum conversatur, concluserunt et determinaverunt prefati domini, quod quandocunque dictus Georgius Jadram venerit, debeat ei mandare dominus comes et successores sui, quod vadat Venetias, non

permittendo ipsum aliquo tempore reverti Jadram sine mandato expresse et literis serenissimi dominii nostri.

12. Die XVIII. mensis septembris. — Anchora li predicti magnifici signori a determinado, concluso et ordinado, che chadauno delli camerlengi e scrivani, li quali sono e si serano al officio dela camerlengaria per li tempi, sia tegnudo de andar ogni di da matina al officio, e stare fin terza, da po disnar fin vespro, e tanto piu, quanto sera di mestiro soto pena de soldi octo pro homo e per caduna fiada non andara; e azo che questo sia observado cum effecto, sia tegnudo misser lo conte presente e li soi successori de ordinar, che da matina e drio disnar l uno de li soi cavaliri vada al oficio apuntarli; et abia li cavaliri la dita pena, azo chi sia soliciti a questo.

13. Anchora sia tegnudi li diti camerlengi de scoder li dineri, se devera aver per commun, si da debitor come per dacii e dei fiti dele isole e case di commun ali tempi debiti; fazando assaver a quelli tali, che debia pagar quelo, che sono o serano tegnudi fin di octo, dapuo che serano passado lo tempo del suo termine, metando li diti camerlengi pena de doi soldi per libra a queli, che deveran dare; e vargando il dicto termine, si li predicti no averano pagado quelo, che doveria, possa e debia scoder li diti camerlengi la dita pena, la qual sia partida ingualmentre li diti camerlengi e li diti sui scrivani.

14. Sia etiandio tegnudi li diti camerlengi a scoder tutte le pene e le condanaxon sera fate, messe per messer lo conte ali tempi, che l avera ordenado per le condanaxone sue. Et vargando lo termine a lor dado, possa e debia li diti camerlengi scoder soldi II. per livra, la qual sia partida come de sopra, non possando scuder la pena senza cavedal.

15. Ultra de zo sia tegnudi li diti camerlengi le raxon del trentesimo e dela tracta del sal vendudo e intrado da puo che la signoria ave el dominio de Dalmacia, el qual e sta manizado per Piero Portinari de Firenza, per Girardo de Canaruto et per Simon de Nassi et per Andrea de Grisogono, li quali sono stadi officiali al dito officio del trentesimo e de tuti li altri, che fosse stadi al dito officio del trentesimo cum la liberta notada in uno precedente capitolo fato per li diti signori a di XIII de septembre.

16. Sia ancora tegnudi li dicti camerlengi di veder ogni tre mesi e tante fiade piu, quante parera a messer lo conte, l administracion municion, le qual conserva el masar del commun in Zara, e se trovasse quelo in alguno falo, possano astringer restitucion del valor dele cosse, che manchasse e la mitade piu per pena, dela quale la mitade sia del commun e l' altra mitade sia deli camerlengi e scrivani predicti, partado qualmentre possandose retornar a messer lo conte, sel se tegnisse agravado; et possa el domino messer lo conte determinar sopra zo quelo, i parera zusto, remagnando sempre ogni liberta ali officiali dele rason.

17. Perche le ordenanze, che uno deli camerlengi di Zara ogni mexe faza la camerlengaria ala capsa e l' altro sia al sale sopra lo trentesimo, pero sia ordinado e comesso, cho oltra el mexe tocha e tochera a quel camerlengo, che sera ala capsa, non possa el dito camerlengo esser el sequente mexe ala capsa, fin chel dito camerlengo non avera complido el suo mexe, salvo iusto impedimento, soto pena di

ducati cento d oro a chadauno de loro, che contrafacesse, dela qual pena la mitade sia del acusadore, per lo qual se avera la veritade, e l altra mitade del conte se trovera a Zara.

18. Sia etiandio comesso ali diti camerlengi, che da mo avanti neguno d essi possa dar alguno dener ne scriver in alguno suo quaderno alcuno dener dado alguno, s el non sera presente el suo scrivan, soto pena de ducati cento, el qual scrivan debia tegnir uno zornal simil a quel de camerlengi, dela qual scrivan debia tegnir uno zornal simil a quel de camerlengi, dela qual pena la mitade sia del acusador e l altra mitade sia de messer lo conte presente et che sera per i tempi. E ultra questo algun dener, li quali avesse scripto alguno camerlengo aver dadi ad alguna persona, li quali non se trovasse scripti sul zornal, tegniva el scrivan, non sia autentichadi per alguno modo.

Ultra de zo sia ordenado ala camerlengaria de Zara sia uno altro camerlengo nostro zintilomo, cum el qual e el camerlengo presente, de li quali camerlengi uno sia ala capsa di mexe in mexe e l altro attenda al officio del trentesimo e al sal, che se vende a menudo. Habiase etiam die un altro scrivan cum salario de ducati cinquanta al ano, e sempre sia apresso el camerlengo, che sara a far dar el sal, e presenti doi.

19. Insuper sia scripto ordinatamentre a posta a posta tuto el sal medera su doy quaterni; e non se possa far buleta per li diti camerlengi del trar del dito sal for de Zara ni per terra ni per mar per modo alguno suto pena de ducati duxento per chadauno deli diti camerlengi e per cadauna volta, azo che dano non possa esser fato al nostro commun, ma fazase far buleta per meser lo conte, e senza quela non puossa esser cavado sal suto pena de perder el sal e le barche over cavali o altre cose, che se trovasse portar el dito sal. E se el sara alguno, che presuma de portar del dito sal, caza de libre viginti per ogni volta e perder el sal; de le quale tute suvrascripte pene cotegnude in questo presente capitulo el terzo sia de misser lo conte presente e che sera per li tempi, l' altro terzo sia del acusador, e sia tegnudo de credenza, e l' altro terzo sia del commun Et sia tegnu messer lo conte, se trovera per li tempi, de inquirire deli predicti, che contrafesse, sotto pena de ducati duxento, deli quali la mitade sia de commun e l' altra mitade deli avogador de commun.

20. Anchora sia tegnudo messer lo conte ogni alno al algognir del sal de mandar uno deli camerlengi cum li extimador usadi a dar extimar el sal de commun e farlo netar tuto a chadauno ordinadamentre suso uno quaterneto.

21. Et per che le da proveder per ben de commun, che chadauno dener, de che condicion, li qual pertegna al commun, sia scossi al officio deputado, zoe ala camerlengaria, pero sia commesso a messer lo conte de Zara presente e li suoy successori, che per alguno modo non possa schuder ne far schuder alcuno dener de commun ni de condanaxon chel fara, ni del alguna altra cosa per alguno altro modo over inzigno da persona alguna ne soy cavaliri, canzeliri ne famegli; anzi cometa e faza, che per li camerlengi del commun sia scosso tuto cosi li diner deli debiti como de pene de esser che spectasse ali suy cavaliri. Et debia i diti camerlengi dare la parte dele pene, che tochera ali ca-

valiri. Et sel sera trovado, che per algun conte sia fato scoder alguna cosa per man d alguno altro cha per man deli camerlengi de diner, che tochesse a commun, sia tegnudo el dito conte a satisfar quel dano a commun, e la mitade piu per pena, e sia zonto el presente ordine in le comission di conte di Zara.

22. Sia ancora tegnudo messer lo conte de Zara presente e li soi successori, publicade che sera zaschadune condenasone per li soi canzeliri over per lo nodaro del criminal, sea de che condicion se voglia, fare per el conte quele condanaxon mandar in scripto al officio deli camerlengi per quel noder, che le avera publicade, le qual debia esser registrade le suso el catastro, come se observa al presente, e debiase scoder le dicte condanaxon per li diti camerlenghi, como e conveniente; sopra el qual catastro el dicto camerlengo, che sera ala capsa, quando scodera diner de le dite condanaxon, debia scriver el recever desse como se fa al presente, e da po scriva etiam dio li diti diner sul so zornal, azo che chiaramente se veda le rason di comun, e sia posto questo ordine in le comission deli conti di Zara.

23. Sia etiandio comesso a messer lo conte di Zara presente e che sera per li tempi, che damo avanti non possa far termine ad algun, che trara over fara trare di Zara si per terra como per mare algun sal di pagar la tracta over el datio di comun ultra per doi over tre mexi al piu, siando tegnudo messer lo conte di far tuor bona e suficiente plezaria di pagare al termene quelo, che se dovera, la qual plezaria sia scripta ala banda alla posta di chi vorra trar el dito sale; e sel principal over plezo o plezi non avera pagado quelo, chel sera tegnudo per el dito sal, incorra in pena di soldi doi per livra, la qual sia partida eugualmente tra li diti camerlengi ali soi scrivani, como e' dito di sopra.

24. MCCCCVIIII. indictione septima, die VI. mensis augusti. Provision sono di Mestre a far in Zara.

Primo che apresso el castel per mezo la boca dela cadena se faza una caseta de lignamen, in la qual debia stanciar uno bono homo, che sia la guarda del porto ala dita casa; et sia tegnudo aver una barca e uno fante, e abia di salario libre quaranta al mexe, e sia tegnudo starse die e note ala dita caseta; et tute le barche, navillii, capitera al dito porto, el debia damandar el patron over serman, e quello apresentar a messer lo conte e capitanio de Zara presente e chi sera per tempo, azo che se sapia donde vignera e cum che cosse e cum che persone, e che se possa saver, chi va e chi vien per securta di questa terra. Et de tuti contrabandi, che se trovera per lo dito, che sera deputado ala cadena chossi intrara nelo porto come insira, el terzo sia del dito dela cadena, l altro derzo de messer lo conte de alora e deli suoi sucessori, el altro terzo sia del comun.

25. Et veramente che tuti i navilii, che intrara dentro dal porto, non possa andar fura dal dito porto senza buleta de messer lo conte soto pena di lire tre, la qual pena sia partida como de sopra, specificando chadauno scrivan o padron tute persone haverano, e non possa lasar insir del porto quello, che sera deputado ala cadena, alcuna barca ne navilio, sel non avera la boleta de messer lo conte, le qual bulete

luy debia salvare e ogui domanda appresentar a messer lo conte, azo che ogni domanda se scontre le bolete cum el registro de esse.

26. Et sia tegnudo el cancalier de messer lo conte tegnir ordenadamente le bolete scripte in uno quaterno, azo che sempre le se possa vedere. E habia el cancelier per chadauna barca de Veneciani e de tute terre et luogi dela signoria a queli, che lui fara la boleta, soldi duy; et di tute barche e navilii di foristieri habia soldi sey; de i quali dinari dele bolete la mitade vaga in comun, e l altra mitade sia del cancelliero. Non intendando ampo in questa strictura le barche de questa terra, le quale va de di per le isole; ma andando fuor del districto, sia tegnudi a tor la boleta.

27. Sia etiam dio messa in ordine la cadena, azo che de di o de note se sapia chi entra e nessi per segorta di questa terra, si che alguno senza licentia non se possa partir de qua.

28. Anchora per che apresso le mura di Zara sono molte caxe, le quale sono presso le porte, tornano in pocho utile al nostro commun, ma molto sono danose per le cose, che men discarchade di note e poi alcore conducte nella terra senza pagar trentesimo, per tanto sia provezudo, che le dite caxe sia disfate e da mo avanti non possa esser piu refatte per modo alguno, non possandose dar libertade per alguno rectore che vegnera per li tempi ad alguna persona, che faza over tegna le simil case per alguno modo soto pena di ducati duxento d oro, deli qual et terzo sia del comum, l' altro terzo del capitanio di Zara, al qual questo sia comesso, el altro terzo sia del acusador, per lo qual se savera la veritate, et per simile soto la dita pena non possa messer lo capitanio dar simile licentia. E queste cose sia zonto in le soe comissione.

29. Anchora perche ale porte dela parte dela marina non ne alguno, chel guarda, et per questo chadun e in soa libertade de metere e trar quelo, che vole. Pero per schivar simel danno sia ordenado, che da mo avanli ogni di sia deputado per meser lo capitaneo doi deli soldati per porta, li quali debia metre mente de tutte le cose, che intrara nella terra, chel entre cum bulete, azo chel sia pagado el datio del comun. E azo che li diti soldadi abia cason de ben cerchar, sia ordenado, che di tute le cose che sera trovade intrare senza boleta, el terzo sia del comun a l' altro terzo del capitanio, e l' altro terzo deli soldadi predicti. E sia publica ogni meze suso la piaza di Zara, e la riva, dove ariva tuti li navilii, che alguna persona non osa descargar ne portar alguna cosa dentro dal terra senza boleta di meser lo conte soto pena di perder quello e pagnar el datio dele dite cose.

30. Oltra di zo sia ordinado, che ala camerlengaria die Zara sia uno altro camerlengo nostro zentilomo cum salario e condicion, cum quale el camerlengo presente, de li qual camerlenghi uno sia ala capsa di mexe in mexe, e l'altro attenda all' officio del trentesimo e al sal, che se vende a menudo, habiase etiamdio uno altro scrivan cum salario di ducati L. al ano, e sempre sia appresso el camerlengo, che sera a far dar el sal; e per tuti doi sempre sia scripto ordinadamente su doi quaterni a posta a posta tuto el sal a chi lo vendera, e non se possa far boleta per dicti camerlenghi del trar del dito sal fora di Zara ni

per terra ni per mare per modo alguno soto pena di ducati doxento per chadaun deli diti camerlengi e per ogni volta, azo che danno non possa esser fato al nostro comun, ma fazase far la boleta per meser lo conte, e senza quela non possa esser cavado sale sotto pena de perder el sale e le barche over cavali o altri animali, che se trovasse a portar el dito sal. E sel sara alguno, che presuma del dito sale, caza di pena di libre viginti per ogni volta e perder el sal, de le qual tute pene in questo capitolo contegnude el terzo sia di meser lo conte presente e futuro, l' altro terzo sia del acusador, et l' altro terzo sia del comun. E si tegnudo meser lo conte, che se troverà per i tempi, inquirere deli predicti contrafazenti sotto pena di ducati duecento d' oro, deli quali la mitade sia di comun e l' altra mitade deli avogadori di comun.

31. Anchora sia tegnudo meser lo conte ogni anno al regloger del sal mandare uno deli camerlenghi cum li extimador uxadi andar extimar el sal di comun, e far notar tuto a zascadun ordinadamentre in uno quaterno.

32. E perchè nyuno non possa fraudar el dacio di comun, sia etiamdio prexo fin da mo e cridado publicamente sula piaza di Zara, che chadauno, che averà sale e soe salme o per chadauno modo se sia, che sia tegnu di aver fato redur el suo sal in Zara in fino per tuto octubrio proximo. E questo de anno in anno, e sia vezudo, se l' averà conduto tuto el sal, che l' averà abudo quelo anno sotto pena di perder el dito sale e ducati viginti per cento, li quali danari sia di comun, et del sal el terzo del comun, l' altro terzo sia dell' acusador e i' altro sia diviso in doe parte, dele quale n' abia una meser lo conte e l' altra li advocadori di comun; non intendendo in questo el sal reghio, el qual fina da mo sia reducto per fino adi XV. di agosto presente in Zara soto le pene e le condition dade de sovra al sal. E sia ogni anno cridado el presente ordene sopra la piaza di Zara. E sia tegnudo meser lo conte e li suy successori soto debito sacramento de far fare la dita crida ogni anno a insida di aprile, azo che a tuti sia noto el dito ordene. Et ala dicta strictura sia tuti li successori di meser lo conte presente, abiando parte dele pene.

33. Et perchè al officio di trentesimo era di costima de extimare tute le mercadantie e cose, che intrava, come pareria al officiale di quelo, che era cum gran danno di nostro comun, et per lo simile se observa, che luy a molti concedeva libertade de metere in Zara o trar pani e molte cose como el voleva senza pagar el dacio, se quelli non vendesse le dite cose, senza alguna sapuda del conte, et tornava a grandissimo danno al entrade de comun; sia provedu, che da mo avanti, chel camerlengo, che saria al trentesimo del sale, sia tegnudo per tute cose, che verrà esser messe in Zara, de mandar per lo suo compagno e per uno de scrivani et vedere diligentemente tute le cose conducte cum li extimadori consueti, e far extimar le dite cose, e subito scrivere ordinadamente in doi quaterni le dite cose conducte, e far debitor quel conductor, et far pagar, chi doverà, como è consueto; non possando dar libertade ad alguno, che possa meter dentro di Zara ni trar alguna cosa soto pena di ducati CL. per chadauna volta sira trovadi aver dado simile licentia. E sia la dita pena partida in doe parte, zoe la mitade

del conte, che se troverà per li tempi, et l' altra mitade sia del' acusador, per lo qual se vegnisse in la veritade. Ma ogni libertade di intrar e delo insir di Zara sia di meser lo conte solo. E se libertade sera dada ad algun, sia tegnudo meser lo conte a far notar, a chi darà simil licentia, suso uno quaterno, et fazase far boleta bolada di soa bulla di simil licentia, azo che per alguno non se possa cometer alguno danno a comun. Et sel serà trovada alguna cosa esser trata o messa senza boleta, sia contrabando, eseguisse come i fano di contrabandi, dagando el terzo al trovador, l' altro terzo a comun e l' altro sia di meser lo conte et fazasse pagar el dacio al comun.

34. De tutti li dinari, che scoderà el camerlengo che serà al mexe sul sal, sia tegnudo el dito camerlengo de darli ogni sabado al camerlengo serà ala capsa soto pena del quinto, non possando el dito camerlengo dala capsa dispensar alguna cosa di diti dinari ni per cedula ni per altro modo soto pena di ducati cento e d' esser privado del officio senza expressa licentia de meser lo conte e deli soi successori, azo che tuti li dinari vada ordinadamente per una man. E sia tegnudo el dito camerlengo, che serà al dito sal, tegnir tuti li dinar, che scoderà in la camerlengaria, soto pena de eser privado del officio, e sia comesso ali avogadori di comun. E sia zonto el presente capitolo in le soe comision, azo che di questo non se possa sonsar.

35. Et perchè el se vede, che per li camerlengi, che se stati a Zara, non se resta di contrafar ala soa comission di far di mercandantia, e questo, perchè i dise, non aver in comission de non poder far mercandantia for di Zara, però sia provezudo e devedado per alguno modo alguno deli camerlengi presenti e che serà per i tempi ni in Zara ni in alguno luogo dela Dalmacia subditi ala signoria non possa far mercandantia ni farla far soto pene di perder quele cose, che se ge trovasse o provasse che l avesse mercandatado o fato mercadantar; e ultra zo di ducati cento d oro, deli qual se serà acusador, per lo qual se sapia la veritade, habia la mitade e de l altra mitade la mitade sia del conte se troverà, e l altra mitade del comun, e sia bandiza cinque anni del officio e rezimento, e sia tegnudo l acusador di credenza, e zonzasi questo capitolo in le sue comission, e si ala dicta strictura tuti li scrivan del dito officio per ben di comun.

36. MCCCCXIIII die VI. mensis augusti. Per magnificos et generosos dominos Jacobum Trivisano honorabilem comitem, Nicolaum Venerio capitaneum Jadre, ac dominos Vitalem Miani, Laurentium Capello et Petrum Lauredano honorabiles provisores ad partes Dalmacie destinatos vigore amplissime libertatis eis tradite per serenissimum ducale dominium Venetum cum suis consiliis rogatorum et additionis fuerunt suprascripti ordines notati in duodecim capitulis antedictis unanimiter te concorditer confirmati.

37. Preterea die undecimo mensis augusti per suprascriptos dominos concorditer terminatum extitit: quod nullus ex comestabilibus civitatis Jadre et aliarum terrarum et locorum subditorum comitatui civitatis ipsius audeat vendere nec vendi facere vinum ad minutum in dicta civitate Jadre nec in aliis locis predictis alicui persone preter quam sociis suis sub pena essendi privatus et cassus per duos annos de

habendo soldum seu conductam aliquam in Jadra vel in aliquibus aliis civitatibus, terris et locis s. d. d. h. subditis. Quod quidem vinum dicti comestabiles non audeant vendere nec vendi facere nisi cum mensuris sibi dandis et bullandis parte domini capitanei Jadre sub penis predictis.

38. Insuper die ultimo mensis augusti Prefati domini concorditer terminaverunt, quod consideratis contrabanis, qui quotidie comittuntur per extrahentes salem de Jadra, Sibinico, Pago, Nona et Arbo aliisque locis Dalmacie subditis s. d. d. h. pro portando illum Narentam, et tamen illum conducunt ad alias civitates et terras cum notabili damno dicte dominationis ac contra bana et ordinamenta sua. Nam pro aliis terris, ad quas conducunt dictum salem, solvitur camere comunis de dacio pro tracta dicti salis ducatos viginti pro centenario modiorum et pro Narenta hactenus non est solutum nisi ducatos decem. Et ut dictis contrabannis quantum sit possibile obvietur, unanimiter concluserunt, quod pro sale, qui de cetero extrahetur pro Narenta ac pro quibuscumque aliis locis Dalmacie, Crohacie et Sclavonie tam de Jadra, Pago, Scibinico, Arbo et Nona quam de quibuscumque aliis locis Dalmacie, debeat per extrahentes de cetero solvi nostro dominio ducatos viginti pro quolibet centenario modiorum salis. Et sic scribatur et mandetur rectoribus nostrorum locorum et successoribus suis, quod in posterum per eos, ut superius continetur, observetur.

39. MCCCCIIII die III. mensis septembris. Capta fuit determinatio infrascripta per omnes dominos antedictos. Ceterum quia per ea, que comprehendi possunt, officialis deputatus ad officium trintesimi non bene regulat denarios, quos in dicto officio exigit tam ex sale comunis Venetiarum quam ex predicto officio trentesimi; id circo pro evitandis . . . . et erroribus huiusmodi, per prefatos dominos concorditer determinatum fuit, quod quousque per serenissimum dominium nostrum provisum fuerit de duobus camerariis, qui habebunt hic Jadre exequi ordines et provisiones statutas per dominos antedictos, et superius anotatas, dictus officialis trentesimi teneatur et debeat ponere, quoscunque denarios exigat, singula die in una capseta, eosque denarios presentare ea die, qua exacti fuerunt, officio ac camere Jadre, non possendo ullo modo differre in presentando denarios exactos una die altera die sequenti.

40. Teneatur insuper dictus officialis singulo mense dessignare omnes et singulas rationes suas omnium rationum et denariorum quorumcumque per ipsum exactorum dicto mense in eodem officio. Et sic facere debet et servare dictus officialis sub pena quarti tocius quantitatis pecunie, que reperta fuerit non presentata *in eadem* die, qua exacta fuerit ut supra. Cuius pene tercium sit comunis, aliud tercium sit domini comitis Jadre, et reliqui tercii due partes sint camerarii comunis et reliqua sit scribe dicte camere; de qua pena sibi non possit fieri aliqua gracia sub aliquo colore, forma vel ingenio.

41. Item insuper taneatur dictus dominus comes et successores sui nunc et in futurum emere omnem quantitatem salis, que fuerit pro dicta camera necessaria, nec permittere, quod per camerarios seu per dictum officialem trentesimi ematur huiusmodi sal nomine camere prelibate sub pena ducatorum ducentorum ipsi domino comiti et successoribus in eorum propriis bonis. Debeat insuper ipse dominus comes, concluso per

*

ipsum mercato salis, ipsum mercatum de tempore in tempus notari facere particulariter et distincte; quod salis precium tamen solvi non possit per camerarium seu camerarios sine expressa licentia et bulleta dicti domini comitis et successorum suorum.

42. MCCCCXIIII. die IIII. mensis septembris. Nui Jacomo Trivisan conte et Nicolo Venero capitanio de Zara, Vidal Miani, Lorenzo Capello et Piero Lauredano providori ale parti de Dalmacia etc. Cometiamo a ti . . . . in questo modo da mo avanti nel tral del sal se . . . zoe che quando vende sal a Morlachi o a chisisia per cadauno modo non debi far buleta del sal chi trarà soto pena de ducati cento d' oro, ma subito, vendendo el dito sal, mandi a miser lo conte de Zara una poliza de soa man, nela qual se contenirà la quantità del sale, che vorrà trar, quali Morlachi cum il nome del . . . . la qual sia bulada de toa bula. Et mandala per lo . . . pro . . . diti Murlachi, perche noy avemo ordenado cum meser lo conte, che fara far queste bolete per lo suo canzelier . . . . modo volemo che . . fazi far per lo canzelier de meser lo conte chadune bolete a zascuno navilio, barche, che . . . sal de Zara . . . . la poliza de soa man e bulada, la qual contengna la quantitade del sal et el nome del mercadante, che la vorrà trar. Et debia . . . . a meser lo conte, come de sovra se conte, sotto la dicta pena de ducati cento d' oro.

43. Anchora volemo e si te comandemo, che tu no debie recever alguno dinaro dal Gimo mercadante od altre persone, che trarà sale per el mare cum barche o navilii, ma debi subito mandare per le dite persone una cetola de toa man bulada de toa bolla a meser lo conte, in la qual sia scripta la quantitade di dito sale et prexio d' esso, perchè meser lo conte farà, che simil persone pagarà ex prexio del dito sal, che i vorra trar, ala camerlengaria di Zara, et poi ge fara far la soa bolleta ordinadamente, come e dito de sovra.

43. MCCCCXIIII die VII. mensis septembris. Preterea attendentes prefati magnifici et generosi domini, quod multa mercimonia, caseus videlicet et alie grasse et res quotidie de Jadra et locis aliis Dalmacie subditis nostro dominio extrahuntur per diversas personas, asserentes, illa volle conducere Venetias, quod non faciunt, quin ymo ad partes Istrie et alio cum evidenti damno et diminutione introituum comunis Venetiarum, est summo studio et penitus obviandum. Ideo prefati domini terminaverunt et concorditer concluserunt, quod ipse dominus comes Jadre et successores sui et ceteri rectores serenissimi ducalis dominii Veneciarum in partibus Dalmacie eorumque successores teneantur et debeant de cetero fieri facere per eorum cancelarios unam contraliteram cuilibet extrahere volenti de Jadra et terris predictis Dalmacie caseum et grassam et alias res quascumque pro conducendo ipsas Venetias. Que contralitera, si predicti voluerint grassam extrahere, dirigatur officialibus ternarie, et si essent res alie, dirigatur illi officio, cui spectabit, accipientib]us dictis comite Jadre et aliis rectoribus predictis a dictis extrahere vo entibus idoneam plezariam de presentando dictas contraliteras Veneciis et illi officio, cui dirigetur, et de portando res ipsas Venetiis. Que contralitere debeant registrari super uno quaterno, et debeat per dictos de

mense in mensem exemplum ipsarum mitti Venetias officialibus, quibus spectabit. Et habeat canzelarius domini comitis Jadre et aliorum rectorum Dalmacie pro qualibet contralitera solidos XL. parvorum pro eorum labore.

44. Die XII. mensis augusti. Determinaverunt insuper et providerunt prefati domini, quod sal collectus in Nona, et qui de cetero colligetur, debeat ex nunc reduci in Nona, et sic de tempore in tempus, donec fuerit recollectum; et mandetur insuper comiti deinde, quod faciat publice cridari deinde, quod nemo audeat vendere de dicto sale, donec non fuerit totus reductus intra terram ut supra, sub pena perdendi ipsum et ducatos viginti auri pro centenario modiorum, et quod debeat de tempore in tempus videre dictas quantitates salis, et de illis et nominibus illorum avisare dominum comitem Jadre, ut sit previsus de quantitate, que colligetur et quorum essent quantitates huiusmodi. Et sic facere debeat et servare de anno in annum, et tenere unum computum ordinate tam de sale, qui conducetur, quam de eo, qui exibit de Nona, particulariter et distincte.

Se alguno se trovarà tanxar alguno de li prenominadi robadori etc. quelo tal taxador sia astricto neli propri beni a satisfacion del debito; e questa leze sia proclamada in tute terre de Dalmacia, e per le catone de li de Morlachi, quando serano ali pascoli su li nostri terreni, azo che ancora a tuti loro siano manifesto. Quare mandamus vobis cum dictis nostris consiliis, quatenus suprascriptam partem et contenta in ea in quantum ad vos spectat observare et observari facere inviolabiliter debeatis, facientes has nostras literas ad futororum memoriam registrari.

Date in nostro ducali palatio die XVII. mensis augusti, indictione II-a MCCCCXXIIII. (sic.)

Iz rukopisa Ducali e terminazioni. Libro I. u zadarskom arkivu.

God. 1414. 20. kolovoza, u Mletcih.

Pomorski kapetan neka se s njekojimi galijami svrati u Dalmaciju.

(1414, 20. augusti). Die dicto. Quia propter casum obitus serenissimi domini regis Ladislai et pro aliis negociis nostris partium Dalmatie est non tantum utile set necessarium habere in culpho nostro capitaneum nostrum generalem culphi, vadit pars, quod scribatur et mandetur eidem, quod subito recepto presenti nostro mandato debeat cum galea sua et galea Barbadico venire ad partes Dalmatie usque Jadram, ubi inveniet nostrum mandatum. Verum si tempore receptionis presentis nostri mandati ipse capitaneus haberet secum galeam Polanam de Candida, debeat illam licentiare et mittere Nigropontem ad standum in aquis illis pro securitate ipsius nostre insule et aliorum locorum nostrorum deinde, comittendo supracomito, quod stet ibi usque per totum mensem octubris proximum, quo finito debeat cambire galeam suam, quam habet ad presens, cum galea, que est in Nigroponte, et cum dicta galea de Nigroponte venire in Candidam ad disarmandum. In casu vero, quod

dicta galea Polana de Candida non esset tunc cum capitaneo culphi, debeat ipse capitaneus scribere supracomito predicto, et committere ei, que superius continentur. De parte alii; de non 3; non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 50 c. 142, u mlet. arkivu.

God. 1414. 6. rujna, u Mletcih.

O utvrdjenju Zadra i odpremi sumljivih podanika u Mletke.

Capta: Die 6. septembris 1414. Quod scribatur provisoribus nostris ad partes Dalmatie in hac forma:

Per magistrum Pizinum, quem Venetias remisistis, recepimus quam plures literas vestras, per quas distincte et ordinate nostro dominio denotastis omnia per vos secuta et terminata deinde in terris et locis nostris Dalmatie; et inter alias provisiones, que vobis viderentur necessarie tam pro fortificatione civitatis nostre Jadre quam castri. Et audivimus etiam magistrum Pizinum informatum ad plenum de omnibus suprascriptis. Pro quibus omnibus vestram diligentiam et solicitudinem merito comendantes vobis respondemus, quod consideravimus magnam expensam, que occurret in volendo facere laboreria per vos terminata tam circa factum cittadelle quam castri, et videmus, quod hec exequi non poterunt nisi per magnum spatium temporis, et necesse est presto aliquam fortificationem facere pro deffensione castri. Et propterea fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus videre et examinare debeatis, si castrum nostrum fortificari posset cum spaltis, et eos implere luto vel terreno, quia hoc presto fieret et cum parva expensa. Et si per istam viam vel per aliam, que vobis videretur utilior, dictum castrum presto fortificari posset, provideatis de ordinando, quod detur principium laborerio. Et facta examinatione et terminatione, que vobis videbitur circa hoc, et executa forma vestre commissionis in mittendo Venetias illos, qui vobis videntur mittendi, ad cuius rei executionem debeatis providere, quod ille due galee culphi, que ibi sunt, sint presentes, ut cum maiori securitate fiat, debeatis in bona gratia reverti Venetias de omnibus informati. Circa factum castri Sibenici nullam aliam provisionem pro nunc fecimus, quia volumus expectare adventum vestrum, et postea deliberabitur, sicut videbitur fore opus. Volumus tamen, et sic vobis mandamus, quod ante recessum vestrum provideatis, quod turres nostre Sibinici reducantur ad suum primum numerum ballistariorum, sicut per alias duplicatas litteras nostras vobis dedimus in mandatis. De parte 82, de non 15, non sinceri 5.

Secreta cons. rogat. VI. p. 9. tergo, u mlet. arkivu.

God. 1414.

Plemići i pučani Zadarski, koji su se imali odpremiti u Mletke kao sumljive viernosti.

Infrascripti sunt nobiles Jadrenses, quos determinatum fuit per dominos Jacobum Trivisano comitem et Nicolaum Venerio capitaneum Jadre, et dominos Vitalem Miani, Petrum Lauredano et Laurentium

Capello provisores ad partes Dalmatie, debere venire habitatum Venetias:

Dominus Jacobus de Reduchis iudex cum duobus filiis, Johannes Andree de Grisogonis dictus Scode, Simon de Cadolinis, Peregrinus de Pomo, Colanus de Vitcor, Petrus Damiani de la Calcina, Georgius de Ruosa, Benedictus filius Colani de Gallellis, Andreas de Cesamis, Cressolus de Cressava cum Nicola eius filio, Marinus de Cressava, Cressolus de Gallellis, Caninus Simonis de Gallo, D. Cressolus de Zadolinis miles, Georgius et Franciscus fratres, filii maiores Georgii de Zadolinis dicti Travasa.

Populares, quos ut supra determinatum fuit venire habitatum Venetias:

Johannes Georgii draperius, Cressolus dictus Paclessa, Jacobus Johannis dictus Vodonich, Georgius de Ventura, Pripicus barberius aliter mercadante, Johannes Cucich olim famulus domini Jacobi de Reduchis, Johannes Michaelis vel Michovilis, Bilsa marangonus, Alegretus Coloturtus marangonus, Doimus piliparius, Marcus marangonus, Thomasius sartor, Franciscus Stravillo marangonus.

Commemorialium X. 136, u mlet. arkivu.

God. 1414. 13. listopada, u Mletcih.

Dozvoljeno providurom, koji se bjahu povratili iz Dalmacije, da dodju u molbeno vieće, i da predlažu, što bi trebalo za poboljšanje Dalmacije.

1414. die 13. octobris. Capta. Sapientes consilii. Cum, sicut notum est, missi fuerint ad partes Dalmatie sindici nostri nobiles viri ser Vitalis Miani, ser Laurentius Capello et ser Petrus Laurendano, qui secundum mandata nostra fuerunt in dictis partibus, et multa reformaverunt pro bono et utilitate nostri comunis et securitate civitatum et locorum nostrorum dictarum partium, sed aliqua per eos provisa oportet terminari per istud consilium; et quia dicti provisores de his, que fieri debent pro bono et securitate dictarum partium et utile nostri comunis sunt optime informati; vadit pars, quod dicti provisores nostri pro factis Dalmatie, terrarum et locorum nostrorum deinde possint venire ad istud consilium rogatorum, et quilibet eorum possit ponere partem, non ponendo ballotam, nisi fuerint de consilio. Et duret ista libertas veniendi ad istud consilium usque ad nativitatem proxime futuram. De parte 84, non 0, non sinceri 0.

Misti. L. 167, u mlet. arkivu.

God. 1414. 29. listopada, u Mletcih.

Naputak za poslanika iduća u Feraru, da ugovori mir sa poslanikom kralja Sigmunda.

Capta. (1414) 29. octobris. Quod fiat commissio nobili viro ser Marino Karavello procuratori ecclesie sancti Marci ituro ambascatori Ferrariam pro tractatu pacis inter dominum regem Romanorum et nostrum dominium in hac forma:

Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus tibi nobili viro Marino Karavello procuratori ecclesie sancti Marci, diletto civi et fideli nostro, quod in bona gratia ire debeas noster solemnis ambassiator ad presentiam magnifici filii nostri domini Nicolai marchionis Estensis et magnifici Ugotionis cum nostris litteris credulitatis, quas tibi fecimus exhiberi. Quibus presentatis litteris predictis, et facta paterna salutatione et oblatione cum verbis pertinentibus et necessariis, suis magnificentiis dicere et exponere debeas, quod nostra dominatio informata per litteras, quas prudens vir Fredricus Spetia nuncius suus scripserat rectoribus Verone de applicatione ambassiatoris serenissimi domini regis Romanorum et Hungarie ad partes Tridenti et venturi ad presentiam suarum magnificentiarum pro tractatu pacis tractande per medium suarum magnificentiarum inter dictum dominum regem et nostrum dominium, subito te elegit in ambassiatorem nostrum pro tractatu pacis predicte. Et quia nostra dominatio facit illam fidem et capit illam confidentiam de suis magnificentiis, quam debet facere optimus pater de bonis filis suis, est contenta per suas magnificentias quod tractetur et praticetur pax predicta. Et ut favente divina gratia possit ad optatum finem reduci per medium et interpositionem suam, es paratus esse cum eis quibuscumque diebus et horis, pro ut fuerit necesse pro bona conclusione pacis predicte.

Expositis autem predictis prefatis dominis marchioni et Ugotioni, subiungere debes, quod tibi videtur necessarium esse, ut possit dari principium tractatui dicte pacis, quod videantur sindicatus partium, si sunt in forma debita et necessaria. Et si dictus sindicatus sive mandatum regium se extendit ad pacem tractandam tam cum nostro dominio quam cum illustre domino duce Mediolani colligato nostro, quia sicut sue magnificentie sciunt idem dominus dux Mediolani est in liga cum nostro dominio, vigore cuius lige si dictus dominus dux voluerit includi in pace, quam faceremus cum dicto domino rege Romanorum, debemus ipsum includere, sicut in uno capitulorum dicte lige continetur; et volumus, quod procures habere copiam dicti sindicatus et libertatis regie, quam debeas presto nostro dominio destinare.

Si vero sindicatus domini regis erit in forma sufficienti et necessaria ad pacem tractandam nobiscum et cum illustre domino duce Mediolani, ita quod posset dare principium tractatui pacis, volumus, quod prefatis dominis marchioni et Ugutioni dicere debeas, quod, ut possint intrare ad praticam dicte pacis cum illo honesto modo, qui suis magnificentiis videbitur, velint scire ab ambasciatore domini regis, si intentio domini regis est de dimittendo nostro dominio terras imperii, quas habemus et tenemus, et restituendo terras nostro dominio acceptas et occupatas, et quod nobis remeneant terre et loca Dalmacie, quas habemus et tenemus, et dare nobis Tragurium, et restituere nostro dominio castrum Ostrovize, que sunt illa, que continue requirimus a dicto domino rege; quia si dictus dominus rex est contentus et vult condescendere ad hoc, nostra dominatio erit parata ex parte sua facere ea, que iusta sint, honesta et rationabilia.

Et si dicti domini marchio et Ugutio habebunt a dicto ambassiatore regio, quod dictus dominus rex sit contentus et velit condescen-

dere ad dimittendum nobis terras imperii, quas habemus et tenemus, et ad restituendum terras nostro dominio occupatas, et quod nobis remaneant terre Dalmatie, quas habemus et tenemus, et dare nobis Tragurium, et restituere Ostrovizam, debeas cum illis sapientibus modis et viis, que tue sapientie videbuntur, tenere praticam in suspenso, et prestissime scribas nobis ordinate, quicquid habebis a dicto ambassiatore de intentione regis, et expecta nostrum mandatum, quod prestissime tibi mittemus. De parte 13.

Dominus dux, ser Antonius Contareno, ser Franciscus Foskari, sapientes consilii, volunt duo prima capitula suprascripte commissionis cum infrascripta additione:

Si vero sindicatus et libertas regia erit in forma debita et necessaria ad pacem tractandam nobiscum et cum dicto domino duce Mediolani, ita quod dari possit principium tractatui pacis, debeas procurare de presentiendo petitiones dicti ambassiatoris nomine regis a nostro dominio. Et quia reddimur certi, quod dictus ambassiator tres petitiones principaliter faciet nostro dominio. Prima, quod restituamus terras imperii, quas tenemus et possidemus. Secunda, quod sibi restituamus terras et loca, quas habemus et tenemus in Dalmatia. Tertia, solutionem septem millium ducatorum tam pro tempore elapso quam futuro. Propterea volumus, quod, faciente ambassiatore predicto petitiones suprascriptas, debeas ad primam respondere cum illis verbis utilibus et necessariis, que tue sapientie videbuntur, quod sicut omnibus est manifestum dictas terras imperii aquisivimus cum maximis expensis et iuste, et illas accepimus de manibus inimicorum nostrorum, quas non obstante, quod acquisimus iuste et legitime et cum iusto bello, tamen sumus contenti pro dictis terris facere erga dictum dominum regem illud, quod sit iustum et rationabile. Ad secumdam autem de terris et locis Dalmatie respondere debeas, quod sicut omnibus est manifestum dictas terras et loca emimus a serenissimo domino rege Ladislao, qui dictis terris et locis iuridice dominabatur, pro magna quantitate pecunie, et ultra emptionem fecimus multas et magnas expensas pro custodia dictarum terrarum et locorum, propter quod sumus dispositi illas tenere. Set ut dominus rex cognoscat bonam intentionem nostri dominii, sumus contenti illas recognoscere a dicto domino rege per illum modum, qui rationabilis et honestus, et cum honore sue serenitatis et nostri dominii. Super tercia autem solutionis ducatorum septemmillium debeas respondere, quod solutio dictorum septemmillium ducatorum fiebat occasione portuum Dalmatie, qui portus, sicut est notum, non sunt in potestate nec liberate dicti domini regis, ita quod non potest nobis observare ea, ad que tenetur occasione dictorum portuum, ex quo nos non sumus obligati nec tenemur ad solutionem dictorum VII mille ducatorum tam pro tempore elapso quam futuro. Et cum istis et aliis verbis et rationibus, que tue sapientie videbuntur, debeas dictis petitionibus respondere, scribendo prestissime totum et quicquid petet dictus ambassiator, et expecta nostrum mandatum, quod tibi citissime transmittemus.

Postea vero, factis responsionibus predictis, quando tibi videbitur tempus congruum et aptum, debeas petere, quod dictus dominus rex restituat nostro dominio terras acceptas et occupatas nostro dominio, et

strum Ostrovize, et quod sit contentus nobis dare Tragurium; honestando cum illis sapientibus verbis, que tue sapientie videbuntur, istas peticiones nostras, quia nostra dominatio semper erit parata de faciendo erga dictum dominum regem pro honore suo illud, quod erit conveniens et honestum; non faciendo aliquam promissionem sine nostro mandato, et scribendo nobis de tempore in tempus quicquid facies et sequetur pro nostra informatione. De parte 82, de non 0, non sinceri 3.

Secreta cons. rogat. VI. 19, u mlet. arkivu.

God. 1414. 6. studenoga, u Mletcih.

Dalje u poslu mira sa Sigmundom.

1414 die 6 novembris. Capta. Quod respondeatur nobili viro ser Marino Karavello procuratori ecclesie sancti Marci in hac forma:

Recepimus literas vestras datas primo, secundo et tertio presentis, per quas nobis distincte et ordinate scripsistis omnia per vos facta, dicta et praticata cum ambassiatore serenissimi domini regis Romanorum et Hungarie, et misistis dictis vestris litteris introclusam copiam sindicatus et libertatis ambassiatoris predicti, et denotastis distincte libertatem quam habet dictus ambassiator et responsiones vestras circa requisitionem, quam facit dictus ambassiator de intrando praticam solum super negotium imperii. Ad que solecitudinem et sapientiam vestram merito commendantes, vobis respondemus, quod notavimus particulariter omnia hinc inde dicta et praticata, et videntes, dictum ambassiatorem regium solum libertatem habere super negotiis imperii, et non super aliis differentiis existentibus inter dictum dominum suum dominum regem et nostrum dominum, volumus, quod cum dicto ambassiatore nullam praticam facere debeatis super factis imperii, quia nihil fieret, si alie differentie non concordarentur, sicut sapienter respondistis. Et si usque receptionis presentis nostri mandati dictus ambassiator regius aliam libertatem non ostendisset, per quam potuissetis intrare ad praticam tractatus pacis de omnibus differentiis inter partes existentibus, debeatis esse cum magnifico filio nostro domino marchione et cum magnifico Ugotione sive cum Ugotione solo, pro ut erit necesse, et sibi declarare, quantum impertinens esset, considerata libertate ambassiatoris regii, intrare ad praticam super factis imperii solum et in aliis differentiis remanere discordes, et sibi ex toto declarare intentionem nostri dominii fore, nihil super factis dicti imperii praticare, nisi dictus ambassiator habeat libertatem praticandi super aliis differentiis partium. Et si dictus ambassiator regius nullam aliam praticam facere velet, nec aliam libertatem haberet nisi illam, quam ostendit, et recedere velet, debeatis providere de essendo cum dicto ambassiatore presente dicto magnifico Ugotione et presentibus aliis duobus ambassiatoribus duorum electorum imperii, qui venerunt Ferrariam, et aliis ambassiatoribus aliorum electorum, si qui Ferrariam venissent, et cum illis verbis, que vestre sapientie videbuntur, eisdem declarare debeatis intentionem nostri domini semper fuisse et esse de veniendo ad pacem cum serenissimo domino rege Romanorum et Hungarie, et omnem experientiam possibilem fecimus in mittendo ad diversas partes et loca oratores nostros pro dicta pace

habenda, et modo ultimate misimus vos ad partes Ferrarie cum libertate ad plenum, ut bona et perpetua pax tractari et praticare posset inter partes, putantes, quod idem ambassiator similiter venisset suffultus mandato et libertate ad plenum super omnibus differentiis partium sedandis et pacificandis. Et sicut apparet, non habet libertatem a dicto domino suo domino rege praticandi nisi solum super factis imperii. Et quantum hoc esset impertinens praticare, et in aliis differentiis remanere discordes, sue sapientie clare comprehendere possunt, cum per elapsum in omnibus praticis et tractatibus pacis, quos fecimus cum dicto domino rege et ambassiatoribus suis omnes differentie partium insimul fuerunt tractate et praticate. Et propterea vos offeritis, si ad hoc habet libertatem, venire ad praticam secum de omnibus differentiis existentibus inter partes, ut insimul omnibus dictis differentiis finis pacificus imponatur; et cum istis et aliis verbis et rationibus, que vobis videbuntur utilia et necessaria, debeatis hoc taliter dictis ambassiatoribus declarare, quod cognoscant per nos non defficere, quin veniatur ad praticam omnium differentiarum predictarum; subiungendo, quod si ad hoc non habet libertatem, potest illam mittere acceptum. Et si dictus ambassiator nullam aliam haberet libertatem, et nil aliud praticare vellet nisi super factis imperii, et vellet recedere, ut dixit esse dispositum, non debeatis ullo modo ad aliquam aliam praticam intrare et observare formam vestre commissionis, set permittatis ipsum ad libitum suum recedere, et cum recesserit, subito post recessum suum nobis scribere debeatis. Et vos similiter in bona gratia recedatis, et veniatis Venetias de omnibus informatus. Volumus tamen, quod ante recessum vestrum esse debeatis cum prefatis magnifico domino marchione et Ugotione, et eos nostri parte rogare, quod vellint informare sanctissimum dominum papam de causa, propter quam dictus tractatus non potuit habere locum, et similiter scribere domino regi et electoribus imperii in illa forma, que eis videbitur rationabilis et honesta pro honore suarum magnificentiarum et nostri domini. De parte 68, de non 1, non sinceri 2.

Secreta cons. rogat. VI. 20 trgo, u mlet. arkivu.

God. 1414 5. studenoga, u Mletcih.

Naputak za providure i sindike iduće u Albaniju.

1414 die 5 novembris. Capta. Quod fiat commissio nobilibus viris Donato de Porto et Luce Truno provisoribus et sindicis ituris ad partes Albanie.

Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Donato de Porto et Luce Truno dilectis civibus nostris, quod in bona gratia ire debeatis nostri solemnes provisores et sindici ad partes nostras Albanie et Durachii, presentando vos rectoribus locorum nostrorum prefatorum, et ab illis sumendo informationes opportunas super infrascriptis vobis commissis, ut utilius et melius mandata nostra adimplere valeatis, quia intentionis nostre est, quod in quolibet locorum nostrorum prefatorum, ubi eritis, rector noster illius loci sit vobiscum, et quod ea, que facere habebitis vigore provisorie, fiant per vos tres aut maiorem partem vestrum, eundo prius ad illum ipsorum locorum, qui vobis magis comodus fuerit.

Damus enim vobis plenissimam auctoritatem et bailiam poss
sindicare, inquirere et investigare contra quoscunque rectores et o
ales nostros, qui hinc retro fuissent in partibus et locis suprasci
et contrafecissent suis commissionibus vel capitularibus vel alia inde
et inlicita commisissent quomodocumque, faciendo fieri proclamati
in locis predictis, ut melius in lucem predictarum violentiarum, ex
sionum et gravaminum venire possitis, et faciendo distincte notari
nes querellas, que vobis facte fuerint, et accipiendo testificatione
probationes infra illos terminos sive terminum, que vobis compete
videbuntur, observando modum in inquisitionibus et querellis, quem
servant nostri advocatores comunis, possendo etiam inquirere et si
care omnes illos, qui exigunt et dispensant presentialiter pecuniam
salem nostri comunis, licet sint in officiis cum modis et libertate
dictis, non intelligendo de rectoribus nostris. Set si post redditum
strum Venetias hi, quos intromisissetis vigore libertatis predicte, es
etiam intromissi per sindicum nostrum, qui noviter rediit de part
illis, volumus, quod de hiis solummodo, de quibus intromissi ess
per ipsum sindicum vos impedire non debeatis, sed in aliis exequi
sitis officium vestrum contra ipsos cum illamet libertate et ba
quam habent sindici nostri, qui fuerunt ad partes levantis; non in
mittendo etiam vos de illis, qui intromissi iam forent per offitiales
stros rationum veterum, in his videlicet, pro quibus intromissi sunt
aliis vero officium et sindicatum vestrum firmum sit, et remaneat ut
dictum.

Ceterum avisamus vos, quod dominus Balsa Strazimir iam plu
versus nos multas lamentationes fecit, et nunc nuper per suas litt
replicavit de certis octis, qui sunt in Scutaro, quos alias rector no
vir nobilis ser Paulus Quirino ad complacentiam et requisitionem ip
Balse Scutarum moraturos venire fecit, sicut difusius ab ipso ser P
super hac materia eritis advisati. Et quia hic habemus diversas o
ones, et varias informationes reperimus, volumus et vobis manda
quatenus audito ipso comite et capitaneo nostro Scutari et habitis
siderationibus et respectibus necessariis de eorum stantia, si est ne
saria et fructuosa pro securitate status nostri domini vel non, termi
debeatis, sicut vobis utilius apparebit, quod remaneant deinde vel
Et in quantum terminatum fuerit de licentiando illos, debeatis prius
quirere ipsum Balsam, quod similiter expellat et licentiet de terri
suo rebelles et proditores nostros, quos retinet, non licentiando ta
ipsos octos nisi ipse dominus Balsa licentiaverit et expellerit reb
nostros predictos cum promissione de non recipiendo illos amplius
vero terminatum fuerit de retinendo illos, committere debeatis expr
nostri parte comiti et capitaneo nostro Scutari et successoribus
quod nullo modo permittant illos molestare seu damnificare sub
vel loca ipsius domini Balse, quia si illos damnificarent vel molesta
nostre intentionis est, quod ipso facto de nostro territorio penitus
pellantur, ne ex hoc nulla causa novitatis oriri posset. Et ad infor
tionem vestram in casu quo illos sibi remanere feceritis, si de
ullam requisitionem faceret ipse Balsa, fecimus vobis dari copiam p
et compositionis nuper facte, quando ipsum acceptavimus ad gra

nostram, per quam illos retinere possumus, ut iura nostri dominii sustinere valeatis cum illis efficacibus verbis et rationibus, que vestre sapientie videbuntur.

Insuper, sicut satis et deinde clarius videbitis, fecimus certum ordinem, quod in partibus et locis nostris Albanie non vendatur alius sal quam de Durachio, sicut deinde de dicto ordine eritis diffusius informati. Eapropter volumus et vobis mandamus, quod simul cum rectoribus nostris illarum partium faciatis illas utiles et fructuosas provisiones, que sapientie vestre necessarie videbuntur, itaquod sal vendatur cum quam maiori poterit utilitate et comodo nostri comunis, non augendo pretium eius, et quod contrabanna non fiant, ac etiam quod sal non accipiatur sive portetur ad dicta loca nisi de terris et locis nostris predictis, sicut in dicto ordine nostro seriosius continetur.

Verum quia sensimus, quod rationes exationum intratarum et expensarum nostri comunis hucusque non ita clare, sicut deberent, tente fuerunt, quod est cum notabili damno nostri comunis, volumus et vobis committimus, quatenus ipsum offitium camerlengarie taliter regulare debeatis, quod rationes nostri comunis nequeant fraudari, set clarissime videri possent. Avisando vos, quod nostre intentionis est, quod tota pecunia exationum nostri comunis transiret sulumodo per unam manum, videlicet per manum camerarii Scutari ita tamen, quod camerarius predictus nihil dispensare posset absque buleto comitis et capitanei Scutari, qui erit per tempora.

Volumus etiam et vobis mandamus, quod tam in Scutaro quam in aliis locis nostris prefatis videre debeatis et facere ordinate monstram omnium gentium tam equestrium quam pedestrium deputatarum ad custodiam locorum ipsorum, cassando inutiles, et eorum loco alios utiles subrogando, ut ipsa loca remaneant bene secura, sicut optamus. Verum si deinde loco ipsorum inutilium homines utiles non reperiretis, mittatis huc pecuniam necessariam, quia subito transmitti mandabimus de hominibus aptis et expertis, quot duxeritis requirendum, ut ipsa loca stent fulcita secundum intentionem nostri domini.

Ceterum sicut scitis in dictis partibus Albanie recoligitur et capitat anno quolibet maxima quantitas bladorum et presertim frumenti. Et affectantes pro ubertate terre nostre, quod blada ipsa conducantur Venetias et ad alia loca nostra, volumus, quod provideatis opportune, quod ipsum frumentum, mileum et omne bladum nunc et de cetero non conducatur alio, quam Venetias et ad alia loca nostra ullo modo vel ingenio, imponendo pro hoc illas penam et penas et illos ordines faciendo, qui vobis utiles et necessarii videbuntur, ne huic nostre intentioni aliqualiter contrafiat.

Adivisamus insuper vos, quod in dictis partibus Albanie sunt nonnulle pronie, que dantur certis personis de tempore in tempus, pro ut vocant, que quidem persone proniari tenentur ad certa onera personalia. Et secundum informationes, quas habemus, dicte pronie respectu utilitatum, quas habent, possent portare maius onus quam id, quod habent ad presens, quod esset, si fieri posset cum magno commodo nostri comunis et securitate status nostri, propterea vobis committimus, quod examinare debeatis subtiliter et diligenter conditionem, magnitu-

dinem et utilitatem quarumlibet proniarum predictarum, et tam ea que nunc vacant, quam illarum que aliis collate sunt, et si vobis v bitur posse commode et habiliter in aliquo prerogativare nostrum d nium in dictis proniis sive earum aliqua, istud nobis summe place dando et conferrendo illas, que vacant, cum dictis oneribus et co tionibus, que per vos de novo imponerentur, illis personis, que v fideles et sufficientes videbuntur. Et super aliis, que non vacant, tal providendo, quod occurente casu, quod vacent, dari et conferri debe cum onere et conditionibus, que per vos fuerint terminate, ut nostr dominium omnem possibilem utilitatem habeat de proniis predictis, si est conveniens et honestum.

Ceterum volumus et vobis mandamus, quod tam in partibus Dura quam etiam in partibus et locis nostris Albanie examinare debeatis c ditiones salinarum et aliarum rerum et bonorum nostri comunis, pr dendo, disponendo et regulando illos, sicut vobis utilius videbitur maiori utilitate et comodo nostri comunis et securitate ipsorum locor Providendo de doaneriis et aliis officialibus cum illis salario et util tibus, que vobis iuste et rationabiles videbuntur.

Ceterum quia occurrere posset, quod supradictus dominus Bal sentiens vos esse in partibus illis, vellet esse et habere colloquium vo cum, sicut habere voluit cum ser Nicolao Erizo sindico ad dictas part in quo colloquio, sicut comprehendimus, faciet vobis fortasse aliquas quisitiones sive porriget capitula. Et etiam quia cupimus, quod i sit et remaneat in dilectione nostri dominii, ut loca nostra predicta st in pace, volumus, quod si ab eodem Balsa fueritis requisiti de aliquib qui sint levis importantie, nec sint alicuius detrimenti iurium et int tarum nostri comunis ac etiam sine periculo status nostri possitis talibus eidem complacere, sicut vobis tribus videbitur et apparebit. aliis autem, que non essent similis importantie, expediatis vos ab i cum bonis verbis, ut habeat causam standi in pace, et tamen de talil suis requisitionibus in hoc casu in vestro reditu vel ante, si vobis vi bitur, nostrum dominium particulariter informabitis, ut possit, sicut lius fuerit, postea provideri.

Insuper si in terris et locis nostris suprascriptis videretur vo necesse fieri facere aliquas reparationes et fortificationes seu alias p visiones utiles et opportunas pro statu nostro, damus vobis libertat possendi providere et facere, sicut vobis utilius et melius apparebit aptando et reparando fortilicia, que ad presens sunt in partibus il

Ab omnibus autem locis, in quibus eritis, debeatis de tempore tempus nobis scribere et informare particulariter et distincte de om bus, que feceritis et sequentur in suprascriptis vobis commissis, qua sepius poteritis pro nostro avisamento. Et datis illis bonis ordinibus factis illis provisionibus, que necessaria fuerunt, reverti Venetias in b gratia debeatis de omnibus per vos factis plenissime informati.

Et ex nunc sit captum, quod ipsi sindici debeant ascendere su galea culphi de Candida, que ventura est ad partes Istrie, et cum ire ad partes Albanie aut Durachii, sicut eis videbitur. Mandando co et capitaneo nostro Scutari, quod subito post suum recessum ipsis

dicis dare debeat ducatus CCCC. auri; qui sunt pro suo salario, et pecuniam necessariam pro suis expensis, sicut ab ipsis fuerit requisitus.

Ceterum sicut scitis pro emenda et satisfactione condigna danni dati alias viro nobili ser Marco Justiniano dilecto civi nostro ob captionem cuiusdam navis sue capte furtive per gentes et subditos ipsius Balse, mittimus illuc providum virum Johannem de Bonisio notarium nostrum, qui cum ipso Balsa de nostro mandato ipsam emendam et satisfactionem cum instantia petat; et considerantes esse utile, quod etiam per vos in praticis, que habebitis cum ipso Balsa, fiat aliqua instantia nostro nomine pro favore ipsius civis nostri; et ut satisfactionem suam habeat, ut est iustum, committimus vobis, quod captato tempore condecenti cum illis verbis, que vestre sapientie videbuntur, debeatis efficaciter requirere et rogare ipsum Balsam nostri parte, quod eidem placeat mandare et effectualiter providere, quod ipsi civi nostro de sua debita emenda et satisfiactione debite satisfiat, sicut de magnitudine sua speramus. Instando super hoc, quantum poteritis, ita quod nostra intentio sortiatur effectum. Prestando dicto notario circa recuperationem damni predicti pro favore ipsius civis nostri omne consilium, auxilium et favorem, ut ad optatum nostrum valeat pervenire. De parte 75, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 50 c. 172 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1414. 6. studenoga, u Mletcih.

Mletčani obaviešćuju papu o neuspjehu dogovaranja u Ferari u poslu mira.

(1414) 6. novembris. Capta. Quod scribatur sanctissimo domino pape in hac forma:

Considerantes, beatissime pater, ego meaque comunitas, sanctitatis vestre devotissimi filii, affectionem sanctitatis eiusdem, quam sincera dilectione ostendit, ut bona et perpetua pax sequi posset inter serenissimum dominum Sigismundum Romanorum et Hungarie regem etc. et nostrum dominium, et existentes, sicut continue fuimus, ad dictam pacem dispositi, disposuimus sanctitati vestre humiliter denotare, quod habentes informationem, prefatum serenissimum dominum regem mittere ad partes Ferrarie ambassiatorem suum virum egregium et honorandum magistrum Johannem Ambundi sacre theologie et decretorum doctorem, ut per medium et interpositionem magnifici et potentis domini Nicolai marchionis Estensis et magnifici Ugotionis pax et concordium tractaretur inter suam serenitatem et nostrum dominium, missimus Ferrariam ambassiatorem nostrum virum nobilem et sapientem Marinum Karavello procuratorem ecclesie nostre sancti Marci cum pleno et sufficienti mandato ad praticandum et tractandum pacem predictam super omnibus differentiis existentibus inter dictum serenissimum dominum regem et nostrum dominium, a quo nostro ambassiatore habuimus, dictum ambassiatorem regium solum libertatem habere non sufficientem tamen praticandi et tractandi pacem super factis imperii, pro ut in sindicatu et libertate sua apparet, cuius copiam sanctitati vestre mittimus presentibus introclusam, et expresse dixisse et dicere nullam aliam libertatem habere et nil aliud praticare velle. Nos vero considerantes, quantum impertinens et fruststorium esset praticare pacem super una differentia et super

aliis remanere discordes, dicto ambassiatori regio respondere fecimus, quod parati eramus pacem tractare, praticare et concludere cum dicto serenissimo domino rege Romanorum et Hungarie super omnibus differentiis inter partes existentibus, in casu quo ad hec libertatem haberet, quam si non haberet, poterat acceptum mittere. Cum per elapsum in omnibus praticis et tractatibus pacis, quos fecimus cum dicto domino rege et ambassiatoribus suis, omnes differentie partium fuerint insimul tractate et praticate. Et quia dictus ambassiator non fultus mandato et libertate ad plenum, sicut per eius sindicatum constat, recessit a tractatu pacis, conferens se ad presentiam domini regis, deliberavimus hec, pro ut secuta sunt, devotissime sanctitati vestre significare, ut clare videat et cognoscat nos fuisse et esse ad dictam pacem dispositos, pro qua habenda non semel set pluries ad diversas partes mundi nostros ambassiatores destinavimus, sicut sanctitati vestre liquide notum est. De parte omnes. (Item cardinali veneto, florentino, archiepiscopo Moguntino, Coloniensi, Trevirensi et Lodovico Bavarie electoribus, nec non duci Mediolani).

Secreta cons. rogator. VI. 21, u mlet. arkivu.

God. 1414. 20 studenoga, u Mletcih.

O utvrdjenju grada Zadra.

1414. die 20. novembris. Capta. Cum conservatio Dalmatie principaliter consistat in fortificando et reparando civitatem nostram Jadre taliter, quod in casibus opportunis status et honor noster ibi valeat conservari; et quia tota deffensio et fortificatio civitatis predicte consistit in fortificando et reparando castrum nostrum deinde, nam dictum castrum est fortitudo et deffensio unica dicte civitatis, et posset semper in omni casu sibi subvenire cum galeis et aliis navigiis tam de gentibus quam victualibus, quia est situatum ad marinam; vadit pars, attento quod dictum castrum non est in debita fortitudine, ymo omnino necessariis eget reparationibus, quod fossa ipsius castri, que est longitudinis passuum centum vel circa, fodiatur pedibus quinque plusquam sit ad presens, et ellargetur dicta fovea tantum, quod sit lata in buca pedibus XL pro maiori defensione castri, et debeat dicta fovea murari per totum a parte exteriori.

Insuper debeat duplari murus dicti castri, videlizet ille due facies dicti castri, que sunt a parte dicte civitatis, ut coniungantur cum muro dicti castri, qui murus fiendus sit grossitudinis pedum octo ultra grossitudinem presentem muri dicti castri, et sit illius altitudinis, cuius est coredorium dicti castri, super quo muro fiant merli et antipeti necessarii.

Preterea in angulo dicti castri, videlizet ibi, ubi est toresinus rotundus, fiat una turris grossitudinis pedum decem, lata passibus sex per quadram et alta pedibus decem plusquam muri dicti castri, que turris sit tota extra muros dicti castri, et sit tamen intra girlandam barbacani dicti castri. Remanentibus suspensis omnibus et singulis aliis provisionibus et fortificationibus terminatis fieri in Jadra usque diem presentem quousque venietur ad istud consilium, et super inde providebitur, uti fuerit opportunum. De parte 55, de non 15, non sinceri 11.

Secreta cons. rogat. VI. 23, u mlet. arkivu.

God. 1414. 18. prosinca, u Mletcih.

Odgovori na njeke prigovore spljetskih poslanika.

1414. die 18. decembris. Capta in collegio. Sapientes consilii Quod ad capitula nostro dominio porrecta per ambaxiatores comunitatis Spaleti respondeatur in hunc modum, videlicet:

Primo. Illustrissimo et felicissimo ducali dominio omni honore et debita reverentia cum recommendatione premissis tanquam domino nostro etc. Pro parte comunitatis ac nobilium civitatis Spaleti exponitur humilime, quod ad informationem sinistram Desse Jacobi alias civis Spaleti nunc vero civis alme dominationis vestre civitatis Sibenici fuerunt et sunt sequestrata bona et redditus nostre metropolitanis ecclesie ac specialium personarum civium nostrorum in dicta vestre dominationis civitate Sibenici existentes et assignate dicto Desse, in grande damnum dicte ecclesie nostre et nostrorum concivium. Et quia nobis nunquam talis novitas fuit illata, nisi ex quo dicta civitas Sibinici pervenit sub excellentissimo vestro dominio, cum idem Dessa propter eius exigentia demerita extitit et est per sententiam comunis Spaleti in persona et ere, iam circa sunt decem anni, sententiatus, suaque bona dicto comuni Spaleti confiscata, ut patet per copiam sententie vestro gloriosissimo dominio presentatam. Quare vestrum prefulgidum dominium prece humilima rogitamus, ut ob respectu iustissime dominationis vestre placeat et dignemini dictum sequestrum per vestras gratiosas literas cassare, et dictum Dessam ad restitutionem receptorum compellere etc. 'Parati semper ad omnia vestre dominationis servicia et mandata. Respondeatur, quod in omnibus nobis possibilibus libenter complaceremus illi comunitati Spaleti, sed propter promissiones, quas fecimus non solum ser Desse in speciali sed etiam comunitati nostre Sibenici, non possemus cum honore nostro illud sequestrum removere, nec eis complacere, nisi in casu quo fieret restitutio dicto ser Desse per comunitatem Spaleti de bonis suis, sicut alias eis scripsimus et oretenus dici fecimus.

Item quia vir nobilis Ciprianus Zanini, civis noster, habuit quodam magazenum in vestre dominationis insula Pagi, in quo temporibus retroactis idem Ciprianus reposuerit de suo sale certam quantitatem, quam Jadrenses tempore rebellionis dicti Pagi receperunt, et dictum magazenum desuexerunt, precamur, ut Antonio filio dicti Cipriani vestre dominationis mediantibus literis ius in vestre dominationis civitate Jadrensi ministretur etc. Dicimus, quod quia difficile nimis esset et quasi impossibile nobis reformare novitates et alia, que facta sunt in partibus Dalmatie tempore dominationum preteritarum, antequam terre et loca illarum partium pervenirent ad manus nostri dominii, non videtur nobis posse facere id, quod requirunt.

Item quia galea Candide vestri dominii, que solita erat manere in Jadra et Sibenicum, civitates excellentissimi vestri dominii, multitudine transeundo Almissium, victualia et arma defferendo inimicis nostre civitatis Spaleti, veniens dicta galea Spaletum de Almissio, nobis dixit eius capitaneus, ut non deberemus exire cum nostris barciis contra dictos Almissenses, qui multa mala nostris civibus inferebant, quum ipse dixerat dictis Almissensibus, quod non deberent exire contra Spaletum, et tunc

nos, confisi verborum dicti capitanei, de custodia solita cum barchis nostris non curavimus, ipsi Almissenses sub eo velamine exeuntes, quatuor barchas ex nostris interceperunt et homines decem. Quare affectuose vestram inclitam dominationem exoramus, ut predictis debitum remedium vestra adhibeat dominatio etc., offerentes nos semper ut sibi. Libeat sublime dominationi vestre celerem nobis prebere expeditionem. Dicimus, quod nos non haberemus aliquam informationem de his, que in sua expositione dicunt; et si patronus illius nostre galee aliquid dixit eis et illis de Dalmissa, quod tamen nobis ignotum est, id non processit de scitu vel coscientia nostra. Et propterea ipsi possunt in factis suis, que habent agere cum illis de Dalmissa, providere, sicut eis videtur et placet, quia de talibus nos non inpedimus nec inpedire disponimus. De parte omnes alii, non 0, non sinceri 2.

Misti. L. 182, u mlet. arkivu.

God. 1415. 15. siečnja, u Mletcih.

Ovlašćen Gjorgj Zadulini Zadranin, da primi ponudjeno mu načelništvo Kotora.

1414. die 15. ianuarii. Capta. Sapientes consilii. Cum comunitas Catari eligerit suum potestatem dominum Georgium de Zadulinis de Jadra, qui est hic, et fecerit rogari nostrum dominium, quod dignetur de hoc esse contentus, et similiter exposuerit dictus dominus Georgius; vadit pars, quod respondeatur utrique eorum, quod in complacentiam illius comunitatis et ipsius domini Georgii contentamur, quod possit ire ad dictam potestariam per modum, quo eligerant eum. Et ad complementum sui regiminis teneatur venire Venetias, et se nostro dominio presentare. De parte 62, non 16, non sinceri 3.

Misti. L. 187, u mlet. arkivu.

God. 1415. 6. veljače, u Mletcih.

Mletčani zahtjevaju od Dubrovčana namirenje štete učinjene njihovim podanikom na otoku Torkuli kod Hvara.

1414. die sexto februarii. Capta. Cum per querellam aliquorum subditorum et fidelium nostrorum ac etiam per litteras nobilium virorum ser Donati de Porto et ser Luce Truno provisorum nostrorum ad partes Albanie fuerimus informati, quod existente quadam nostra barcha, cuius erat patronus Stefanus de Durachio, et in qua erant etiam marinarii et aliqui alii nostri fideles, ad portum Torcule districtus Liesne, aliqui ex hominibus Torcule tempore noctis agressi fuerunt dictam nostram barcham et existentes in ea, graviter vulneraverunt patronum et spoliaverunt ipsos nostros subditos omnibus eorum pecuniis atque bonis ad valorem ducatorum circa CCCLXX. Et facta de ista novitate querela et instantia per dictos nostros provisores, qui tunc se reperiebant in partibus illis, apud comitem Liesne et apud regimen Ragusii pro punitione malefactorum et emendatione sive restitutione damnorum, videtur, quod tam regimen Ragusii, ad quos principaliter attinet, quam illi de Liesna nullam provisionem fecerunt, et dederunt verba dictis nostris

provisoribus et etiam damnificatis. Et cum tales novitates et vituperose iniurie nullo modo sint sopportande tum pro honore nostro quam propter damna et incommoda, que sequerentur civitati nostre, si talia navigia, que quotidie vadunt et veniunt cum victualibus, impedirentur et spoliarentur tali modo, et etiam indemnitate subditorum nostrorum, quos conservare debemus, quia vivunt sub spe et protectione nostra; vadit pars, quod mandetur provisoribus nostri comunis, quod subito debeant intromittere de bonis Raguseorum in Venetiis existentibus ad summam ducatorum quadringentorum auri, et ipsa bona sic teneant intromissa, donec per istud consilium eis aliter ordinabitur, ut si erit expediens, possit satisfieri dictis nostris subditis damnificatis. Et quia credendum est, quod Ragusei hic existentes venient ad dominium propter eiusmodi intromissionem, se excusantes vel petentes revocationem talis intromissionis, ex nunc captum sit, quod dici debeat dictis Raguseis, narrando primo substantiam facti et novitatem factam nostris et honestatem, quam observaverunt tam sindici nostri quam dicti damnificati in habendo recursum ad regimen Ragusii et Liesne, licet nihil profuerit, quod nostra intentio est, quod omnino fiat debita et integra satifactio dictis nostris damnificatis. Sed tamen pro observando omnem honestatem possibilem et pro eorum complacentia, si volunt scribere et tenere modum cum sua comunitate, sub cuius iurisditione dicta novitas facta est, quod fiat debita et integra restitutio vel emenda damnorum hic in Venetiis, et si facta fuerit, nos faciemus removeri predictam intromissionem. Et si erunt contenti hoc facere cum effectu usque ad aliquem terminum competentem per collegium limitandum, dicta intromissio teneatur sic in sequestro usque ad terminum, qui dessegnabitur eis. Sed si in dicto termino non erit facta debita satisfatio nostris, tunc venietur ad istud consilium, et providebitur, sicut fuerit opportunum pro indemnitate subditorum nostrorum. De parte 82.

Leonardus Mocenigo sapiens consilii. Vult, quod istud negotium differatur pro nunc, et postea venietur ad unum aliud consilium, et providebitur, sicut fuerit opportunum.[1] De parte 11, de non 2, non sinceri 1.

Senato. Misti. Vol. 50 c. 196 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1415. 9. veljače, u Mletcih.

Dopušća se Gjorgju Zadulinu iz Zadra, koj odlazi za načelnika u Kotor, da odvede sobom jednoga od svojih sinova.

1414. die 9. februarii. Capta. Consiliarii. Quod concedatur discreto viro Georgio de Zadulinis nobili civi fideli nostro Jadre ituro in potestatem Catari de nostra voluntate et scientia, quod possit conducere secum ad dictum regimen unum ex filiis suis existentibus hic Venetiis de mandato nostro, qui ei placuerit. De parte omnes.

Misti. L. 195, u mlet. vieću.

God. 1415. 13. veljače, u Mletih.

Još o namirenju škoda učinjenih mlet. podanikom kod Hvara.

1413 die 13. februarii. Capta. In collegio. Quod in executione partis pridie capte in rogatis, per quam intromissum fuit de bonis Raguseorum per nostros provisores comunis ad summam ducatorum IIII. centum auri pro derobatione et novitatibus illatis uni nostre barche ac marinariis et bonis in illa existentibus per illos de Liesna subditos Raguseorum in portu Torcule, sicut in dicta parte distinctius continetur, statuatur terminus dictis Raguseis, qui de dicta intromissione conqueruntur, et debeant fecisse debitam et integram satisfactionem dictorum damnorum, que sunt ad summam ducatorum CCCLXX vel circa usque per totum mensem maii proximum. Et si facta fuerit infra dictum terminum, bene quidem, et eo casu removeatur dicta intromissio sive sequestrum, et restituantur bona sequestrata illis, ad quos pertinent, libere et sine aliqua contraditione. Set si non facta fuerit dicta satisfactio in dicto termino, tum provideatur de satisfactione damnificatorum nostrorum de dictis bonis intromissis secundum formam partis suprascripte. De parte 16, de non 0, non sinceri 1.

Senato. Misti. Vol. 50 c. 196. tergo, u mlet. arkivu.

God. 1415. 21. ožujka, u Mletcih.

O izboru kneza Šibeničkoga.

1415 die XXI. mensis marcii, indictione octava. Quod comes Sibinici fiat et eligatur per quatuor manus electionum in hoc consilio, sicut alias captum fuit, cum familia, conditionibus et modis alias captis. Verum sicut nunc habet de salario in anno et ratione anni ducatos auri septingentos, addantur sibi ducati centum auri de salario in anno et ratione anni, ita quod habeat ducatos auri octingentos in anno de salario. Et habeat de cetero illum terminum ad respondendum et ad recedendum, quem habent ceteri rectores nostri de ultra Quarnarium. De parte 470, de non 10, non sinceri 6.

Maius consilium. Leona 240, u mlet. arkivu.

God. 1415. 26. ožujka, u Mletcih.

Naputak za pomorskoga kapetana iduća u Dalmaciju i u istok.

1415, die 26. martii Capta. Quia est necessarium dare ordinem capitaneo nostro generali culphi in isto suo recessu de Venetiis, vadit pars, quod committatur et mandetur dicto capitaneo, quod facta in partibus Pole circa galearum sibi commissarum debeat, ire Jadram pro ortamine fidelium nostrorum deinde, et deinde Sebenicum, ubi esse debeat cum comite nostro illius loci et ab eo sumere omnem informationem possibilem de termino et conditione, de qua se reperiet castrum Dalmisse, qua informatione habita, si dicto capitaneo culphi et comiti Sibinici videbitur necessarium, debeat ipse capitaneus noster culphi ire ad dictum locum Dalmisse, dando operam de loquendo cum capitaneo ipsius castri, quem ortari debeat, quod sit virilis animi ad sustinendum

locum illum, offerendo se prestaturum eidem favorem et subventionem possibilem, ut ipsum locum viriliter valeat defendere et sustinere ad honorem domini sui; quod si facere sperabit, in isto casu debeat ipse capitaneus culphi de rebus, quas habebit super nostris galeis, subvenire ipsi castro, pro ut eidem videbitur opportunum ut sustineri valeat cum quam minori incomodo poterit galearum nostrarum. Quando vero ipse capitaneus dictam subventionem acceptare nollet, quia dubitaret posse castrum illud tenere, tunc et in isto casu, ne vadat ad alienas manus, debeat ipse capitaneus de consensu capitanei ipsius castri de dando illud nostro dominio, ipsum castrum acceptare et accipere nomine nostri dominii, intelligendo se taliter cum comite nostro Sibinici, quod in hoc casu de uno fido et sufficienti capite cum sotiis fidis et aliis opportunis pro custodia, sicut opus fuerit, prestissime provideatur. Et posito illo castro in sufficienti custodia, debeat ipse capitaneus subito licentiare unam ex duabus galeis, que secum erunt, committendo supracomito illius, quod vadat prestissime et directe Corphoi, ubi sit cum regimine ipsius loci, et se informet, si in aquis illis circumstantibus se reperirent adhuc illa gallea et galeota Siculorum, de quibus ipsum regimen pridie nobis scripsit sive aliquod aliud fustum, quod damnificasset aut damnificare quereret navigia et subditos nostros. Et in casu quo ipse galee seu aliud navigium conditionis predicte foret in aquis illis, debeat illas seu illud insequi, et contra illos procedere secundum formam sue commissionis. Et expeditus a dictis partibus Corphoi, vadat Mothonum, et se presentet ibi pro ortamini fidelium nostrorum de inde, expediendo se ab inde quanto prestius poterit, eundo postmodum directe Nigropontem, avisando regimen de inde, quod per aliquot dies post ipsum illuc accessurus est capitaneus noster culphi cum allis galeis nostris. Et propterea ut ipse capitaneus sine dilatione possit adimplere jussa nostra, debeat ipsum regimen parari facere et paratam tenere in bono puncto galeam nostram Nigropontis, ita quod in applicatione ipsius capitanei Nigropontem ipsam galeam paratam inveniat, ut secum habere possit armatam. Et dato dicto ordine, debeat ipse supracomitus se conferre ad presentiam domini duche Egiopelagi, et eidem exponere parte nostra, quod nostra dominatio, vigilans toto mentis affectu ad quietem et securitatem illarum partium, deliberavit de brevi ad partes illas transmittere capitaneum nostrum culphi cum galeis nostris. Et propterea ut potenter oviari possit pravis machinationibus et voluntatibus ipsorum Turchorum, et vigilari potenter ad damna et exterminium ipsorum, placeat magnitudini sue respectu istius fructosi operis et comunis comodi preparari facere galeam suam, ita quod in applicatione ipsius nostri capitanei ad partes illas ipsam galeam secum habere possit occasionibus suprascriptis. Et exposita ambaxiata predicta, et audita responsione sua, debeat ipse supracomitus reverti Nigropontem, vigilando ad custodiam ipsius insule et aliorum locorum nostrorum circumstantium simul cum aliis nostris galeis, que ibi essent, quarum ipse sit vicecapitaneus usque ad accessum ipsius capitanei nostri culphi ad partes illas. Et si in ista via sua usque Nigropontem ipse supracomitus reperiret aliquam galeam Candide, que veniret versus Dalmatiam, notificet supracomito, quod veniat presto Jadram, ubi inveniet ordinem, quem observare

habebit. Capitaneus vero, licentiata galea predicta, ut est dictum, debeat ire ad partes Albanie, et se presentare super bucca fluminis Boyane pro securitate locorum et examine fidelium nostrorum deinde. Et recedendo deinde, vadat Durachium, ubi accipiat illum brigantinum, qui ibi est, quem pro hac causa jam multis diebus parari fecimus, fulciendo illum hominibus galearum, itaquod secure ire possit usque Mothonum. Et expeditus de Durachio, vadat Avalonam, et ibi esse debeat in secreto cum domina illius loci, quam nostri parte debeat amicabiliter salutare et exponere, quod, sicut scit, ipsa ad nos misit ambaxiatorem suum, qui non habebat libertatem sufficientem ad ea, que exposuit parte sua. Et propterea in casu quo ipsa sit constans in proposito nobis significato per predictum ambaxiatorem, potest mittere Venetias nuntium suum cum libertate sufficienti, quia ipsa reperiet nostrum dominium, sicut continue fecimus, paratum ad ea, que sint honesta et convenientia ac grata magnitudini sue. Et audita responsione sua ad predicta, debeat ipse capitaneus eandem requirere et rogare instanter, quatenus eidem placeat dare et assignare ipsi capitaneo illa iperpera 1557, in quibus condam vir suus nostro dominio tenebatur, sicut ipsa scit. Et facta omni instantia possibili de habendo ipsam pecuniam, et sumpta omni informatione possibili de situ et introitibus locorum ipsius domine, de quibus nos debeat post modum informare, debeat ire Corphoi, et deinde Mothonum, consignando brigantinum illum castellano nostro Mothoni, qui illum mittat postea Coronum, nam volumus, quod illic remaneat, ut operari possit in casibus occurrentibus secundum quod a castellano nostro Coroni fuimus instantissime requisiti. Expeditus vero de Mothono, debeat ipse capitaneus solicite, quantum poterit, ire Nigropontem, ubi subito esse debeat cum regimine nostro Nigropontis pro sentiendo ab eo, si aliqua ligna Turchorum erunt extra aut exitura, et sumptis informationibus oportunis super hoc et aliis, que tunc ipsi capitaneo videbuntur, debeat ipse capitaneus facere armari galeam Nigropontis, et scribere etiam ac requirere galeam domini duche Egiopelagi, quam solicitet habere prestissime quantum poterit. Quibus galeis secum habitis, possendo etiam armari facere galeam nostram de Neapoli Romanie, si fuerit necesse secundum nova, numerum ac potentiam fustorum Turchorum, debeat ipse capitaneus, in casu quo aliqua fusta sint extra vel exitura, illa prosequi, capere et intromittere, vigilando ad destructionem et exterminium ipsorum sicut sue prudentie utilius et comodius apparebit non offendendo tamen illos intus strictum Constantinopolis. Quo facto, et etiam in casu quo armatis et habitis dictis galeis domini duche et Nigropontis, aliqua fusta Turchorum tunc extra seu exitura non forent, debeat ipse capitaneus culphi cum galeis nostris culphi, quas secum habebit, illa de Nigroponte et domini duche Egiopelagi, ire ad strictum Constantinopolis, eundo sursum versus Constantinopolim per miliaria XXV. citra Constantinopolim. Mittendo deinde unam de galeis predictis usque Constantinopolim ad persentiendum a baiulo nostro Constantinopolis quicquid fecit super materia ambassiarie sibi commisse cum Turcho, ad sentiendum etiam quecumque alia nova, que illic relatu digna quomodocumque poterit persentire; avisando ipsum baiulum, quod in casu quo conclusisset pacem cum ipso Turcho, procuret etiam includere

in illa dominum ducham Egiopelagi et loca et subditos suos. Et si nundum concluxisset, debeat, quando erit ad hoc cum ipso Turcho, includi facere ipsum dominum et loca et subditos suos, si erit possibile. Et in casu quo ipse ambaxiator vellet cum dicta galea conduci seu tragitari a latere Turchie pro eundo ad Turchum, debeat, ipse supracomitus ipsum levare et conducere, non deferrendo tamen pro hoc in illis partibus. Committendo dicto supracomito, quod vadat cum bona advertentia, ne dimittat in Constantinopoli aliquem hominem descendere in terram, et quod vadat et revertatur cito. Ad cuius reditum cum informationibus et novis predictis debeat ipse capitaneus, faciendo voltam per Turchiam veniendo per ante loca Palatie et Altiluogi, ostendendo se in ipsis locis et inferrendo omnia damna, que poterit subditis domini Altiluogi et similiter subditis domini Palatie, si non observaret pacem, quam habet cum nostro dominio, reverti Nigropontem, ubi resonantibus novis Turchorum, qui sint extra vel exituri, stare debeat, nutriendo se in aquis illis circumstantibus, quousque aliud mandatum a nobis habuerit. Scribendo nobis de omnibus novis, que senserit, pro nostra informatione. Quoniam vero in dicto suo reditu vel postea videretur ipsi capitaneo respectu novorum resonantium, quod mora sua non esset necessaria aut fruttuosa in partibus illis, tunc, dimissis ad custodiam ipsius insule Nigropontis et aliorum locorum nostrorum deinde una galearum nostrarum Candide et illa de Nigroponte, debeat venire Mothonum et deinde Corphoi, et in aquis illis circumstantibus expetare mandatum nostrum. Et antequam recedat de Nigroponte debeat cambire galeam de Nigroponte cum una ex duabus galeis nostris, que sunt commisse supracomitis de Venetiis, cum illa videlicet, que erit melior, licentiando galeam domini duche Egeopelagi in illo loco, qui ipsi capitaneo videbitur, et informando nostrum dominium de omnibus, que fecerit et habuerit tam de partibus Constantinopolis quam aliunde, ut de omnibus sumus plenissime informati.

Verum quia posset occurere, quod de tribus galeis, que armari debuerunt in Candida, pro ut captum est in isto consilio, due transmitterentur per ipsum regimen in culphum nostrum ad partes Dalmatie, nec sit opus, quod in dictis partibus remaneat ultra unam galeam respectu vie, quam ipse capitaneus facere habet, et casuum, qui possent occurrere, pro quibus est necesse, quod vadat potens ad partes superius declaratas, committatur ipsi capitaneo, quod in Jadra, Corphoi et Mothono det et dimittat ordinem, quod applicante ad aliquem ipsorum locorum tertia et ultima galea, que armata est Candide, illa tertia galea debeat venire Jadram, et mittere se in aquis Dalmatie secundum ordinem et mandatum, quem habebit a regimine nostro Jadre. Et simile mandatum faciat ipse capitaneus supracomito dicte tertie et ultime galee oretenus, si casualiter ipsum experierit eundo. Secunda vero galea armata Candite, ut est dictum, debeat, reperiendo illam, ducere secum et tenere, dimittendo ad cautellam, in casu quo illam non reperiret, ordinem et mandatum in dictis locis Jadre, Corphoi et Mothoni, quod ipsum capitaneum sequi debeat usque Nigropontem, ubi ipsum reperiet.

Et quia vir nobilis ser Marcus Miani civis noster habere debet a nonnullis subditis supradicte domine Avalone pro mercationibus sibi datis nonnullas pecuniarum quantitates, committatur ipsi capitaneo, quod ex-

petitur ab ipsa domina, ab his, que superius eidem sunt commissa, debeat tandem nostri parte amicabiliter deprecari, quatenus eidem placeat ipsi civi nostro ... factori, quem ... habet, ... quod habere debet, facere integraliter solvi et satisfieri sicut ... et debitum est et de magnificentia sua speramus.

Ulterius mandetur viro nobili ser Marco Grimani supracomito galee Nigropontis, quod sub pena capta pridie in isto consilio debeat cum illa galea, que primo ibit Nigropontem, vadat Nigropontem ad sollicitandum preparationem galee nostre ibidem, ut sit in ordine tempore debito, ut superius dictum est. De parte 22.

Capta. Ser Leonardus Mocenigo sapiens consilii.

Vult commissionem suprascriptam per ordinem, ut est dictum, salvo quod non vult, quod capitaneus vadat ad castrum Dalmisii, sed quod exequatur viam suam de Sibinico ad partes Albanie et alibi, sicut superius dictum est. De parte 68, de non 2, non sinceri 5.

Senato, Misti. Vol. 51 c. 15 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1415. 10. svibnja, u Mletcih.

Odgovara se na molbe poslanika vojvode Hrvoja.

1415 die 10. maii. Capta. Comparuit ad presentiam nostram unus ambassiator magnifici domini ducis Cravoie, et ultra recomandationem factam nostro dominio de domino suo prefecto exposuit, quod dictus dominus offerebat personam et statum suum nostro dominio, quia est bonus amicus noster et non intendit modo aliquo a beneplacitis et voluntatibus nostris recedere, et quod paratus est castrum Dalmisii, quod habet et tenet ad omnem beneplacitum nostrum, ponere in manibus nostri dominii. Insuper rogat nostrum dominium, ut velimus eidem complacere de certa quantitate salnitri et aliquibus funibus necessariis pro manganis, et ut possit recuperare terram Spalati; rogat nostrum dominium ut velimus eidem dare nostrum subsidium per mare. Et similiter velimus rogare dominam Johannam secundam reginam Apulee, quod eidem duci Cervoie det subsidium ad recuperandum civitatem predictam, et mandare nostro consuli, quod hoc penes dictam dominam reginam procuret. Ultimate rogavit nostrum dominium, quod si perveniremus ad pacem cum domino rege Romanorum, placeat nostro dominio eundem dominum Crevoiam in dicta pace includere pro parte nostra, quia est dispositus et sic promittit nostro dominio, quod nunquam faciet pacem cum dicto rege nisi in ea includatur nostrum dominium etc. Vadit pars, quod respondeatur dicto ambassiatori, quod multum regratiamur dicto duci Cravoie de optima et bona intentione sua quam habet erga nostrum dominium, declarando eidem, quod dictum dominum ducem habuimus et habemus et habere intendimus in bonum et carissimum amicum nostrum.

Ad factum autem Dalmisii respondemus, quod similiter regratiamur sue magnificentie de oblatione sua de volendo in manibus nostris ponere dictum castrum, et dicimus, quod plus placet, quod dictum castrum sit in manibus suis, reputamus quod sit in manibus nostris.

Super requisitione autem salnitri et cordarum pro manganis sumus

contenti concedere, quod possit ad beneplacitum suum de dicto salnitrio et funibus extrahere. Et ut dictus dominus Crevoia cognoscat bonam intentionem nostram, dari debeant dicto duci Crevoie et consignari dicto ambassiatori atque milliaria duo salnitri, et tot funes, quot sint sufficientes pro duobus manganis, que solvantur de denariis nostri comunis.

Ad requisitionem autem quam facit, ut velimus sibi subsidium nostrum per mare exibere, ut posset recuperare civitatem Spaleti, respondeatur, quod dictus dominus debet esse certissimus, quod in cunctis possibilibus semper complaceremus sue magnificentie, set pro multis respectibus non videmus, quod pro presenti possimus cum honore nostro sue magnificentie complacere; set pro dicto subsidio sibi dando per dominam reginam scribemus consuli nostro Apulee in illa forma, que erit rationabilis et honesta.

Super facto autem, quod requirit et rogat nostrum dominium, quod si perveniremus ad pacem cum domino rege Hungarie, dignemur ipsum in dicta pace includere etc., respondeatur, quod, sicut superius diximus, nos amamus personam dicti domini Crevoie et statum suum tanquam amicum nostrum carissimum, et licet videamus, quod non possumus ad pacem venire cum dicto rege, tamen si perveniremus ad aliquem tractatum pacis cum dicto rege, dictum ducem Crevoiam et statum suum habebimus recommissum. De parte 101, de non 4, non sinceri 0.

Secreta cons. rogat. VI. 49, u mlet. arkivu.

God. 1415. 16. svibnja, u Mletcih.

O tvrdjavici u Rabu.

MCCCCXV. die XVI. maii Sapientes consilii et ordinum. Capta. Cum in terra nostra Arbi sit quedam turris apud portum, in qua sunt certe page, que nullius sint utilitatis, quia dicta turris taliter situata est, quod a civibus terre Arbi nullo modo deffendi posset, pro cuius custodia expenduntur anno singulo ducati sexcenti et ultra, et utile sit evitare expensas predictas pro bono nostri comunis; vadit pars, quod scribatur et mandetur comiti nostro Arbi, quod recepto presenti nostro mandato cassare debeat comestabilem et pagas existentes ad custodiam turris predicte, et solum deputari debeat et teneri in dicta turri page due cum soldo librarum usque octo in mense, prout melius facere poterit, que due page erunt sufficientes ad providendum, quod dicta turris teneatur in ordine, quia pro presenti dicta turris non eget aliqua alia custodia; et possit ponere pro dictis duabus pagis de civibus Arbi, prout dicto comiti melius videbitur. Et debeant dicte due page de anno in annum cambiri. De parte 87, de non 4, non sinceri 3.

Misti LI. c. 23, u mletačkom arkivu.

God. 1415. 16. svibnja, u Mletcih.

Odgovara se na molbe pažkih poslanika.

1415. die 16. maii. Capta. Sapientes consilii. Quod ambaxiatoribus comunitatis Pagi ad capitula per eos nostro dominio porrecta respondeatur in hac forma, videlicet:

Primo de hedificar el castello de Pago, el qual si e za gran parte

fato per la nostra signoria dogal per utele e segurtade de quei de Pago fedel servidori de la prefata signoria et anchora per terrore de queli de Zara, si che per gran parte de lor ano le soe richeze in questa isula, e si per che voiando lor straniar, come ano fato algune fiade, questo castello, i seria el mortal nemigo, i fariali gran danno, e lor niente poriano a nui nuoxer; e questo, che ne muove a dir queste cussi fate parole, si e solamente la gran caritade, che nui portemo ala nostra signoria per lo bon stado, che nui avemo, per che e non volessemo per lo avenire, che per l altrui defeto nui possemo mai tornar soto el rezimento, de Zaratini, e questo nui domandemo de gratia special. — Respondeatur, quod, considerata fidelitate fidelium nostrorum Pagi, placet nobis, quod possint dictum castrum suum percomplere, et mandabimus comiti nostro Pagi et successoribus suis, quod secundum partem captam in nostris consiliis rogatorum et additionis et scriptam comiti Pagi, debeant ad complementum dicti fortilicii attendere.

Secundo. Per che le piaxesto ala nostra dogal segnoria de asentarne dal rezimento de Zara in tute le cosse temporal, nui pregemo la nostra signoria, che li piaqua de consentirne, che anchora siamo axentadi del so rezimento spiritual, che nui possemo impetrar dal sancto padre uno vescovo, el qual seria molto utele per le anime de questi nostri fideli servidori, perche l arzivescovo de Zara ogno ano scuode queste decime, e manza tute queste intrade contra debito de raxon, perche el non fa et so dever verso de nui, e si non par ne vien in Pago, salvo che de tal fiade elo vien a mezo avosto, et anchora in quela fiada el vol, chelo i sia fato le spexe, e per questo cussi fato rezimento el non se cognosse in Pago prieti da mondani; et anchora soura tuto, el se tien in comenda una abadia de san Piero, la qual sempre e stada abadia abitada et oficiada, la qual ha de intrada oltra duc. cento d oro, la qual el dicto arcivescovo si galde e manza contra dio e ogni humanitade, per che in quela abadia non solamente che la non stada oficiada, ma pezio chel non ge sta ne chan ne cristian, e a questo partido quelo luogo si va in dessolation e in ruina, e per questa caxon nui suplicemo a la nostra segnoria misericordiosa, sempre uxada de sovegnir ai suo subditi e fideli, che i piaqua de asentirne, e questo e, che in questa caxon nui possamo esser simel ale altre isole, le qual ano uno vescovo per le raxon e caxon sovradite. — Respondeatur, quod sicut scire possunt pro presenti propter divisionem ecclesie non possent attendere ad habendum episcopum, sed ut in dicta nostra insula celebrari possint divina offitia, mandabimus comiti nostro Pagi et successoribus suis, quod de decimis, quas archiepiscopus Jadre habet in insula nostra Pagi, debeant intromittere illud, quod erit necessarium pro possendo habere clericos, qui celebrant et faciant divina offitia; et ultra mandabimus eidem et successoribus, quod debeat intromittere et sequestrare omnes redditus et proventus spectantes et pertinentes abbacie sancti Petri, quam dictus archiepiscopus habet in comendam, providendo, quod in dicta abbatia sint abbas et monachi, qui celebrent divina offitia, et dictis talibus abbati et monacis detur illud, quod erit neccessarium pro vitu eorum monachorum, et residuum detur archiepiscopo predicto; et sic scribi et mandari debeat comiti nostro Pagi et successoribus.

Tertio. Per caxon, che le al presente in questa terra molti statuti e molte leze, per le varietade de le signorie, che nui avemo abudo, per che ele de molti de queli capitoli, che revocha e mitiga l un de l altro, e vien a meter confusion ne le mente de queli, che ano a zudegar; e per questa caxon nui supplicemo ala nostra segnoria, che ve piaque de confermarne questo volume de scritura per nostro statuto e leze, revocando da qua innanti tuti altri statuti e leze. — Respondemus, quod sumus contenti dicta statuta confirmare. Sed super facto iudicum, qui sedere debent apud nostrum comitem, volumus, quod observetur illud, quod eisdem concessimus per nostrum privilegium.

Quarto. Suplichemo ala vostra signoria gratiosamente de li confini, li qual a fato el conte de Zara, li qual non fo magi, pagando la trata, non potemo pasare li diti confini soto la montagna; anchora una barcha, volendo andare ad Obrovas cum uno mozo de sale, pagando la trata a lo conte, fo trovata, e si fo venduta a Zara; per tanto pregemo la vostra signoria, che ve piaza de provedere, per che non pora vivere li vostri fedel servidori. — Ad factum autem confinium positorum per comitem Jadre respondemus, quod quia non habemus informationem, volumus super hoc informari a rectoribus nostris Jadre, et habita informatione, respondebimus, sicut videbimus opus fore. De parte 87, de non 5, non sinceri 0.

Senato. Misti. LI. 22, u mlet. arkivu.

God. 1415. 28. svibnja, u Mletcih.

Radi njekoga duga meće se veća daća na dubrovačku trgovinu.

1415 die 28. maii. Capta. Cum alias ad peticionem aliquorum nostrorum civium habere debentium a quodam Raguseo, qui de Venetiis aufugit, satis bonam pecunie sumam, data seu facta fuerit represalia contra Raguseos et comunitatem Ragusii pro ut est notum. Et sit humanum et utile, in quantum fieri posset, invenire aliquem bonum modum et medium, per quem cives nostri prefati veniant ad habendum solutionem suam per modum, quod non cogamur alias provisiones facere, cum ipsi cives nostri de hac determinatione nostra sint contentissimi, et omnes coram nostris supraconsulibus istud ratificaverint, sicut clare constat ad ipsum offitium, et ipsi Ragusei similiter debeant ad istud condescendere; vadit pars, quod de cetero pro omnibus mercationibus, que quomodocumque per Raguseos pro portando seu mittendo ad quecumque locum vellint, et per quoscumque alios extrahentur de Venetiis pro portando Ragusium et ad alia loca subdita ipsi comunitati Ragusii solvatur officialibus notris tabule ultra alia datia, que solvuntur ad presens, una pro centenario, de qua ipsi officiales tabule tenere debeant computum ordinate de per se. Et de mense in mensem totam pecuniam, quam exigent de ratione dicte unius pro centenario, assignare debeant nostris supraconsulibus, quibus commitatur et mandetur expresse, quod ipsam pecuniam de tempore in tempus, sicut eiis fuerit assignata, dividere debeant per ratam inter ipsos cives nostros habere debentes occasione ipsius represalie. Et ex nunc sit captum, quod dicta pecunia, que exigetur vigore ipsius impositionis, non possit expendi seu dispensari,

pro aliqua alia causa nisi in satisfaciendo ipsis nostris civibus et fidelibus habere debentibus, ut est dictum, sub pena ducatorum mille pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium. Declarando etiam, quod facta satisfactione ipsis civibus nostris de eo, quod habere debeat causa predicta, presens impositio sit cassa, nec amplius ex tunc in antea exigatur ullo modo. Et insuper sit captum, quod Ragusei possint venire et stare ac recedere de Venetiis cum bonis et rebus suis libere et sine ulla molestia, sicut poterant antequam data fuisset dicta represalia, solvendo tamen, sicut superius dictum est. De parte 84, de non 8, non sinceri 1.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 24, u mlet. arkivu.

God. 1415. 11. lipnja, u Mletcih.

Nalaže se Hvaranom, da njeke štete poprave, i daje se nalog, da se njihova imanja uzapte.

1415. die 11. iunii. Capta. Quod in favorem nonnullorum nostrorum civium damnificatorum prope insulam Liesne scribatur regimini ipsius loci nostre littere in forma infrascripta, videlicet:

Gravat nos immense audire tot lamentationes et querellas, quot dietim nostro dominio per certos nostros cives et subditos de subditis et fidelibus vestris proferuntur, qui in partibus vestris a vestris diversimode cotidie derobantur, nec aliter quam si essent publici inimici vestri tractantur; que res, quantum sit nostro dominio merito tediosa, vestra prudentia, cui de hoc noticiam dare voluimus, plenius considerare potest. Hoc enim dicimus, quia nunc nuper expositione prudentis viri Johannis Boni Ludovici civis nostri, patroni unius nostre cochine, displicenter audivimus, quod dum foret ad insulam vestram prefatam citra sanctum Georgium circa milliaria tria in quoddam portu, stetissetque illic per spacium, sperans tute tamquam in locis amicorum stare posse, supervenerunt barche sex de Liesna, et absente dicto patrono insultum fecerunt contra ipsam navim, quam cum auxilio multorum vestrorum fidelium, qui erant in terra, quique favorem prestarunt aliis, qui preliabantur ipsam navim, ceperunt, et omnibus bonis ac arnexiis sive corredis navis ostiliter derobarunt ad valorem inter pecunias et res alias, naulum navis et pagas marinariorum solutas, sicut per solenem examinationem factam per nostros officiales, quibus istud factum commissimus, inotuit nobis, ducat. mille centum quinquaginta auri. Que quidem res, ut est dictum, penes alias esset nostro dominio omnino insuportabilis, nisi per vos, sicut conveniens est, et vos requirimus, debite provideatur per modum, quod animus noster quietus remaneat. Precamur itaque causis et respectibus supratactis, quatenus vellitis damnum predictum integraliter facere refici et emendari, ac facere deinceps fideles vestros cum effectu a talibus damnis et violentiis abstinere ne pro reformatione eorum de alio remendio, sicut honor noster et conservatio iurium nostrorum nos constringeret, providere cogamur. Super quibus vestrum responsum, quod conforme intentioni nostre esse speramus, avide expetamus, et quod per presentem nuntium velitis nobis destinare. De parte 98, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 33, u mlet. arkivu.

God. 1415. 11. lipnja, u Mletcih.

Ovlašćuju se načelnici Zadarski, da započmu graditi zidine gradske.

1415. die 11. iunii. Capta. Cum alias per istud consilium capta fuisset forma et materies fabrice castri nostri Jadre, et missa rectoribus nostris Jadre, ut secundum illam formam procederent in fabrica suprascripta, et hucusque factum fuerit ordinate, et rectores nostri noviter nobis scripserint, quod cum sit nostrum mandatum, ut fiat ad dictum castrum in grossitudine ultra illum murum, qui ad presens est, quidam murus grossitudinis octo pedum, ponendo illud iuxta alium, unde fatiendo sic, dictum opus non esset ullius fortitudinis, quia existens in castro, non possent deffendere barbacanum propter spatium nimis grande cum vix possent videre medietatem fovee, quia est distantia pedum 37 a muro novo posito iuxta barbacanum ad murum castri. Et illi duo magistri, quos illuc misimus, et similiter quidam alii ingenierii et etiam dominus Simon et Thomasius una cum ipsis rectoribus et stipendiariis nostris tam equestribus quam pedestribus determinaverint unanimiter facere istum murum distantem a muro barbachani pedibus XII, et postea facere murum solummodo grossitudinis sex pedum, et intra murum veterem castri et instum novum facere impleri terra, unde opus illud et erit fortissimum et erit minoris expense, quia terra, que esset alio transferenda, poneretur inter dictos muros, et sic opus castri erit potens ad defendendum totam foveam et barbacanum, et scripserint dicti rectores, non processuros ulterius in dicta fabrica nisi habeant nostra mandata super inde, et sit bonum eis presto intendere pro qualibet bona causa, auditis etiam nobilibus viris ser Jacobo Trivisano et ser Laurentio Capello, vadit pars, quod respondeatur dictis nostris rectoribus, quod considerata eorum prudentia, et quod sunt presentes rebus, et habent consilium omnium predictorum, placet nobis, quod in bona gratia consequatur dictum laborerium, sicut scripserunt per suas litteras. Verum eis rememoramus, quod tale opus faciant cum tali fortitudine et maneria tam ipsorum murorum quam terre ponende inter eos, ligando muros per illum modum, qui vobis videbitur, et etiam ipsam terram cum intromissione sarmentorum, letaminis equini et aliarum similium rerum, quod pondus terre posite inter dictos muros non faciat ipsos vel alter eorum cadere, sicut faciliter posset accidere, nec cum ordine debito ipsi fierent. Habeant etiam advertentiam, quod habeant tantam quantitatem terre, que sit sufficiens ad implendum inter muros predictos. De parte 105, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 33 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1415. 11. lipnja, u Mletcih.

1415, 11. iunii. Cum provisores nostri, qui fuerunt ad partes Dalmatie, terminaverint, quod rectores nostri Jadre possint quolibet anno expendere ducatos ducentos de denariis nostri comunis pro reparationibus necessariis de tempore in tempus pro Aurana, et principiata sint aliqua laboreria dicti loci, que non potuerunt compleri cum ducentis ducatis istius anni, et sit utique necessarium ipsa compleri, ymo nisi com-

r, tota expensa facta in eis est abiecta, quia tendet in ruinam ...id est factum. Et presentes rectores non habeant libertatem pos... expendere, quia non est completus annus dictorum ducentorum ducatorum, et sit bonum providere; vadit pars, quod dictis rectoribus detur licentia auctoritate huius consilii possendi pro isto anno expendere alios ducatos ducentos de pecuniis nostri comunis pro supplemento laboreriorum suprascriptorum, non obstante, quod annus non sit completus. De parte 104, de non 1, non sinceri 1.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 33 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1415. 11. lipnja, u Mletcih.

Knezu Šibeničkomu, neka obustavi svoj rad o predobiću Ostrovice a navlastito Trogira i Spljeta, i neka javi, jeda li su Trogirani ponačinili svoju galiju.

1415. 11. iunii. Comiti Sibinici, ut tractatum, quod habet de aquirendo Ostroviciam, teneat in suspenso propter treuguas existentes inter rempublicam et regem Hungariae, tractando semper per nuncios et non per litteras. „De Spalato autem et Tragurio vos non debeatis aliqualiter intromittere, nec consentire, quod inferrentibus Turchis aliquam novitatem predictis locis, aliquis de nostris illuc debeat se conferre ad damnum eorum, nec se immiscere aliqualiter dictis Turchis; et ita dicimus de Ostroviza et aliis locis, de quo vestram sapientiam quanto plus possumns oneramus. Propterea quia dicitur, quod Tragurini aptaverint galeam suam, debeatis nos presto, si sic est, per vestras literas advisare. De parte 105, de non 9, non sinceri 1.

Secreta cons. rog. VI. 54, u mlet. arkivu.

God. 1415. 24. lipnja, u Mletcih.

Republika tuži se biskupu zagrebačkomu radi navala njegovih podanika u mletačke zemlje.

1415. die 24. iunii. Capta. Quod scribatur domino episcopo Zagabriensi in hac forma:

Fuimus nuper informati per litteras rectorum nostrorum Jadre, continentes, illos de Tenina cum equis sexaginta territorium nostrum Castrinovi discurisse, et quandam villam nostram vocatam Delaz derobasse, et multa animalia et aliquos homines captivos asportasse; de qua violencia et novitate non modicum compellimur admirari, quia hoc, sicut vestra paternitas clare videt, tendit ad violationem treuguarum inter partes existentium. Et quia tenemus intentionem serenissimi domini regis fore, velle treuguas predictas observare, preter cuius voluntatem et etiam contra scientiam vestre paternitatis dictam predam et raubariam credimus fore comissam; eandem vestram paternitatem attente rogamus, quatenus pro observatione treuguarum, ad quas servandas non dubitamus eamdem vestram paternitatem esse dispositam, eidem placeat mandare, et cum effectu ordinare, quod omnia animalia et bona restituantur, et homines liberentur, et providere, quod de cetero subditi regii a similibus novitatibus se abstineant, et quod violentie et prede hinc

inde cessent, ut omnis materia scandali de medio extirpetur, ita quod subditi utriusque partis possint insimul amicabiliter vivere et conversari, nam ex parte nostra dictas treuguas sumus dispositi observare et facere per nostros observari; super quibus placeat paternitati vestre nobis per vestras litteras respondere.

Quod scribatur rectoribus Jadre in hac forma Capta

Per literas vestras remansimus informati de curreria facta per illos de Tenina et de preda per eos commissa in villis nostris Castrinovi, et similiter de provisione per vos facta in mittendo ad dominum episcopum Zagabriensem. Quibus omnibus intellectis, providimus scribere domino episcopo in illa forma, que nobis apparuit convenire, quarum litterarum nostrarum copiam vobis mittimus presentibus introclusam. Et quia nobis multum displicet, quod fideles nostri taliter tractentur per illos de Tenina, fidelitati vestre cum nostris consiliis rogatorum et additionis scribimus et mandamus, quatenus si subditi et fideles nostri vobis comissi de cetero damnificabuntur per aliquem vel aliquos, debeatis dictos tales damnificantes nostros similiter damnificare, et ad eorum damnum attendere et vigilare, et istud iddem precessores vestri a nobis habuerunt in mandatis, quia intentio nostra est, quod ad deffensionem et securitatem subditorum nostrorum omnino vigiletis, et attendatis, ut possint secure stare, et in villis et in locis suis habitare. De parte 83, de non 0, non sinceri 45.

Secreta cons. rogat. VI. 56, u mlet. arkivu.

God. 1415. 24. lipnja, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju na njeke osvade Zagrebačkoga biskupa u poslu primirja.

1415. die 24. iunii. Capta. Quod respondeatur domino episcopo Zagrabriensi ad litteras suas nobis scriptas in hac forma:

Litteras paternitatis vestre datas in Dombro in festo assensionis, respondentes litteris nostris alias paternitati vestre missis, amicabiliter recepimus, et ad contenta in eis paternitati vestre respondentes dicimus, quod sicut per alias nostras litteras paternitati vestre denotavimus super limitacione precii salis pro tracta sumus dispositi subditos serenissimi domini regis Romanorum et Hungarie tanquam proprios nostros tractare, quia talis limitacio non in spetiali sed in genere quibuscumque tam nostris subditis quam alienigenis est limitata Sed quia eadem vestra paternitas in literis vestris subiungit, homines nostros Sibinici et armigeros copiosos de Sebenico egredientes et se cum nephandissimis Turchis adiungentes castrum regium Zvionicztach appellatum expugnavisse et rebus omnibus ablatis dictum castrum cremavisse, et petitis, si per tales actus treugua inter maiestatem regiam ex una parte et nostram dominationem ex altera firmata, firma perseveret, aut violata valeat reputari an ne, respondemus, quod tenemus firmiter paternitati vestre notum esse, comitem Johannem de Citinis post celebrationem dictarum treuguarum et contra formam earum fecisse et intulisse multa et infinita damna nostratibus, eorum uxores, filios et bona capiendo, captivando et interficiendo et penes se retinendo. Et licet de hoc noticiam pluries dederimus comiti predicto, et querellam deponi fecerimus per nostrum am-

bassiatorem in partibus Feltri dicto serenissimo domino regi, qui promisit provisionem super hoc facere et aliquos suos ad dictas partes transmittere terminaturos simul cum nostris, quid super dictis damnis esset terminandum vigore dictarum treuguarum, nulla tamen ex parte dicti serenissimi domini regis provisio facta fuit, nec nuntius aliquis ad dictas partes missus. Sibinicenses vero sencientes, exercitum Turchorum quandam bastitam situatam in comitatu nostro Sibinici, in qua uxores, filios et bona sua detinebantur, cepisse, et dictos Turchos velle dictas eorum uxores et filios secum captivos ducere, iverunt ad exercitum predictum, ut uxores, filios et bona sua redimerent et rehaberent, hec non in violatione treuguarum faciendo, sed pro redimendo uxores, filios et bona sua predicta. Et quamquam reddamur certissimi paternitati vestre notoriam esse antiquam guerram et inimicitiam, quam cum crudilissimis Turchis semper habuimus et habemus, tamen vestre paternitati denotamus, quod illustres predecessores nostri et nos semper fuimus et sumus dictorum Turchorum capitalissimi inimici et persecutores assidui, et ad eorum exterminium et persecutionem singulo anno magnam summam denariorum expendimus ultra cedes et pericula hominum et fidelium nostrorum. Et qualis sit intentio nostra ad ruinam dictorum Turchorum, prefatus serenissimus dominus rex per ea, que suis propriis oculis viditi satis aperte et manifeste cognoscere potuit. Et propterea si comitatini comitatus Sibinici iverunt ad exercitum predictum, hoc non in violatione treuguarum fecerunt, sed causis suprascriptis id egerunt; quas treuguas tenemus non violatas esse, et illas ex parte nostra sumus dispositi cum quibuscumque subditis regis in quibuscumque partibus, sicut continue fecimus, illibatas servare, et per omnes subditos nostros facere effectualiter observari; quas similiter treuguas paternitati vestre placeat observare, et ad earum [observationes regnicolas eidem vestre paternitati comissos, et alios subditos regios partium predictarum astringere, inducere et hortari, ut subditi ambarum partium insimul quiete valeant vivere et conversari. De parte 50, 51, 55, 65. Nota, quod dicta littera data fuit die quarto iunii.

Secreta cons. rogat. VI. 57 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1415. 27. lipnja, u Mletcih.

Dopušćeno odvjetovati njekomu Donatu zlataru u Zadru.

1415, 27. iunii. Capta. Cum quidam Donatus aurifex fidelis noster Jadre habeat in Jadra officium truzimanarie, de quo male posset vivere, quia est parve utilitatis, et solitus sit advocare, et post recessum ser Jacobi Trivisano non permittatur, sicut continue fecit, advocare, vadit pars, quod scribatur et mandetur rectoribus nostris presentibus et successioribus suis, quod ultra offitium suum truzimanarie, considerata eius fidelitate, permittant eundum Donatum advocare in curiis suis et aliis, sicut continue fecit tempore aliorum rectorum nostrorum, et ita consulit ser Jacobus Trivisano olim comes Jadre. De parte 110, de non 3, non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 39, u mlet arkivu.

God. 1415. 9. srpnja, u Mletcih.

Njeki pučani zadarski, u Mletcih zatočeni, odpravljaju se kući.

1415. die 9. iulii. Capta. Cum alias per terminationem factam per rectores nostros Jadre et provisores ad partes Dalmatie missos provisum fuerit de mittendo Venetias aliquos populares de Jadra pro evitandis suspitionibus et dubiis, et secundum informationem, que habetur, infrascripti populares missi Venetias sunt mercatores et homines bone conditionis, et pium et humanum sit dictis infrascriptis Jadratinis compati et providere, quod possint reverti domum et ad familias suas; considerato, quod hic steterunt menses octo cum maxima pacientia et reverentia, et de eis nichil, quod sit contra nostrum dominium, verbo nec opere haberi potest; vadit pars, quod in bona gratia detur licentia infrascriptis Jadratinis possendi redire Jadram ad libitum suum, ut possint ad domum suam reverti, et secundum quod soliti sunt, facere facta sua.

Nomina sunt. Pripcho barbier Michaelis. Jacomo de Zuane barbier. Corsole de Luca drapier. Zanin de Zorzi drapier. Zorzi de Vintora marzer. Zuane de Michele. Doimo pelizer. Tomasigo sartor. Alegreto marangon. Marco marangon. Francesco marangon. De parte 88, de non 16 non sinceri 4.

Secreta consilii rogatorum VI., u mlet. arkivu.

God. 1415. 30. kolovoza, u Mletcih.

Republika odgovara na javne osvade Sigmunda, i taj odgovor njekojim vlastim priobćuje.

1415. die penultimo augusti. Quod scribatur serenissimo domino regi Francie et aliis, ut videbitur, in hac forma:

Licet gestorum conscii nostrorum nostraque contenti consciencia prolationes dicentium, ut eis libet, honesto silentio contemnere soleamus, nunc, cum arguamur agere contra christianam religionem, tante diffamationis calumniam taciti preteriri non possumus. Scimus, quod serenissimus dominus Sigismundus Hungarie rex et electus rex Romanorum, inter cuius maiestatem et nos firmate sunt treugue, scripsit diversis regibus et principibus mundi nec non vulgo et in locis publicis late disseminavit ad conflandum contra nos odia et invidias, quod descendere fecimus ad stragem et ruinam christianorum presentem Teucrorum exercitum, qui, vagans in partibus occidentis, fines Hungarie et Illirie sevis incursionibus populatur, quasi Teucer nunc primo insultu in eum novus et improvisus hostis insurgat, et non a magno tempore citra sepe ex interioribus eius regni, omnia flama et cede vastando, ingentes predas utriusque sexus eduxerit. Ea propter maiestati vestre significamus, quod nedum conscii non fuimus descensus consiliorum et progressuum huius execrabilis exercitus ac tanti sceleris fautores, sed iram et indignationem concepimus ac displicentiam sensimus, quantas capere possunt quilibet orthodoxi et veri cultores fidei christiane. At licet hec calumnia sit excogitata nudis et inanibus verbis nullique vallata suspitionibus aut palliata coloribus, et per se ipsam ceu fumus evaneat, tamen ex clarissimis actibus et manifestis effectibus nostra late innocentia

supereminet. Et in primis ipsum dominum regem Sigismundum in testem producimus, dum enim victus fugatusque a Basaitho dominatore Teucrorum errabundus et pavens versus Bizantum perveniret, capitaneus nostre armate classis, que in partibus illis aderat in succursum christianorum, eundem dominum regem, omnia a tergo et fronte timentem, de faucibus inimicorum eripuit susceptumque in galeis cum multis prelatis et baronibus honorabiliter et humane Bizantium perduxit. Ex inde divertendo per portus et oppida nostra in Dalmatie partibus felici navigatione deposuit. Scit etiam excellentissimus dominus dux Burgondie ac plerique proceres et magnates Gallici, qui fuerunt in illa infausta contra Teucros expeditione captivi, quanta eis post relaxationem exhibuerimus et humanitatis et hospitalitatis officia. Novit serenissimus dominus rex Polonie, dum esset sequester et tractator pacis inter ipsum dominum regem Sigismundum et nos, magnificas et arduas oblationes quas fecimus ad subversionem status et exterminium Teucrorum. An odium aliquod nos ad tam immane facinus impullisset. An humanitas Veneta influxu quodam divine gratie odia nutrire non novit, semperque consuevit deponere bella cum odiis. Hoc preceteris multis novis testarique posset, si ageret in humanis excellentissima domina Maria olim consors eiusdem domini regis Sigismundi, filia serenissimi domini Lodovici regis Hungarie quondam hostis nostri, quam post obitum patris de regio solio in servorum vincula devoluta, revocavimus ad pristinam maiestatem. Quod nec nos ad hoc scelus adversitas ulla aut necessitas inclinaret indubitatam experientiam dedimus tempore, quo prefatus dominus Ludovicus liga illa magna et teribili terra marique nobis gravissimum bellum intulit. In quo dum pugnaremus pro patria, pro libertate, pro filiis, defficientibus sociis in promissis, ne gladius infidelium hauriret sanguinem christianum, Teucrorum auxilium nobis sponte oblatum, alto animo in tanta periculorum extremitate comtempsimus. Ex rerum effectibus etiam liquet oppositum obbiectorum. Nonne quot annis propriis impensis armamus triremes, quibus Teucrorum audatiam a dominatione maris arcemus, sub umbra quarum maria illa tuto navigant cetere nationes? Sustinemus magnis sumptibus insulam Nigropontis in partibus Egeopelagi ceu castrum aut vallum a quotidianis incursibus Teucrorum, ex qua nostri incredibilem ipsorum moltitudinem per tempora trucidarunt. Nam inter illos et nos eternum bellum maxima inequalitate crudescit. Illi, avaritia impulsi et illecti prede dulcedine, captivos pretio vel restituunt vel venundant. A nostris illi sine ulla remissione mactantur. Quomodo igitur in mentes hominum cadere potest, nos ferre auxilium nostris nocentissimis et capitalibus hostibus in christianos potissime, et cum unum simus corpus, barbaricum ferrum in viscera nostra convertere. Terreret nos saltem metus summorum pericolorum, si hec particularia damna non tangerent. Scimus enim, et scire debent qui christiani sunt, quod tale horum infidelium bellum, quod ceu quedam contagiosa pestis et flama vorans in queque vicina serpens ab Euxino pontico usque ad Adriaticum mare multa et maxima christianorum regna delevit, etiam, ni mature provideatur, ultra Italiam penetraret. Non enim Teucri Hungariam privato odio persequuntur, sed queque obstantia ordine quodam impugnant, ut semper ad ulteriora procedant tamquam generales hostes

universi nominis christiani. Sed super omnia timor dei et reverentia nos a tali flagitio semper averteret. Satis enim notum est fidelitas nostra circa cultum dei et christiana misteria et nostre devotionis integritas ad sanctam matrem ecclesiam, pro qua maiores nostri sanguine proprio et magno discrimine feliciter dimicarunt. Constantes igitur in proposito, et incedentes per vestigia progenitorum nostrorum, parati sumus, concurrentibus potentiis christianorum principum, sine quibus tanta belli mollem tentaremus in vanum, conferre et contribuere vires nostras marittimas ad subversionem, eradicationem et destructionem status et nominis Teucrorum taliter, quod mundus noverit, nos persolvisse debitum nostrum et implevisse christianorum offitium.

Similes domino regi Anglie, regi Aragonum, duci Austrie Hernesto, comiti Sabaudie, duci Bavarie, comiti palatino Reni, domino F. archiepiscopo Narbonensi camerario apostolico, vicario Avinioni. De parte 76.

Secreta cons. rogat. VI. 67, u mlet. arkivu.

God. 1415. 7. rujna, u Mletcih.

Odredjuje se pisar, koj će voditi račune od prodaje soli u Pagu, i sve ostale dotične poslove obavljati.

Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano de suo mandato comiti Jadre et . . successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Significamus vobis, quod in nostris consilis rogatorum et additionis in MCCCCXV. indictione VIII, die XVIIII mensis augusti capta fuit pars infrascripti tenoris, quam committimus et ordinamus cum dictis consiliis per vos debere observare et similiter per vestros successores in his specialiter, que ad vos spectant et pertinent pro regimine nostro, facientes presentem registrari in cancellaria deinde ad memoriam futurorum. Verum declaramus vobis, quod vigore partis ellegimus in nostro collegio ordinato in scribam super tenendis rationibus salis predicti providum virum Pantaleonem Cataneo civem nostrum cum salario ducatorum centum viginti auri in anno et cum allis modis et conditionibus notatis in parte, secundum quod in ipsa diffusius et particulariter videbitis contineri, quam ad cautelam vobis mittimus hic scriptam. Tenor autem partis talis est. Cum totis spiritibus sit vigillandum, quod introitus nostri communis, qui habentur de insula Pagi de sale, non fraudentur nec male administrentur in damnum nostri communis, sed illi cum luce et claritate omni exigantur et videantur; vadit pars pro bono et utilitate nostri communis, quod omni tempore videri possint rationes nostri communis, quod in collegio domini, consiliariorum, capitum de XL, sapientum consilii et ordinum per scrutinium fieri et elligi debeat unus scriba cum salario ducatorum centum viginti in anno et in ratione anni ad beneplacitum nostri dominii, qui scriba tenere debeat unum quaternum, in quo scribat simul cum comitibus, qui per tempora erunt, nomina venditorum et emptorum et extrahentium salem de Pago, quantitatem salis, nomina patronorum barcarum et navigiorum portancium dictum salem, et locum, quo illum portaverint; faciat buletinos extrahentibus predictis de illa quantitate, quam volunt extrahere, de quibus buletinis cum comitibus,

qui per tempora erunt, unum quaternum ordinate tenere debeat, et in ipsis subscribere debent comites predicti, et illos dare extrahentibus predictis, qui illos bulletinos superstiti cathone portare debeant secundum usum, qui superstes illos tenere debeat penes se et videre, si ultra quantitatem salis notati in eis aliquid fuerit oneratum secundum usum; et teneatur scriba et superstes predicti in fine regiminis cuiuslibet comtis, postquam consignaverit raciones suas suo successori, subito illos bullettinos et quaternum eorum bullitinorum portare et presentare regimini nostro Jadre, quos illos sub sua bulla teneatur mittere nostris sapientibus ad videndum rationes guerre aut eorum successoribus, qui, ipsis receptis, teneatur subito scontrare cum quaternis comitum predictorum, ut in omni tempore, sicut dictum est, videri possint rationes nostri communis.

Date in nostro ducali palatio die septimo septembris, indictione VIIII, MCCCCXV.

Nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano comiti Jadre et successoribus.

Iz rukopisa „Ducali e terminationi. Libro I. c. 4ª u Zadarskom arkivu.

God. 1415. 5. listopada, u Mletcih.

Odgovor na molbe kneza senjskoga podnesene po kneževu poslaniku biskupu Krčkom.

1415. die 5. octobris. Capta. Quod respondeatur domino ... episcopo Vigiliarum ambaxiatori magnifici domini Segne in hac forma:

Et primo ad primum capitulum, per quod recomendat se, uxorem et filios et suum dominium etc. Respondeatur, quod sicut pridie dicto domino episcopo diximus, sic dicimus ad presens, quod dictum dominum et statum suum tanquam amici nostri intendimus habere recomissum.

Super secundo, per quod petit consilium et favorem, quo modo possit vitare gravia damna Turchorum pro futuro. Respondemus, quod dictus dominus est sapiens, et cognoscit statum et conditionem suam, et per quem modum posset se tueri a dictis Turchis, melius quam sciremus sibi consulere; sed hortamur suam magnificentiam, quod uti bonus christianus procuret posse se et statum suum quiete conservare. Super facto autem subsidii nostri, dicimus, quod dictus dominus scit, quod vires nostre se extendunt per mare, ita quod per terram, sicut clare scit, male possemus sue magnificentie auxiliari.

Super tercio de rebus emendis et extrahendis sine datio. Respondemus, quod non expedit, quod aliam responsionem faciamus, quia eidem concessimus, quod dictas res possit libere extrahere.

Super quarto capitulo, per quod rogat, ut scribamus domino duci Crevoie, ut cum dicto domino comite vellit habere pacem et amiciciam. Respondemus, quod in conplacentiam suam, quia et dictum magnificum dominum comitem Segne et dictum dominum ducem Crevoiam habemus in amicos nostros, in complacentia dicti domini comitis dictum dominum Crevoiam hortabimur, quod vellit secum in pace et amicitia vivere.

Super quinto ut dignemur interponere partes nostras pro liberatione presbiteri Johannis de Vegla detenti per dominum patriarcham. Respondemus, quod apud dominum patriarcham, audita requisitione sua, intercessimus pro liberatione dicti presbiteri, et fuit liberatus.

Super sexto ut dignemur concedere, quod possit conducere ad servicia sua dominum Georgium de Jadra etc. Respondemus, quod ob certas causas et respectus non videtur nobis posse dicto domino comiti complacere, et rogamus suam magnificentiam, ut habeat nos excusatos.

Super septimo super factis domini Brunori etc. Respondemus, quod rengratiamur dicto domino episcopo de bona sua intencione. Et ad factum Brunorii respondemus, quod si dictus Brunorius vult venire ad gratiam nostram, et ipse cum omnibus fratribus suis vult ire ad habitandum in insula nostra Crete, sicut alias obtulit velle facere, nos taliter providebimus, quod ipse et fratres habebunt merito contentari.

Super octavo ut dignemur dictum dominum episcopum habere recomissum. Respondemus, quod quia ipsum dominum episcopum scimus esse bonum amicum nostri dominii, ipsum intendimus habere, sicut multociens eidem diximus, in gratia nostra recomissum.

Ceterum cum Bartolomus Grasso, civis noster, mercator et habitator Segne, habere debeat a domino comite Segne ducatos ducentos et triginta novem, sicut per litteras patentes dicti domini comitis apparet sua bulla bullatas, dici debeat dicto domino episcopo, quod sibi placeat ex parte nostra rogare dictum dominum suum dominum comitem, ut sibi providere placeat, quod civis noster predictus, sive illi, ad quos spectant, habeant illud, quod habere debent, quia istud cedet ad honorem suum, et dicti cives nostri non habebunt causam nostram subventionem ulterius postulandi. De parte 124, de non 0, non sinceri 0.

Secreta cons. rogat. VI. 72 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1415. 5. studenoga, u Mletcih.

Riešava se razmirica obstojeća medju knezom i zapovjednikom Zadra u poslu izplaćivanja ondješnjega vojničtva.

Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano de suo mandato comiti et Nicolao Venerio capitaneo Jadre, fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Vidimus ex literis uniuscuiusque vestrum opiniones et differencias, que inter vos versantur in facto buletinorum et solutionum stipendiariorum nostrorum, et notavimus omnia, que scripsistis. Et quamquam res videatur nobis talis nature, quod de facili inter vos bene potuissetis taliter providere, quod nobis non fuisset expediens has diversas opiniones audire, nec huiusmodi differentias declarare, cum quisque vestrum siat, quod sibi per suum officium sit comissum, tamen ut res magis ordinate et sine cumfuxione procedat, dicimus et declaramus, quod ad capitaneum pertineat facere seu fieri facere raciones stipendiariorum. Et circa solutiones, que fieri habebunt ipsis stipendiariis de tempore in tempus, ipse capitaneus fieri faciat boletinos cum bulla sua, quos postmodum comes bullare sive sigilare teneatur per modum, quod cum buletino capitanei addito sigillo comitis camerarius noster Jadre faciat solutiones

stipendiariis antedictis absque allia dificultate, sicut etiam in alliis locis nostris observatur, et per vos volumus observari, nam isto modo unusquisque faciet id, quod suum officium attinebit. In reliquis autem, que soli comiti sunt comissa, ipse faciat, sicut comissio sua continet, et sicut actenus est observatum.

Data in nostro ducali palacio die quinto novembris indictione nona, MCCCCXV.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro primo c. 19." u zadarskom arkivu.

God. 1416. 6. siečnja, u Šibeniku.

Seljani, koji su dobili gradjanstvo u Šibeniku, nisu dužni plaćati desetine.

Decimarum privilegium cum episcopo et cannonicis observetur.

1415. die 6. ianuarii, captum fuit in dicto consilio super facto certorum villanorum effectorum civium Sibenici, qui non obstante eorum citadinantia per ipsam partem nuper captam compelluntur solvere decimas prout solvunt alii villani districtus Sibenici, quod videtur esse contra pacta et conventiones facta et factas inter commune Sibinici et reveverendum patrem dominum episcopum Sibenici ac cannonicos ecclesie cathedralis Sibenici, quod quidem accidit, quia non fuit facta notitia prefatis domino comiti et rectoribus de dictis pactis et conventionibus factis cum dicto domino episcopo et cannonicis et ecclesiam; bonum et justum est providere, quod inconvenientie non sequerentur, videlicet, quod fieret in autentica apostolica, que dicta pacta et conventiones confirmant et approbant, prout in ipso privilegio, contra quam propositionem factam ivit pars in dicto generali consilio, quod omnes et singule partes huic retro capte super facto dictorum villanorum, que in aliquo sint contra privilegium dictorum pactorum, casse et irrite sint et nullius roboris vel momenti, et predictum privilegium, conventiones et pacta predicta in sua firmitate perdurent.

Diplomatarium Sibenicense, u dvorskoj knjižnici bečkoj, ruk. 13461. str. 99.

God. 1416. 25. siečnja, u Mletcih.

Republika želi prisvojiti si Omiš.

1415. januarii. Cum necessarium sit habere castrum Dalmisii ne cadat in manus inimicas, ideo respondeatur comiti Sibinici, quod, „debeatis dare operam cum illis bonis, sapientibus et cautis modis, qui vestre prudentie videbuntur, de intrando ad praticam cum castellano castri predicti, quod sit contentus dictum castrum dare et ponere in manibus nostri dominii; et ut hoc facere et adimplere possitis, damus vobis libertatem possendi promittere dicto castellano usque ad summam ducatorum triummilium et abinde infra, sicut melius facere poteritis". Accepto castro, mittat ibi ad custodiam „de fidelibus nostris Sibinici in illo numero, qui vobis videbitur necessarius". In casu quo non posset habere castrum, teneat tractatum in suspenso, subitoque informet. De parte 70, de non 13, non sinceri 18.

Secreta consilii rogatorum VI, u mlet. arkivu.

God. 1416. 27. siečnja, u Dubrovniku.

Dubrovčani strogo zabranjuju trgovanje robova.

1416. indictione IX. die 27. iannuarii. Quod cum per multos dominos circumvicinos pluries nobis fuerint porrecte querele, et quotidie porrigantur contra mercatores nostros habitantes Narenti et alios Ragusienses, quia emunt et vendunt ex eorum subditis; considerantes talem mercantiam esse turpem, nefandam et abominabilem et contra omnem humanitatem, et cedere ad non parvum onus et infamiam civitatis nostre, videlicet quod humana species facta ad imaginem et similitudinem creatoris nostri converti debeat in usus mercimoniales, et venduntur, tanquam si essent animalia bruta, volentesque huiusmodi providere, ne de cetero comittatur, statuimus et ordinamus, quod de cetero nullus noster districtualis aut forensis habitans in civitate Ragusii vel eius districtu seu quilibet, qui pro Raguseo se appellat, ullo modo vel ingenio audeat vel presumat emere aut vendere servum aut servam vel mediator esse huius mercantie, nec etiam habere partem vel societatem tam civem quam forensem, qui faciat seu exerceat tale exercitium, incipiendo a Budua usque ad Spaletum, et qui contrafaciet, pro singula vice stare debeat mensibus sex in carceribus inferioribus Ragusii, et solvat pro omni capite seu persona, quam vendidisset, emisset et de qua fuisset mediator aut habuisset partem, yperperos 25, et nunquam incipiat terminum mensium sex carceris, donec solverit penam pecuniarum. Et qui accusabit contrafacientes, ita ut eius accusatione veritas reperiatur, habeat medietatem pene pecuniarie, et teneatur de credentia. Verum si aliquis civis et habitator Ragusinus emeret aliquem servum vel servam pro usu suo, non intelligatur subiacere huiusmodi pene. Item quod nullus forensis, cuiuscumque conditionis existat, modo aliquo audeat vel presumat facere aut exercere talem mercantiam in districtu nostro sub penis suprascriptis. Item quod nulla barca, navis aut navigium nostrum modo aliquo audeat vel presumat navigare huiusmodi servos et servas sub pena patrono standi mensibus sex in carceribus pro singula vice, qua contrafecerit, et marinariis standi mensibus tribus similiter in carceribus inferioribus pro singulo.

Iz staroga prepisa u S. Ljubića.

God. 1416. 4. veljače, u Mletcih.

Zadrani mole, neka se novi novac na trag povuče.

1415. die 4. februarii. Quod scribatur comiti et capitaneo Jadre in hac forma, videlicet:

Exposuit nobis prudens vir Petrus Rosso scriba camerariorum nostrorum Jadre vestri parte, quod cives et fideles nostri Jadre multum conqueruntur de illa moneta nostra de novo missa Jadram, et aliqui eorum essent contenti mutuare nostro dominio ducatos duosmille in tresmille pro emendo monetam predictam, et quod dicta moneta mitteretur Venetias ad cecham nostram ad destruendum, et illud, quod extraheretur de dictis monetis, restitueretur civibus predictis. Quibus intellectis

fidelitati vestre cum nostris consiliis rogatorum et additionis respondentes, vobis denotamus, quod sumus contenti, quod dictos denarios pro emendo monetam predictam accipiatis mutuo a civibus nostris deinde, volentibus ipsis sponte dictos denarios nostro dominio mutuare. De quibus denariis emere debeatis totam illam monetam novam nostro cunio cuniatam, quam deinde habere poteritis, ad rationem librarum septem soldorum octo pro ducato, pro ut expenditur ad presens secundum informationem quam habemus, faciendo publice proclamare, quod omnes volentes dare monetam predictam nostro dominio ad pretium predictum, illam portare debeant camerariis nostris Jadre usque unum mensem post publicationem factam, quia transacto dicto mense, nollumus, quod dicta moneta amplius expendatur et omnibus portantibus dictam monetam solvetis eis ad pretium predictum. Et sic observare debeatis, faciendo fieri omnibus portantibus dictam monetam camerariis predictis debitam solutionem de denariis, quos mutuo acceperitis. Transacto autem dicto mense non permittatis ullo modo dictam monetam amplius expendere, nec aliquam aliam monetam nisi solum soldos nostros venetos mezaninos et grossos et aliam monetam nostram civitatis Venetiarum. Et si, transacto dicto mense, alia moneta argentea quam moneta cuniata Venetiis, et que expenditur Venetiis, expenderent, debeat dicta moneta incidi et incisa restitui illis, quorum erit. Totam vero monetam predictam emptam, ut superius continetur, mittere debeatis Venetias ad cecham nostram, quia ordinabimus, quod illud, quod extrahetur de moneta predicta, detur et restituatur civibus nostris Jadre, qui denarios predictos nostro dominio mutuaverint. Et si illud, quod extrahetur de moneta predicta, non sufficeret ad restituendum denarios, quos mutuaverint cives nostri deinde, faciemus eis integre solvere de eo, quod restarent habere de denariis nostri comunis. De parte 73, de non 1, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 93, u mlet. arkivu.

God. 1416. 4. veljače, u Mletcih.

Odredjeno, da se tridesetina u Zadru iznajmi.

1415. die 4. februarii. Capta. Cum rectores nostri Jadre notificari fecerint nostro dominio, quod utilis esset pro nostro comuni, quod trentesimum Jadre affictaretur quam exigeretur per comune, quia illi, qui sunt deputati ad hoc, non solicitant ad utilitatem nostri comunis, sicut solicitarent illi, qui emerent trentesimum predictum ad utilitatem suam; vadit pars, quod scribatur et mandetur rectoribus nostris Jadre, quod videre debeant illud, quod exactum est per nostrum comune a duobus annis citra singulo anno de trentesimo predicto, et habita informatione predicta debeant incantare dictum trentesimum, habentes advertentiam, quod dictum trentesimum non vendatur precio minori, quod solitum est exigi per nostrum comune singulo anno, sed avantazare debeant nostrum comune in quantum fuerit possibile, et affictando dictum trentesimum per unum annum, et sic successive de anno in annum, providendo, quod conductores dicti datii solvant de tribus in tres menses, et dare bonam plezariam. De parte omnes, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 93, u mlet. arkivu.

God. 1416. 4. veljače, u Mletcih.

O popravki Vrane, Novog grada i Nina.

1415. die 4. februarii. Capta. Quia rectores nostri Jadre scribunt, quod locus noster Aurane et similiter loca nostra Novigradus et None egent multis reparationibus et fortificationibus penitus necessariis, vadit pars, quod concedatur dictis rectoribus, quod pro laboreriis et reparationibus et fortificationibus Aurane possint expendere usque ad summam ducatorum trecentorum de pecunia nostri comunis, et pro laboreriis, reparationibus et fortificationibus Novigradus et None possint expendere usque ad summam aliorum ducatorum ducentorum, expendendo tamen quolibet dictorum locorum id minus, quod poterunt. De parte omnes alii, de non 0, non sinceri 2.

Senato. Misti, Vol. 51 c. 94, u mlet. arkivu.

God. 1416. 8. veljače, u Mletcih.

Carigradskomu poslaniku obećaje republika svoju pripomoć proti Turčinu, ako se i druge vlasti na to odluče.

1415. 8. februarii. Capta. Quod spectabili et egregio militi domino Nicolao de Monoiani ambaxiatori domini imperatoris Constantinopolis ad exposita per eum pro parte domini imperatoris predicti respondeatur in hac forma. (Ad 1., 2., 3. in facto mercimoniorum).

Ad quartam partem, per quam nostro dominio significavit, dictum dominum imperatorem tenuisse de tempore in tempus praticam cum Amustafa fratre Chierizi et cum despoto Servie et domino Caramano, et quod, si nostra dominatio propter damna attentata per Turchos contra subditos nostros vellet se movere contra Turchos, predicti domini se etiam moverent a parte terre cum suis potentiis contra Turchos predictos, et ob hoc dictus ambassiator habet litteras directivas dictis dominis etc.; respondemus, quod ea, que dictus ambaxiator exposuit super facto pratice predicte, videmus et cognoscimus optimam dispositionem serenissimi domini imperatoris ad bonum et salutem christianorum, et similiter quam habet erga nostrum dominium, sicut superius tetigimus, sue maiestati regratiantes dicimus, quod quociescumque videbimus dominos predictos et dominum regem Hungarie paratos contra dictos Turchos, et habeamus pacem cum dicto domino rege Hungarie, semper inveniemur prompti ex parte nostra ad ea, que concernant bonum et salutem christianorum contra Turchos predictos.

Secreta cons. rogat. VI. 85, u mlet. arkivu.

God. 1416. 27. ožujka, u Mletcih.

Naloženo knezu Zadarskomu, neka izplati ostatak miraza Jeleni udovi pok. Damjana Kalcine.

Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano de suo mandato comiti Jadre etc. Ad instantiam domini Johannis Tavellich procuratoris domine Helene uxoris quondam domini Damiani de Calcina nobilis Jadrensis

fidelitati vestre cum nostris consiliis rogatorum et additionis respondentes, vobis denotamus, quod sumus contenti, quod dictos denarios pro emendo monetam predictam accipiatis mutuo a civibus nostris deinde, volentibus ipsis sponte dictos denarios nostro dominio mutuare. De quibus denariis emere debeatis totam illam monetam novam nostro cunio cuniatam, quam deinde habere poteritis, ad rationem librarum septem soldorum octo pro ducato, pro ut expenditur ad presens secundum informationem quam habemus, faciendo publice proclamare, quod omnes volentes dare monetam predictam nostro dominio ad pretium predictum, illam portare debeant camerariis nostris Jadre usque unum mensem post publicationem factam, quia transacto dicto mense, nollumus, quod dicta moneta amplius expendatur et omnibus portantibus dictam monetam solvetis eis ad pretium predictum. Et sic observare debeatis, faciendo fieri omnibus portantibus dictam monetam camerariis predictis debitam solutionem de denariis, quos mutuo acceperitis. Transacto autem dicto mense non permittatis ullo modo dictam monetam amplius expendere, nec aliquam aliam monetam nisi solum soldos nostros venetos mezaninos et grossos et aliam monetam nostram civitatis Venetiarum. Et si, transacto dicto mense, alia moneta argentea quam moneta cuniata Venetiis, et que expenditur Venetiis, expenderent, debeat dicta moneta incidi et incisa restitui illis, quorum erit. Totam vero monetam predictam emptam, ut superius continetur, mittere debeatis Venetias ad cecham nostram, quia ordinabimus, quod illud, quod extrahetur de moneta predicta, detur et restituatur civibus nostris Jadre, qui denarios predictos nostro dominio mutuaverint. Et si illud, quod extrahetur de moneta predicta, non sufficeret ad restituendum denarios, quos mutuaverint cives nostri deinde, faciemus eis integre solvere de eo, quod restarent habere de denariis nostri comunis. De parte 73, de non 1, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 93, u mlet. arkivu.

God. 1416. 4. veljače, u Mletcih.

Odredjeno, da se tridesetina u Zadru iznajmi.

1415. die 4. februarii. Capta. Cum rectores nostri Jadre notificari fecerint nostro dominio, quod utilis esset pro nostro comuni, quod trentesimum Jadre affictaretur quam exigeretur per comune, quia illi, qui sunt deputati ad hoc, non solicitant ad utilitatem nostri comunis, sicut solicitarent illi, qui emerent trentesimum predictum ad utilitatem suam; vadit pars, quod scribatur et mandetur rectoribus nostris Jadre, quod videre debeant illud, quod exactum est per nostrum comune a duobus annis citra singulo anno de trentesimo predicto, et habita informatione predicta debeant incantare dictum trentesimum, habentes advertentiam, quod dictum trentesimum non vendatur precio minori, quod solitum est exigi per nostrum comune singulo anno, sed avantazare debeant nostrum comune in quantum fuerit possibile, et affictando dictum trentesimum per unum annum, et sic successive de anno in annum, providendo, quod conductores dicti datii solvant de tribus in tres menses, et dare bonam plezariam. De parte omnes, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 51 c. 93, u mlet. arkivu.

God. 1416. 4. veljače, u Mletcih.

O popravki Vrane, Novog grada i Nina.

1415. die 4. februarii. Capta. Quia rectores nostri Jadre scribunt, quod locus noster Aurane et similiter loca nostra Novigradus et None egent multis reparationibus et fortificationibus penitus necessariis, vadit pars, quod concedatur dictis rectoribus, quod pro laboreriis et reparationibus et fortificationibus Aurane possint expendere usque ad summam ducatorum trecentorum de pecunia nostri comunis, et pro laboreriis, reparationibus et fortificationibus Novigradus et None possint expendere usque ad summam aliorum ducatorum ducentorum, expendendo tamen quolibet dictorum locorum id minus, quod poterunt. De parte omnes alii, de non 0, non sinceri 2.

Senato. Misti, Vol. 51 c. 94, u mlet. arkivu.

God. 1416. 8. veljače, u Mletcih.

Carigradskomu poslaniku obećaje republika svoju pripomoć proti Turčinu, ako se i druge vlasti na to odluče.

1415. 8. februarii. Capta. Quod spectabili et egregio militi domino Nicolao de Monoiani ambaxiatori domini imperatoris Constantinopolis ad exposita per eum pro parte domini imperatoris predicti respondeatur in hac forma. (Ad 1., 2., 3. in facto mercimoniorum).

Ad quartam partem, per quam nostro dominio significavit, dictum dominum imperatorem tenuisse de tempore in tempus praticam cum Amustafa fratre Chierizi et cum despoto Servie et domino Caramano, et quod, si nostra dominatio propter damna attentata per Turchos contra subditos nostros vellet se movere contra Turchos, predicti domini se etiam moverent a parte terre cum suis potentiis contra Turchos predictos, et ob hoc dictus ambassiator habet litteras directivas dictis dominis etc.; respondemus, quod ea, que dictus ambaxiator exposuit super facto pratice predicte, videmus et cognoscimus optimam dispositionem serenissimi domini imperatoris ad bonum et salutem christianorum, et similiter quam habet erga nostrum dominium, sicut superius tetigimus, sue maiestati regratiantes dicimus, quod quociescumque videbimus dominos predictos et dominum regem Hungarie paratos contra dictos Turchos, et habeamus pacem cum dicto domino rege Hungarie, semper inveniemur prompti ex parte nostra ad ea, que concernant bonum et salutem christianorum contra Turchos predictos.

Secreta cons. rogat. VI. 85, u mlet. arkivu.

God. 1416. 27. ožujka, u Mletcih.

Naloženo knezu Zadarskomu, neka izplati ostatak miraza Jeleni udovi pok. Damjana Kalcine.

Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano de suo mandato comiti Jadre etc. Ad instantiam domini Johannis Tavellich procuratoris domine Helene uxoris quondam domini Damiani de Calcina nobilis Jadrensis

fidelit
te rum domini Jacobi Trivisano comitis Jadre et decreti
5. maii 1408, mandatum comiti Jadre „quatenus dicte
t satisfacere debeatis de illo, quod restat habere de dote
uo dicte sue dotis de incantibus insule sancte Marie secun-
tionem et formam partis capte in consilio secreto dictorum
adrensium, antequam dicta civitas Jadre perveniret in nostrum
i“ scilicet de libris mille nonaginta una solidis XVI.
rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro I. c. 4.“ u zadarskom arkivu.

God. 1416. 2. travnja, u Mletcih.

Naputak za poslanika iduća turskomu caru.

1416. 2. aprilis. Capta. Quod fiat comissio nobili viro ser Delphino Venerio ituro ambassiatori nostro ad partes Turchie . . . . Nos Thomas Mocenigo . . . . debeas ire noster ambassiator ad Chirizi soldanum Turchorum . . . . Et si poteris obtinere et confirmare pacem per modos superius declaratos, volumus, quod facies fieri literas et precepta tam pro partibus Albanie quam pro omnibus partibus et locis in efficaci et stricta forma ad Balsam Strazimiri, ad Coiam, ad Ivanum Castrioti et ad Bitri Jonuna et ad capitaneum castri Croye et ad omnes alios suos capitaneos in partibus Albanie et in omnibus aliis partibus pro observatione pacis . . . . Si vero obtinere non posses dictam pacem per modos superius declaratos, volumus, quod dicere debeas dicto Chirici, quod non habeas libertatem posse aliud facere, et quod scribes nostro dominio, et sumpta licentia a dicto Chirici venias super armata nostra predicta, super qua volumus, quod sis provisor, et simul cum capitaneo nostro culphi debeatis summere omnem informationem possibilem in partibus illis de viis et modis, quibus posset damnificari dictus Chirici ac eius loca et subditi tam per terram quam per aquam, et specialiter per viam Charamani, Mustafe et Vlachi et si erit expediens mittere aliquos nuntios secretos ad ipsos ad inducendum illos ad damna et offensiones Chirici, relinquimus hoc in libertate capitanei et tua, non obligando nostrum dominium in aliquo in speciali, sed dando eis spem, quod vos etiam providebitis ad damna et offensas Chirici per omnes modos et vias possibiles tam per terram quam per aquam.

Secreta cons. rog. VI. 92, u mlet. arkivu.

God. 1416. 3. travnja, u Mletcih.

Zapovieda se pomorskomu kapetanu, neka ulovi gusare, i neka sbog toga naoruža galijicu.

1416. die 3. aprilis. Capta. Quia sicut scribit comes noster Jadre novem barche de Almisio sive Tragurio exiverunt et vadunt damnificando insulas et loca nostra deinde, et interfecerunt quattuor ex insulanis, propter quod fideles nostri Jadre timent ire ad insulas pro factis suis et insulani venire ad civitatem; vadit pars, quod committatur capitaneo nostro generali culphi, quod cum fuerit Jadre debeat se informare de facto dictarum barcharum, et si inveniet ita esse, et eundo posset ipsas

habere, debeat illas capere, et de homnibus, si damnificaverint nostros, observare secundum formam sue commissionis. Et in casu quo essent de loco Craine, quia esse potest, quod erunt de loco Craine et non de Almissio, debeat se illuc transferre, quin non deviat ab itinere suo, et experiatur de habendo barchas predictas, et si illas poterit habere, faciat illas comburi, et sequatur postea viam suam, notificando nostro dominio, quod fecerit super hoc pro nostra informatione.

Insuper scribatur rectoribus nostris Jadre, quod recepimus litteras, quas comes nobis scripsit super facto illarum novem barcharum, que vadunt ad damna nostrorum deinde, et miramur, quod non facerint in ordine ponere illum brigantinum, quem habent Jadre, et mandetur eis, quod providere debeant de fulciendo brigantinum predictum rebus neccessariis, tenendo eum in puncto, itaquod in casibus occurentibus possint illum operari; et si illum operari non possent, debeant se informare, si in Sebenico est aliquis brigantimus vel galeota, et in quo termino est, et de omnibus informet nostrum dominium, ut providere possit, sicut videbitur opus fore. De parte alii, de non 2, non sinceri 1.

Senato. Misti. Vol. 51, c. 118, u mlet. arkivu.

God. 1416. 6. travnja, u Mletcih.

Mletčani nastoje, da si predobiju Omiš.

1416. 6. aprilis. Capta. Quod scribatur ser Blasio Delphino comiti Sibinici in hac forma, videlicet:

Recepimus hodie litteras vestras datas XVIII. martii preteriti continentes ea, que hactenus sunt secuta circa factum castri Almisii, et presertim de dispositione Raguseorum, quia sicut a capitaneo Almisii habuistis miserunt ad eum duas galeas et unam galeotam, requirentes dictum castrum, quod eis dare recusavit, et vidimus omnia alia in ipsis litteris contenta, et subventionem frumenti sibi datam ac provisionem mittendi duas barchas cum octo ballistariis pro custodia dicti castri, si opus fuerit. Pro quibus omnibus sapientiam et optimas provisiones vestras, que nobis summe placuerunt, dignissime laudamus. Pro responsione autem litterarum vestrarum dicimus, quod si ipsas litteras ante recessum nostri capitanei generalis habuissemus, fecissemus provisionem debitam ante eius recessum. Sed nichilominus, habentes hec negotia valde cordi, et cupientes possibiliter providere, expedire subito fecimus presentem barcham, per quam scribimus et damus mandatum nostro capitaneo generali culphi circa dicta negotia, sicut per copiam his reclusam videre poteritis. Et propterea mandamus vobis cum nostris consiliis rogatorum et additionis, quantenus in casu quo presens barca reperiat ipsum capitaneum generalem ante quam transeat Sebenicum, debeatis conferre secum, et circa continentiam eorum, que sibi committimus, sicut in dicta copia continetur, quantum ad vos pertinet, adimplere et exequi solicite debeatis. Si vero in applicatione presentis barche idem noster capitaneus iam transivisset Sibinicum, volumus, quod retineatis ipsas litteras, quas dicto capitaneo scribimus, penes vos, et in hoc casu debeatis vos per omnes vias et modos habiles et possibiles providere ad ea, que in ipsis litteris continentur, ut locus ille ad alienas

manus quam nostri dominii pervenire non possit, sicut de virtute et solicitudine vestra confidimus. De parte 90, de non 3, non sinceri 1.

Secreta cons. rogat. VI, 94 tergo., u mlet. arkivu.

God. 1416. 6. travnja, u Mletcih.

Piše se kapetanu pomorskomu, neka podje s galijami u Omiš, i gleda, da mu se onaj grad predade.

1416. die 6. aprilis. Capta. Quod scribatur ser Petro Lauredano capitaneo generali culphi. Mandavimus alias cum nostris consiliis rogatorum et addictionis comiti et capitaneo Sibenici, quod deberet providere et dare sibi operam cum certis modis sibi per nos declaratis, quod castrum Dalmisii ad manus nostri dominii perveniret. Et sic idem noster comes habuit cum castellanis ipsius castri certas praticas et conventiones, per quas contentari videtur dare dictum castrum in manibus nostris ad reditum unius ipsorum castellanorum, qui ivit ad partes Bossine pro conducendo familiam suam. Instanti autem die recepimus literas ab ipso comite nostro Sibenci, quibus in substantia scribit, habuisse a castellano, qui nunc est in Dalmisio, qualiter his diebus proxime preteritis fuerunt illic due galee et una galeota Raguseorum, requirentes ab eo dictum castrum cum magnis promissionibus, quodque illis dedit negativam, propter quod protulerunt versus eum multa verba minatoria, et dubitat, ne ipsi Ragusei velint ipsum castrum expugnare, maxime quia sentitur, quod parant certam armatam barcharum. Et quum nullo modo vellemus multis respectibus, quos non expedit declarare, quod ille locus ad manus Raguseorum nec alicuius alterius, quam nostri dominii deveniret, vobis scribimus et mandamus cum nostris consiliis rogatorum et adictionis, quatenus, recepto presenti mandato, ire debeatis Sibenicum, in casu quo nondum transivissetis a Sibenico ultra, et ibi conferre cum nostro comite Sibenici super negotiis suprascriptis, quia est de omnibus informatus, et sciatis ab eo, in quibus terminis sunt dicta negotia. Et si habebitis informationem quod locus ille Dalmisii iam ad manus nostri dominii pervenisset, debeatis prosequi viam vestram ad alia vobis commissa. Si vero sentiretis, quod adhuc esset in terminis suprascriptis, volumus, quod accepto super galeis vobis commissis uno vel duobus ex illis, quos comes noster Sibenici solitus est mittere ad praticandum cum dictis castellanis, et etiam providendo, quod subito veniat una barca vobiscum de Sibenico cum aliquibus probis viris, ut possint deputari in dicto castro, in casus quo esset expediens, sicut inferius continetur, ire debeatis cum omnibus galeis vobis commissis ad ipsum locum Dalmisii, et mittatis illum vel illos nuntios ad loquendum cum castellano, et ad inducendum eum cum illis bonis et utilibus verbis, que vobis et prefato comiti videbuntur, quod velit vobis dictum castrum nomine nostri dominii consignare, quia dominatio nostra cum integritate attendet et observabit ea, que sibi et sotio suo sunt promissa. Et si erit contentus illud dare, accipiatis illud, et ponatis illos homines, qui venerint de Sibinico, ad custodiam eius. Si vero idem castellanus diceret, velle expectare sotium suum, aut alia causa velle differere, in hoc casu debeatis eum hortari ad perseverandum in sua bona intentione et ad observan-

am eorum, que promisit nostro c miti Sibenici, quia viceversa attenentur et observabuntur ex parte nostra omnia, que sibi promissa sunt. Et si vellet aliquam subventionem sagitamentorum aut aliarum rerum pro defensione et conservatione dicti castri, volumus, quod sibi subveniatis de aliqua parte eorum, que habebitis super galeis vobis commissis sine magno incomodo galearum. Et etiam si vellet subventionem gentium, placeat nobis, quod provideatis et subveniatis sibi de hominibus antedictis de Sibinico, ut bene custodiatur et conservetur. Et si dicto castellano melius videretur levare insignia nostra super dicto castro, placebit nobis, ut omnes, qui haberent malum conceptum, et attenderent ad illud castrum, se removeant a tali proposito, et habeant causam a tali eius molestia desistendi. Expeditis autem predictis, scribatis nobis omnia, que facta fuerint in predictis, et sequimini formam vestre commissionis. De parte 92, de non 0, non sinceri 2.

Secreta cons. rogat. vol. VI. u mlet. arkivu.

God. 1416. 24. travnja, u Mletcih.

O najmu tridesetine u Zadru.

Thomas Mocenigo dei gracia dux Veneciarum etc. nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano de suo mandato comiti, et Nicolao Venerio capitaneo Jadre et . . . successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Audivimus et intelleximus id, quod nobis alias dici fecistis de facto trentesimi, quod nomine nostri communis Jadre exigitur, videlicet, quod vobis videretur utilius pro nostro communi, quod dictum trentesimum affictaretur, quod nomine nostri communis predicti exigeretur causis et rationibus nobis per vos declaratis. Ea propter parere et oppinionem vestram merito commendantes, fidelitati vestre cum nostris consiliis rogatorum et additionis rescribimus et mandamus, quatenus videre debeatis illud, quod exactum est per nostrum comune a duobus annis citra singulo de trentesimo predicto, et habita informatione predicta, debeatis incantare dictum trentesimum, habentes advertentiam, quod trentesimum ipsum non vendatur precio minori, quod solitum est exigi per nostrum commune singulo anno, sed avantazare debeatis nostrum commune in quantum fuerit possibile, affictando dictum trentesimum per unum annum, et sic successive de anno in annum, providendo, quodque conductores dicti dacii solvant de tribus in tres menses, et dent bonas et idoneas plezarias.

Date in nostro ducali palacio die XXIIII mensis aprilis, indictione VIIII, MCCCCXVI.

Alia ad c. $^{36}/_{3}$ de dato XVIIII iunii MCCCCXVI, indictione VIIII iisdem rectoribus scriptum, auditis nobilibus viris Vitale Miani et Laurentio Capello provisoribus: „quod debeant incantare et affictare trentesimum predictum ita quod nichil conductores trentesimi predicti exigere debeant ultra illud, quod solitum est per elapsum exigi“; et quod de cetero eapropter „sit solum unus camerarius cum uno scriba“ in Jadra.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro I. c. 36“ u zadarskom arkivu.

God. 1416. 27. travnja, u Mletcih.

šibenički neka pokuša druge načine, kojimi bi se mogao dobiti Omiš.

1416. 27. aprilis. Capta. Quod scribatur ser Blasio Delphino comiti Sibenici in hac forma: duas litteras vestras recepimus datas alteram quinto alteram 15 mensis instantis, continentes omnia, que circa negotia castri Almisii usque nunc sunt secuta, et vidimus, qualiter, redeunte Biloslao, uno ex castellanis Almisii, de Bossina cum eius familia, quidam Micatius de Ragusio castellanus Bistrice, eum ibi retinuit, et exinde qualiter unus alius novus castellanus cum triginta sociis noviter supervenerat pro parte ducisse loco Biloslavi et Ostoye sotii sui, qui, ut scribitis, iam de dicto castro dissessit simul cum fratribus Biloslavi et eorum familiis, ac in Bossinam redierunt, propter que concluditis, quod vobis non videtur, quod de illo facto per illam viam amplius sit sperandum propter recessum illorum et adventum novi castellani . . . . quod nobis displicet . . . . Considerantes autem importantiam huius facti, et presertim si dictum castrum Almisii ad manus personarum nobis non acceptarum deveniret, cupientesque illud pluribus respectibus in potestatem nostram reducere . . , . mandamus . . . . quod debeatis aut per viam ducisse aut per viam regis Ostoye de Bossina praticare, si esset aliquis modus, per quem ipsum castrum habere possemus vel per pecunias vel per alium habilem modum . . . . damus vobis libertatem expendendi usque ad summam ducatorum quinque millium de pecunia nostri comunis pro habendo dictum locum . . . ." Hoc teneat secrete, et informet. +108—10—2.

Secreta cons. rogat. vol. VI. 95, u mlet. arkivu.

God. 1416. 7. svibnja, u Mletcih.

Dozvoljeno načelnikom zadarskim, da u potrebi naoružaju ladje na obranu prolazećih brodova.

Thomas Mocenigo dei gracia dux Venetiarum etc. nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano de suo mandato comiti et Nicolao Venerio capitaneo Jadre et . . . . successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Intellectis literis vestris, quibus nobis scripsistis, nonullas barcas armatas exeuntes de locis circumstantibus et se extendentes usque in districtum nostrum Jadre et ad alia loca nostra damnificasse et damnificare fideles et subditos nostros et alios transeuntes per mare, quibus obviare non potestis nisi habeatis libertatem, brigentinum nostrum etc., vobis cum nostris consiliis rogatorum et additionis concedimus, quod quocienscumque fuerit oportunum possitis reparari facere et armare brigentinum nostrum predictum et etiam barcas pro securitate navigiorum et haveris transeuntium per aquas et partes illas, sicut sapientie vestre utilius et melius apparebit.

Date in nostro ducali palacio die 7. maii, indictione VIIII, MCCCCXVI.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro I. c. 36" u zadarskom arkivu.

God. 1416. 7. svibnja, u Mletcih.

Nalaže se knezu Šibeničkomu, neka čim prije nabavi Omiš, da neprodje u dubrovačke ruke.

1416. die 7. maii. Capta. Cum pridie de mense aprilis preteriti propter mutationem castellanorum castri Almisii captum fuerit in isto consilio, et mandatum nobili viro ser Blasio Delphino comiti nostro Sibinici, quod praticare et procurare deberet habere ipsum locum et castrum Almisii, et fuerit sibi data libertas expendendi usque ad summam ducatorum quinque millium, dummodo hoc procederet de consensu aut regis Ostoye de Bossina aut domine ducisse condam ducis Crevoye, sicut in parte superinde capta continetur. Et modo per litteras ipsius nostri comitis habeatur, quod ille novus castellanus est optine dispositionis verus nostrum dominium, et contentus est ipsum castrum dare nostro dominio, et est iam in concordia pro ducatis III mille haberdo etiam quattuor lanceas in una ex terris nostris. Set quia dubitatur, quod forte propter illud nostrum mandatum dictus noster comes desistet prosequi tractatum et accipere ipsum castrum a dicto castellano; et propter multas evidentissimas causas faciat pro nobis et statu nostro habere ipsum castrum, ne vadat ad manus Raguseorum aut aliorum nobis non acceptorum; et etiam quia habetur, quod non est contractum matrimonium inter regem Ostoyam et dictam ducissam; vadit pars, quod non obstante eo, quod pridie captum fuit, rescribatur et mandetur nostro comiti suprascripto, recomendando modos, quos tenuit, quod sumus contenti et volumus, quod ducere possit et debeat tractatum, quem habet cum dicto castellano, ad complementum, et accipere illud castrum pro nostro dominio tam ab ipso castellano quam a quocumque alio, qui illud sponte dare vellet, cum conditionibus, quibus est secum in concordio, aut aliter usque ad summam alias, ut predicitur, limitatam; solicitando eum, quod procuret exequi factum et habere locum in potestate nostra, providendo de custodia sufficienti pro eius conservatione, quia nos summus dispositi et parati attendere, observare et adimplere effectualiter omnia, que nostro nomine promiserit, quia omnis mora importat preiudicium acque periculum. De parte 86, de non 1, non sinceri 5.

Secreta cons. rogat. VI, 96 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1416. 21. svibnja, u Mletcih.

Dieli se pravica njekomu Zadraninu.

Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus et sapientibus viris Johanni Lauredano de suo mandato comiti Jadre etc. scribit, quod intellectis iuribus et specialiter privilegio de die VIIII novembris 1397 indic. VI Nicole de Sloradis Jadrensis, eidem annis singulis assignet 150 libras parvorum ex incantu insule Vergate „pro utilitate et fructu duorum terciorum ville Radoconas, quousque per com mune Jadre eidem de dictis duobus terciis fuerit persolutum . . . .“ „Data in nostro ducali palacio die XXI. maii, indictione VIIII. MCCCCXVI“.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro I. c. 4“ u zadarskom arkivu.

God. 1416. 29. svibnja, u Mletcih.

Mletčani odustaju od toga, da si Omiš pribave.

1416. die 29. maii. Cum die sexto mensis aprilis captum fuerit in isto consilio et data ampla libertas comiti nostro Sibenici, quod procuret habere nomine nostro castrum Almisii, et presertim a castellano, qui noviter supervenerat nomine ducisse quondam ducis Crevoie . . . et ad presens habeatur, quod illud castrum devenit ad manus comitis Johannis de Cetines, qui est subditus sive adherens regis Hungarie . . . . vadit pars, quod dicta pars penitus revocetur, ita quod de ipso loco se non intromittat ulterius, salvo si videret, quod comes Johannes vellet illud castrum dare . . . .

Scribatur comiti Sibenici . . . . super facto Almisii, de quo vobis data est lata spes ex parte cuiusdam ser Saraceni Cose, qui est ex confinatis Sibenici, et quem comes Johannes de Citina, ut dicitur, elegit in castellanum dicti castri . . . . debeatis obtinere dictum castrum Almisii per viam concordii . . . . nec debeatis dictum castrum furtive neque per vim modo aliquo acceptare seu accipere.

Secreta cons. rogat. VI. 100, u mlet. arkivu.

God. 1416. 28. srpnja, u Mletcih.

Republika uzima u svoje ruke razprodavanje soli na Pagu, te odredjuje, da bude u Pagu komornik, koj će se tim poslom baviti.

1416. die 28. iulii. Ser Leonardus Mocenigo, ser Albanus Baduario, ser Nicolaus Victuri, ser Marinus Caravello procurator, ser Antonius Contareno procurator, ser Franciscus Fuscari procurator, sapientes consilii. Capta. Quia in loco nostro Pagi exigitur bona quantitas denariorum pro sale, qui ibi fit, et bonum et utile sit providere, quod rationes nostre dicti salis teneantur ordinate, et quod comune nostrum non defraudetur, vadit pars, quod fieri debeat unus camerarius Pagi cum salario librarum XXV grossorum in anno et ratione anni, qui eligi debeat in maiori consilio per duas manus electionum, probando electos ad unum ad unum, et ille, qui habuerit plures balotas transeundo medietatem consilii sit firmus, et sit per duos annos et tantum plus, quantum sucessor suus ire distulerit, et tenere debeat suis salario et expensis duos famulos. De commissione autem sua, et quibus modis teneri debebunt computa dicti salis, provideri debeat per collegium antequam fiat electio dicti camerarii, pro non occupando istud consilium. De parte 65, de non 0, non sinceri 0.

Sapientes suprascripti. Capta die suprascripto. Quod scribatur comiti et capitaneo Jadre in hac forma. Recepimus literas, per quas nostro dominio denotastis, utilissimum fore pro nostro dominio, quod acciperemus in nostrum comune totum salem deinde. Et quia scripseratis comiti nostro Pagi, ut deberet investigare dextro modo voluntatem illorum civium, qui vobis respondit, quod ipse induxerat eos ad pretium ducatorum septem pro centenario mensurarum, quod erat iustum pretium, sed postea occaxione duorum, qui vocantur Greschus Belinich et Vulchus Sprechinich, qui contaminaverunt illos fideles nostros de Pago, qui

de hoc erant contenti, prefati nostri de Pago dicunt, hoc nolle facere etc. Quibus intellectis, vobis respondemus cum nostris consiliis rogatorum et additione, quod cum illis dextris modis, qui vobis videbuntur, debeatis dictum salem emere, expendendo usque ad summam ducatorum septem pro centenario mensurarum, faciendo hoc cum quam maiori contentamento civium fideliumque nostrorum deinde poteritis; et si emetis dictum salem, debeatis deputare illos officiales, qui vobis videbuntur necessarii super facto salis predicti, ne comune nostrum defraudetur. Et scribetis nobis, quid facietis in predictis, pro nostra informatione. De parte 64, de non 0, non sinceri 1.

Misti LI. c. 148, u mlet. arkivu.

God. 1416. 29. kolovoza, u Mletcih.

Šibeničani prikloni da se ondje podigne tvrdjava.

1416. die 29. augusti. Capta. Quod respondeatur comiti Sibinici in hac forma:

Recepimus litteras vestras, per quas nobis denotastis intentionem illorum civium Sibinici, que est, ut edificetur castrum Sibinici. Et per ultimas vestras datas nono augusti repplicastis cognoscere omnes cives utriusque partis Sibinici esse ita bone voluntatis ad ipsum castrum construendum, quod ubi primo scripseratis, quod ad construendum dictum castrum erat necessarium illic adesse nostrum capitaneum culphi cum quattuor vel quinque galeis, nunc clare videtis, quod sufficerent solum pedites trecenti, et sic vos hortantur fideles nostri de inde. Quibus literis vestris diligenter intellectis, solicitudinem et diligentiam vestram laudantes, cum nostris consiliis rogatorum et additionis fidelitati vestre respondemus: quod, sicut scitis, promisimus illis de Sibenico de non construendo castrum predictum, et contra promissiones nostras nullo modo ire intendimus nisi captum foret per consilium suum de faciendo castrum predictum. Sed quia requisistis, quod esset necessarium, quod haberitis pedites trecentos, vobis denotamus, quod mandavimus capitaneo nostro culphi, quod mittere debeat ad partes Dalmatie duas galeas culphi pro custodia locorum nostrorum, et reddimur certi, quod dicte galee presto erunt in Dalmatia, et ordinabimus rectoribus nostris Jadre, quod ad omnem requisitionem vestram vobis transmittant pedites centum. Et quia estis presens factis, et bene potestis videre et comprendere dispositiones et voluntates civium Sibinici circa hoc, relinquimus in libertate vestra de providendo, quod cives Sibinici de presenti ponant in consilio suo de faciendo castrum predictum vel quod expetetis adventum dictarum duarum galearum nostrarum, et cum applicuerint, providere, quod dicta pars ponatur. Et quicquid terminabitis vel de faciendo dictam partem de presenti ponere vel de expectando adventum dictarum galearum ad ponendum ipsam, placebit nobis. Et ut possitis hoc exegui, per litteras nostras presentibus alligatas scribimus ser Georgio Lauredano venturo vicecapitaneo dictarum duarum galearum, quod ad omnem vestram requisitionem debeat Sibinici remanere pro constructione castri predicti; et similiter rectoribus nostris Jadre, quod iuxta requisitionem vestram debeant vobis transmittere pedites centum.

Et ut ad executionem constructionis dicti castri attendere possitis, mittimus vobis secundum requisitionem vestram ducatos sexcentos. Quicquid autem deliberabitis et terminabitis, debeatis nobis per vestras litteras denotare. De parte 72, de non 0, non sinceri 1.

Secreta cons. rogat. VI. 114 tergo, u mlet. arkivu.

God 1416. 17. rujna, u Mletcih.

Sigmund piše Hvaranom, neka mu pošalju vieštaka za gradjenje i popravljanje brodova.

Nos Sigismundus etc. Nobiles fideles grate et sincere dilecti. Scimus quidem vestram fidelitatem de nostris felicibus auspiciis letis gratulari visceribus, et ob id eidem vestre fidelitati nostri corporis ad optatam incolumitatem, qua valente gratia altissimi votive perfruimur, duximus nunciandum. Ceterum fideles dilecti, quia sicuti vestram fidelitatem, ita orbem universum credimus non latere, quomodo persecutores nominis christi et inimici dei celi impii Turci per sua iacula hostilia ac dira, infesta et seva bella, eorum frequentatis insultibus catholice religionis fideles exterminare, ac ipsorum cervices suorum pedum subiugare calcaneis moliuntur. Quibus qui cristos domi rabida feritate tangere laborant, et morsibus amarissimis in suis prophetis satagunt malignari, suppreme necessarium est per fidelium katolicorum principum et aliorum celi terreque domini gloriam zelancium, potenciam obviare. Cum autem fideles dilecti nos, qui quasi tocius vite nostre cursum pro fidelis christiane plebis protectione cum predictis infidelibus Turcis christi blasphemis, luctando, detrectando et preliando, gravibus pugnis et laboribus consumavimus. Adhuc nostre celsitudinis viribus parcere nolentes, brachium nostre potencie via bifurcata, videlicet tam in terris quam in aquis, ad comprimendum eorumdem Turchorum presumptuosam malignitatem et audaciam furibundam proposuerimus in adjutorio altissimi, qui docet manus nostras ad prelium et digitos nostros ad bellum, erigere et dilatare, pro quorum invasione et aggressu plurimarum galearum, galeotarum, brigantinorum et aliarum navium copiam nobis fore necessariam iudicavimus et opportet, quas in antedicto regno nostro Ungarie per diversorum magistrorum et artificum magisteria et artificia in ea arte peritorum decrevimus preparari. Igitur eandem vestram gratissimam fidelitatem attente requirimus eidem nichilominus, quo firmo nostro regio sub edicto precipientes mandamus, quatenus in promocionem executionis nostri premissi propositi promciorem, quosdam certos valentes artifices et peritos magistros galearum, magistros galeotarum, et magistros brigantinorum nec non calafatorum ac marengarios, qui arte sua galeas, galeotas, brigantinos aliaque navium genera, et ad eas necessaria preparare et adoptare sciunt, nostro quo poteritis maiori conduci facientes et cum eisdem convenientes, nostram ad racionem nobis rescribendo quantitatem salarii seu stipendii, quod eorum cuilibet mensiverimus, pro ipsorum laboribus solvere debebimus. Quibus fidelis noster dilectus magnificus Pipo de Ozora comes Themesiensis, etiam dum ipse de huiusmodi conventione et pactis per vestram fidelitatem informatus fuerit, plenam solutionem faciet, eosdem magistratos et artifices

in antedictum regnum nostrum Ungarie ad prelibatum comitem Piponem quocicius poteritis transmittere debeatis.

Datum Calesii in portu maris, die XVII. mensis septembris, regnorum nostrorum anno Ungarie etc. XXX, Romanorum vero septimo.

A tergo: Nobilibus iudicibus, consilio et comunitati nostre civitatis Lesna fidelibus nostris grate et sincere dilectis.

Izvornik u bečkom dvorskom arkivu.

God. 1416. 21. rujna, u Calaisu.

Sigmund nalaže Dubrovčanom, da tri otoka izruče Ladislavu Jakču, komu jih namienio.

Commissio propria domini regis. Sigismundus dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. rex. Fidelibus nostris grate et sincere dilectis nobilibus viris iudicibus, consilio et communi civitatis nostre Ragusiensis salutem et graciam. Cum nos attentis inviolate fidelitatis laude attolendis obsequiis ac variis sinceris, quibus fidelis noster sincere dilectus egregius vir Ladislaus Jakch de Kusal aule nostre miles locis et temporibus supreme incumbentibus ad nostre celsitudinis regnique et regnicolarum nostrorum honorem et profectum in nostri conspectum se gratum reddidit et acceptum, sic non minus de eiusdem Ladislai prudencia, sagacitate et industria plenam gerentes fiduciam, animo deliberato ac certis de causis animum nostrum regium rationabiliter moventibus, prefato Ladislao Jakch insulas nostras Curzula, Brachya et Lezna vocatas pro nunc erga vestre fidelitatis manus existentes simul cum universis et singulis ipsarum censibus, collectis, redditibus et proventibus nostre celsitudini provenire solitis, vigoribus aliarum litterarum nostrarum usque nostrum beneplacitum pro honore duximus conferendas, velimusque modis omnibus, ut predicte insule nostre eiusdem Ladislai et suorum manibus absque omni difficultate et contradiccione per vestram fidelitatem remittantur, assignentur et sue gubernacioni, regimini et disposicioni committantur. Igitur eandem vestram fidelitatem attente requirimus, nichilominus eciam eidem regio nostro sub edicto firmissime precipimus et mandamus, quatenus habita presencium noticia, omni occasione, recusa difficultate et ceteris obstaculis quibuscumque postergatis, supradictas nostras insulas Curzula, Bracha et Lezna vocatas manibus antedicti Ladislai Jakch assignare et easdem ipsius gubernacioni, regimini et totali disposicioni prout super hiis eidem plenam et omnimodam facultatem concessimus, quod clarius ex aliis nostris litteris superinde confectis apparebit, committere debeatis. Aliud sub obtentu gracie nostre non facturi, ne nostra ardua agenda ipsi Ladislao commissa regni nostri notabilem profectum et utilitatem respiciencia ex aliqua vestri negligencia, quod non credimus, retardari videantur; presentes post lecturam reddite presentanti. Datum Calesii in portu maris in festo beati Mathei apostoli et evangeliste. Anno domini MCCCCXVI, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. tricesimo, Romanorum vero septimo.

Izvornik u bečkom dvorsk. arkivu.

God. 1416. 21 rujna, u Calaisu.

Sigmund podjeljuje otoke Korčulu, Hvar i Brač Ladislavu Jakču, da tim obdari njegove zasluge.

Nos Sigismundus dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Ungarie, Dalmacie et Croatie etc. rex. Memorie commendamus tenore presentium significantes quibus expedit universis: quod nos diligenti consideratione pensantes inviolate fidelitatis laudabilia obsequia, virtuosas et multifarias sinceras conplacentias, quibus fidelis noster grate et sincere dilectus egregius Ladislaus filius Georgii Jakx de Kusal aule nostre miles in plerisque nostris arduis agendis et regni nostri variis expedicionibus, ne dum in predicto regno nostro Ungarie, verum etiam hiis proximis annis retrolapsis nobis extra predictum regnum nostrum Ungarie in hiis longinquis diversis mundi climatibus pro sacrosancte universalis ecclesie dei et sacri imperii status salubri reformacione laborantibus, idem Ladislaus cum decenti apparatu ad nostram maiestatem veniendo, non parcens laboribus, persone et sumptibus expensarum diucius in nostra curia regia perseverando pro nostri regii honoris exaltatione predictique regni et regnicolarum nostrorum comodi notabili incremento laudabiliter et fideliter se nostre celsitudinis in conspectum summa cum diligentia et solicitudine indefessa studuit reddere gratum utique et acceptum. Nichilominus eciam de eiusdem Ladislai nostri fidelis prudentia, legalitate et industria, quas in eodem non per aliena documenta, sed antiqua personali noticia conspeximus, plenam et indubitatam gestantes fiduciam, eidem in signum aliqualis regalis benivolencie quasdam insulas nostras regias, Corcula, Lesna et Bracia vocatas, simul cum universis et singulis pertinenciis, censibus et redditibus, emolumentis et generaliter quibuscunque fructibus et proventibus nostre maiestati administrare consuetis usque nostrum beneplacitum pro honore duximus conferendas, et easdem ipsius fideli gubernacioni subiugandas et comittendas, imo conferrimus, subiugamus et committimus harum nostrarum litterarum testimonio mediante.

Datum Calesii in portu maris in festo beati Mathei apostoli et evangeliste. Anno domini MCCCCXVI, regnorum nostrorum anno Ungarie etc. XXX., Romanorum vero septimo.

Suvremeni prepis u bečkom dvorskom arkivu.

God. 1416. 21. rujna, u Calaisu.

Sigmund moli Hvarane, neka vjeruju ono, što će jim reći Ladislav Jakč u njegovo ime.

Sigismundus dei gracia Romanorum rex semper augustus, ac Ungarie, Dalmacie et Croatie etc. rex. Fidelibus nostris nobilibus viris iudicibus, consilio, universis et singulis insulis civitatis nostre Lesne salutem et gratiam. Cum nos non obstantibus gravissimis nostris laboribus, quos per nonnullos retro lapsos annos substulimus, et de presenti pro sacrosancte universalis ecclesie dei ac imperii status reformacione salubri benivole sufferimus indesinenti cura et solicitudine noster regius fre-

quenter existat occupatus animus, quomodo et qualiter felix regnum nostrum Ungarie et eius confinia a perfidorum cuntis christi persecutorum impiorum Turchorum hostili invasione, ne dum illesum et tute conservare, verum etiam quibus viis et modis ad eorundem finalem exterminationem procedendum, et eosdem cum exercitu nostro validissimo, quem altissimi adiutorio instaurare intendimus, in eorum propriis laribus potenter invadere valeamus; super non nullis igitur nostris intencionibus premissi negocii executionis non modicam ymo profructuosam promocionem respicientibus vestre universitatis fidelitati exponendis, fidelem nostrum dilectum egregium et nobilem Ladislaum filium Georgii Jakx de Kusal aule nostre militem plenius informatum ad vestram fidelitatem duximus transmittendum affectuosam, et eandem vestram fidelitatem rogantes attente, quatenus eidem Ladislao in omnibus, que nostri parte vestre fidelitati retulerit, plenam et indubitatam fidem adhibere. Et ea, que pro premissorum nostrorum arduorum agendorum promocione idem Ladislaus verbo nostro regio per vos fieri pecierit, ob riverenciam, obedienciam et honorem nostre regie celsitudinis debito effectu mancipari studeatis. Et ut nostra regia voluntas facilius certa premissa effectum sorciatur, omnia et singula quecunque et qualitercumque existant, que prefatus Ladislaus, coloquio ac tractatibus per eundem et vestram fidelitatem super premissis celebratis vobiscum disposuerit, fecerit, ordinaverit, promiserit et concluserit, prorsus et per omnia absque observari et variacione aliquali rata et grata hec habere ac inviolabiliter observari promittimus verbo regio et policemus, harum nostrarum testimonio litterarum.

Datum Calesii in portu maris in festo sancti Mathei apostoli et evangeliste. Anno domini MCCCCXVI., regnorum nostrorum anno Ungarie etc. XXX., Romanorum septimo.

Izvornik u bečkom dvorskom arkivu.

God. 1416. 23. rujna, u Calaisu.

Sigmund obaviešćuje Hvarane, da je njihov otok podielio svomu viernomu Ladislavu Jakću.

Sigismundus dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Ungarie, Dalmacie, Croatie etc. rex, fidelibus nostris nobilibus viris iudicibus, consilio, universisque et singulis insulanis civitatis nostre Lesne salutem et graciam. Cum nos pro fidelitatibus et fidelium serviciorum, gratuitorum meritorum laude digniorumque complacenciis per fidelem nostrum dilectum egregium et nobilem Ladislaum filium Georgii Jakx de Kusal aule nostre militem, in plerisque nostris et dicti regni nostri variis agendis et expendicionibus, nec non in hiis longinquis diversi mundi climatibus, non parcendo laboribus, pecunie et expensarum sumptibus, pro nostri regii honoris exaltacione predictique regni et regnicolarum nostrorum commodo cum suprema diligencia nostre celsitudini exibitis et impensis; nichilominus etiam de eiusdem Ladislai prudentia, legalitate et industria sufficienter experti, et plenam gestantes fiduciam, inter alios honores eidem de nostre celsitudinis benivolencia collatos

pretactam civitatem nostram Lesne simul cum universis et singulis suis pertinentiis, censibus, collectis, fructibus, redditibus, emolumentis et generaliter cunctis utilitatibus nostre maiestati provenire solitis vigoribus aliarum litterarum nostrarum usque nostrum beneplacitum pro honore duxerimus conferendum, et ipsius fideli gubernacioni committendum. Igitur vestre uuiversitati et cuiuslibet vestrum fidelitati firmissime precipimus et mandamus, quatenus presencium continenciis sane intellectis, antefato Ladislao fideli nostro in omnibus licitis et honestis obedire et obtemperare, de universisque censibus, fructibus, redditibus, emolumentis et singulis utilitatibus nostre regie excellencie porrigendis, eidem locis et temporibus solitis impendere, et per quos decebit responderi facere debeatis tam diu, donec aliud a nobis superinde habueritis in mandatis; agentes in premissis, ut de debite fidelitatis observantia mercanum commendaremus. Presentes post lecturam reddi iubemus presentanti.

Datum Calesii in porta maris secundo die festi beati Mathei apostoli et evangeliste, anno domini M.CCCC.XVI., regnorum nostrorum anno Ungarie etc. XXX. Romanorum vero septimo.

Izvornik u bečkom dvor. arkivu

God. 1416. 3. studenoga, u Mletcih.

U poslu tvrdjave več podignute u Šibeniku.

1416. 3. novembris. Capta. Cum provisum fuerit, quod pro possendo facere et de novo edificare castrum Sibinici venire deberent ad partes Dalmatie ser Georgius Lauredano vicecapitaneus culphi cum una ex galeis Crete, quas duas galeas capitaneus noster generalis misit ad partes Dalmatie in executione mandatorum nostrorum, et sicut per literas comitis nostri Sibinici et dicti ser Georgii Lauredano habetur, dictum castrum esse reductum in bona fortitudine, et bonum sit evitare expensas dictarum galearum, vadit pars, quod commitatur et mandetur ser Georgio Lauredano vicecapitaneo nostro culphi, quod recepto presenti nostro mandato debeat licentiare galeam de Candida, que secum est, ut redeat in Cretam ad disarmandum. Set ante recessum dicte galee debeat dictus ser Georgius facere circam ordinate, et per suas literas ordinate scribat regimini Crete, et dictum regimen informet de circa predicta. Verum quia pium est providere, ut dicta galea de Creta habeat aliquam subventionem, scribatur et mandetur regimini nostro Corphoy, quod hominibus dicte galee det subventionem, videlicet hominibus de pede ducatos duos pro quolibet, et ducatum unum pro quolibet homine de remo sive valorem dictorum ducatorum. Et scribat dictum regimen Corphoi regimini nostro Crete de subventione predicta, ut retineantur dicti denarii in Creta de refusuris suis. Et committatur stricte dicto regimini, quod omnino faciat predictam subventionem remota omni causa, non retinendo galeam predictam in Corphoi ultra dies duos ad longius; et mandetur supracomito dicte galee, quod nullo modo differe debeat in Corphoy ultra dies duos et in Mothono nisi die uno, ut celeriter reverti possit ad disarmandum. Insuper quia habetur per literas ser Georgii Lauredano, quod comes noster Sibinici misit

quandam barcham Spaletum pro factis Dalmisii, scribatur et mandetur dicto comiti et dicto ser Georgio Lauredano, quod debeant esse insimul, et si videbunt et cognoscent non fore necessarium dictum ser Georgium pro factis Dalmisii vel pro aliis factis nostri comunis debere in illis partibus ulterius stare, facta terminatione per eos, debeat dictus ser Georgius cum galea sibi comissa venire Venetias ad disarmandum. Et ante suum recessum de Sebenico debeat dictus ser Georgius dimittere pro munitione castri Sibinici usque quinquaginta curatias nostri comunis ex melioribus, quas habebit, pavesia, lanzeas et veretonos ac bombardas quas habet; et de omnibus rebus, quas dimittet dictus ser Georgius, debeat comes noster Sibenici informare nostrum dominium et patronos nostros arsenatus, ut rationes dicti ser Georgii videri possint. Ceterum committatur capitaneo nostro generali culphi, quod in reditu suo similiter dimittere debeat in dicto castro Sibinici de curatiis, pavesiis, veretonis, lanzeas omnes et lombardas nostri comunis, quas habet, ut dictum castrum in omni casu sit bene fulcitum. Et de omnibus rebus, que dictus capitaneus dimittet in Sibenico, debeat comes Sibinici informare nostrum dominium. De parte 75, de non 4, non sinceri 1.

Secreta cons. rogat. VI. 121, u mlet. arkivu.

God. 1416. 16. prosinca, u Aquisgnani.

Sigismund javlja Dubrovčanom, da je već poslao svoga savjetnika Ladislava Jakća u njihove strane i u poslu onih otoka.

Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungarie etc. rex. Nobiles fideles nostri grate et sincere dilecti. Non dubitamus, quin vestra constans immarcesibilis fidelitas, quam semper fidelitate incorrupta nobis et sacro nostro regio dyademati prestitistis, suam cuiusdam consolacionem recreacione reficitur, dum eadem de nostre fidelitatis prosperitate avisatur. Et ideo eidem vestre fidelitati nostram sanitatem, qua corpus nostrum, cum votivis et felicium successuum prosperitatibus perfruitur, dignum duximus intimandum, tenentes pro certo, quod de hiis omnibus et singulis, que per discretum Marinum presbiterum nuncium vestrum nostre regie maiestati intimastis, quidque in eisdem augere debebitis fidelis noster dilectus nobilis et egregius Ladislavus Jakć de Kusal, noster miles et consiliarius, quem ad vos cum pleno et sufficienti mandato atque potestate nostra regia, presertim in facto nostras insulas concernente, proxime transmisimus, dum ipse ad vos applicaret, vos clarius informabit. Ceterum committimus, ut vos de illarum et aliarum parcium novitatibus, que dum ad vestras aures deducte fuerint, crebrius aviset.

Datum Aquisgrani die XVI. decembris, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXX., Romanorum vero septimo.

A tergo: Nobilibus et egregiis, rectori, iudicibus et consilio nostre civitatis Ragusii fidelibus nostris grate et sincere dilectis.

Presentate die XXX. iannuarii illustrissimi domini nostri per presbiterum Marinum.

Izvornik u bečkom dvorskom arkivu.

God. 1417. 23. ožujka, u Korčuli.

Ladislav de Jakć, kraljev povjerenik u Dalmaciji, potvrdjuje, da je od Dubrovčana primio otok Korčulu.

Egregii et spectabiles viri, amici honorandi. Significare vobis per presentes cum dilectionis fervore curavimus, nobis vestro mandato omni debito honore domini nostri domini regis vester civis honobilis vicarius pro sacra maiestate regia hic in insula Corzule constitutus nobilis vir Raphael de Goce civitatem hanc Corzule et totam ipsius insulam consignavit gratanter. Et sic ipsam parte maiestatis regie recepimus. Super quo ipsum nonnisi laudare valemus, vobis virtuose in omnibus vobis commendantes. Valete. Corzule XXVIII. mensis martii millesimi quadringentesimi XVII., indictione decima. Ladislaus Jacce de Chusal, regius commissarius in regno Dalmacie etc.

A tergo: Egregiis ac spectabilibus viris dominis rectori et consilio civitatis Ragusii amicis fidelibus domini nostri domini regis nostrisque honorandis.

Recepte die V. aprils 1417. D. Ladislaus Jachez de receptione regiminis Curzole.

Izvornik u bečkom dvorskom arkivu.

God. 1417. 4. svibnja, u Mletcih.

Naputak vrhovnomu zapovjedniku na moru.

1417. die 4. maii. Quod fiat comissio nobili viro ser Jacobo Trivisano capitaneo generali culphi ut infra.

Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Comittimus tibi nobili viro Jacobo Trivisano, capitaneo nostro generali culphi, quod in bona gratia ire debeas cum presentibus nostris galeis ad partes Dalmatie videlicet ad civitatem nostram Jadre, et cum ibi applicueris, subito debeas licentiare galeam ser Nicolai Trevisano filii tui, dando eidem literas nostras, quas scribimus regimini nostro Crete ac illis de Rodo; illique committendo, quod debeat prestissime quantum poterit ire Mothonum, et ibi persentire, utrum galee due, que armari debebant in Candida, erunt adhuc armate et expedite. Et sentiendo, quod nundum sint armate nec expedite, debeas expedire unum nuncium, qui per terram cum litteris vadat prestissime ad regimen Nigropontis, avisando eum, quod debeat facere parari et armari galeam Nigropontis, ita quod in acessu tuo Nigropontem sit parata et in ordine, et possit sequi te; quo facto, debeas prestissime, quantum possibile tibi fuerit ire in Candidam, et presentare dicto regimini suprascriptas nostras litteras, et illud solicitare, quod prestissime omni causa remota expediat dictas galeas, expetando ibi, proutque fuerint expedite. Et postmodum cum eis debeas cum omni solicitudine ire ad inveniendum dominum ducham Egeopelagi, et eundem requirere et solicitare, ut presto armari faciat et parari galeam suam, et illam mittat Nigropontem cum illis verbis et modis, que tue prudentie videbuntur. Expediendo te ab ipso domino ducha quam cicius poteris, et dato ordine de armamento predicto, vadas Nigropontem, ubi cum regimine nostro ipsius loci esse debeas, et des ordinem, quod galea

Nigropontis presto paretur et armetur, si armata non foret, ita quod in accessu tuo in Nigroponte sit parata et in ordine, ne per hoc habeas causam retardandi ibi, expetando illic te. Si vero in dicto tuo acessu Mothonum sentires a certo, quod dicte due galee de Candida essent armate et iam exivissent, debeat in hoc casu ipse ser Nicolaus assignare castellano nostro Mothoni litteras suprascriptas, que mittuntur regimini Crete et illis de Rodo, et eundem requirere et onerare per partem nostri dominii, quod procuret dictas litteras prestissime per bonum et securum pasagium transmittere dicto regimini Crete, ita quod non falat quin ad eius manus perveniant; et in quantum ipse castellanus non haberet prestum passagium, debeat ipsas litteras mittere per unum gripum usque in Candidam, et dato ordine predicto ire debeas ad inveniendum dominum ducham Egeopelagi occasione suprascripta, et postmodum vadas prestissime Nigropontem, ubi pones ordinem de armamento galee Nigropontis, sicut superius per ordinem continetur. Expedita dicta galea de Jadra, ut superius continetur, conferre debeas cum rectoribus nostris et dicere, quod nostra dominatio est disposita, quod castrum Sibinici compleatur et in fortitudinem debitam reducatur. Et propterea volumus, quod tunc cum dictis rectoribus debeatis invicem deliberare secundum nova et conditiones, in quibus se repperiet civitas Jadre et partes ille. Si capitaneus noster Jadre posset absque dubio vel preiuditio honoris et status nostri et illius civitatis venire usque Sebenicum, et si deliberabitur, quod venire possit, volumus, quod tu ac ipse et comes Sibinici debeatis exequi infrascriptam nostram intentionem. Et si idem capitaneus non veniret, tunc tu et comes Sibenici facere debeatis, sicut inferius comittemus. Set in omnem eventum aut veniat aut non veniat capitaneus Jadre, volumus, quod ducere debeas tecum magistrum Jacobum Celega murarium et aliquos ex fidelibus civibus nostris Jadre intelligentibus et expertis, non possendo stare Jadre nisi uno die.

In Sibinico vero esse debeas cum comite dicti loci et cum capitaneo Jadre, si illud veniet, ad videre et examinare simul cum dictis Jacobo Celega et aliis fidis et intelligentibus personis conditionem et statum castri Sibinici, et qualiter debeat construi et poni in debita fortitudine, et dare ordinem necessarium, ut construatur et fortificetur. Et dato invicem modo et ordinibus opportunis volumus, quod capitaneus Jadre revertatur Jadram, si illuc venerit, et similiter magister Jacobus Celega ad vacandum laboreriis castri Jadre; et comes Sibinici provideat et attendat ad executionem eorum, que per vos fuerint terminata in facto dicti castri Sibinici, dando principium, quantum celerius poterit, et procedendo sollicite ad perfectionem, sicut etiam sibi scribimus; et de deliberatione, quam feceritis, ac de modis et ordinibus observandis, ac de omnibus ad dictum negotium pertinentibus, et similiter de novis ac conditionibus illarum partium debeatis nos distincte et plene informare, ut si quid esset per nos providendum, id facere valeamus; terminando, quod dictum castrum fiat in illo loco et per illum modum, qui sit magis habilis et comodus ad possendum subvenire ipsi castro per mare; non possendo stare in Sibinico nisi duobus diebus.

Secreta cons. rogator. VI. 180, u mlet. arkivu.

God. 1417. 4. svibnja, u Mletcih.

Pomorski kapetan neka podje do Skadra i razvidi ondješnje stvari, navlastito glede Balšina ponašanja.

1417. 4. maii. Quod fiat commissio nobili viro ser Jacobo Trivisano, capitaneo generali culphi ut infra. Nos Thomas Mocenigo etc. . . . . · Factis deliberationibus et datis ordinibus suprascriptis volumus, quod ire debeas Scutarum, eundo usque sanctum Sercium, pro visitatione locorum et conforto subditorum nostrorum, informando te a rectore nostro Scutari de novis omnibus occurrentibus, et quod sit sollicitus et vigilet ad utilitatem et comodum locorum nostrorum pro honore et statu nostri dominii; et si casus daret, quod, essendo in fluminaria Scutari, Balsa veniret ad colloquium tecum, vel aliquem ex suis mitteret, debeas cum ipso vel cum suis uti bonis et amicabilibus verbis, que tue sapientie videbuntur, ut dictus Balsa habeat causam perseverandi in benivolentia et pace nobiscum; et si quid esset vel occurreret novi, studeat nobis significare; non possendo stare in dicta loca ultra tres dies.

Secreta cons. rogat. VI. 143, u mlet. arkivu.

God. 1417. 13. svibnja, u Mletcih.

Neka se razproda paklenjača uzapćena njekim Hvaranom za namirenje šteta od Hvarana nanesenih njekomu Mletčaninu.

MCCCCXVII. die XIII maii. Ser Victor Pisani, ser Orius Pasqualigo, ser Ludovicus Venerio, sapientes ordinum. Capta. Cum vigore partis capte in isto consilio die octavo decembris nuper elapsi occaxione derobationis et danni dati per illos de Liesna cochine nostre, cuius erat patronus Johannes Bonus Ludovici civis nostri, per provisores nostros comunis intromissa fuerit certa quantitas picis, que iam per duos menses vel circa stetit apud ipsos nostros provisores sequestrata, et illi de Liesna non videantur dispositi facere debitum suum secundum requisitiones eis multocies factas pro dicta causa; vadit pars, quod committatur provisoribus nostri comunis, quod debeant vendere ipsam picem, et denarios, qui extrahentur ex illa, conservare damnificatis suprascriptis pro parte eius, quod habere debent de danno suo predicto Si vero dicti damnificati forent contenti accipere illam per extimationem, que fiat per personas praticas et expertas de tali re, debeant ipsi provisores illam picem eis consignare per extimationem predictam pro parte eius, quod habere debent, ut est dictum, reservando eis ius suum in residuo damni, sicut in parte predicta continetur. Ulterius committatur ipsis provisoribus, quod debeant ipsis damnificatis dare et consignare illos denarios, qui alias ad eorum peticionem sequestrati fuerunt per istud consilium de bonis illorum de Ragusio, qui superhundaverunt a satisfactione unius alterius damni dati per illos de Liesna uni nostre barche, que ibat versus partes Albanie, capte et derobate per illos de dicta insula Liesne Et provisores comunis habeant parvulos sex pro libra secundum consuetudinem sui offitii. De parte 104, de non 0, non sinceri 2.

Misti. LII. c. 13 retro, u mlet. arkivu.

God. 1417. 17. lipnja, u Mletcih.

Republika obdaruje viernost Radića Sakata sina Nikole njegda gospodara Budvanskoga.

1417. 17. iunii. Ser Orius Pasqualigo, ser Victor Pisani, ser Ludovicus Venerio, sapientes ordinum. Capta. Cum comparuerit ad presentiam nostri dominii egregius vir Raditius Sachati filius quondam domini Nicole olim domini Budue et totius territorii, quod tenet ad presens dominus Coya, qui quidem dominus Nicola, dum vixit, fuit fidelis et devotus servitor nostri dominii, exponens, quod cum sit reductus ad terminum et conditionem, quod, nisi habeat subventionem nostri dominii, non videt, quomodo vivere possit cum eius familia, respectu quod non intendit se adherere aliis dominis vicinis locis nostris Albanie, quia scit, quod non sunt amici nostri dominii. Et etiam cum uno equo, quem habet ad soldum nostrum in Scutaro, vivere non possit, dignaremur eidem providere per modum, quod cum aliquali honore suo vivere possit sub umbra nostra, et nostro dominio fideliter servire, quemadmodum fuit condam pater suus, qui fuit fidelissimus nostri domini, ut est dictum. Cumque fuerimus informati, quod sit utilissimum retinere ipsum penes nos ob multos bonos respectus et maxime, quia est valde dilectus in illis partibus, et iuvenis aptus et valens de persona; vadit pars respectibus predictis nec non respectu bonorum operum dicti quondam patris sui, quod eidem et suis filiis de legitimo matrimonio natis et nascituris detur territorium Paraspuich ville Calderoni, videlicet Balderoniza, Grebazi et Albori de Cesari, quod presentialiter est vigrum et incultum, cum conditione, quod teneatur illud facere laborari et solvere de illis ex ipsis territoriis, qui laborabuntur, decimam nostro dominio; et similiter ex illis, que allis affictabit, non super illo tenere nec ponere de hominibus contracte nostre, sed de forinsecis et extraneis, quos de novo illuc conducere debeat, et ultra hoc habeat unum alium equum ad soldum Albanensium in Scutaro usque ad nostri dominii beneplacitum, non augendo tamen numerum equorum nec expensarum nostro comuni ultra id, quod est limitatum. De parte omnes.

Senato. Misti. LII. 28, u mlet. arkivu.

God. 1417. 9. srpnja, u Mletcih.

Potvrdjuje se, da Pažani mogu razprodavati svoju sol u Obrovcu, ali se strancem zabranjuje izvažati trg iz onih strana.

1417. die 9. iulii. Sapientes consilii. Cum in 1415. die 11. mensis iunii concessum fuerit fidelibus nostris Pagi, quod possint conducere salem suum ad illas partes et loca, ad que soliti erant dictum salem conducere, solventibus ipsis datia debita, et sub ista concessione et gratia dicti de Pago conduxerunt et conducunt ad locum de Obrodvacz terre firme salem suum, propter quod Murlachi et alii dictarum partium conducunt caseum et alias suas mercationes ad dictum locum de Obrodvacz et alia loca circumstantia, que mercationes de dictis locis extrahuntur per Marchianos et alios, et conducuntur ad partes suas, quod redundat ad maximum damnum datiorum nostrorum Jadre, quia ubi primo dictus

caseus conducebatur Jadram et similiter alie mercationes et deinde Venetias, et solvebant datia nostra Jadre et Venetiis, propter concessionem predictam conducatur ad alias partes cum magno detrimento datiorum nostrorum Jadre et Venetiarum; vadit pars, quod remanente firma concessione per nos facta fidelibus nostris Pagi conducendi salem suum ad partes et loca consueta terre firme, ordinetur et committatur rectoribus nostris Jadre, quod debeant armare unam vel duas barchas, et ipsas tenere armatas ad obviandum, quod aliquis non possit extrahere de dicto loco de Obrodvacz et de aliis locis terre firme per opositum insule nostre Pagi caseum nec alias mercationes, ut Murlachi et alii habeant causam conducendi dictum caseum et alias mercationes ad terram nostram Jadre, et deinde conducantur Venetias pro utilitate introituum nostrorum terre predicte, sicut consueti erant facere per elapsum.[1] De parte 101, de non 1, non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 52 c. 33 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1417. 23. kolovoza, u Mletcih.

Obavieščuje se knez šibenički uslied tajne prijave, da su ondje njeka vrata, kroz koja mogao bi neprijatelj neopaženo uvući se u grad.

Monitoria de proditione civitatis Sibenici. Thomas Mecenigo dei gratia dux Venetiarum etc. nobilibus et sapientibus civis Blasio Delfino de suo mandato comiti Sibenici et successori suo, fidelibus dilectis, salutem et dilectionis affectum. Porrecta fuit nobis quedam cedula tenoris et continentie, quam videbitis in copia presentibus introclusa, quam pro advisamento et pro informatione vestra vobis volumus destinari. Et quia in ea fit mentio de quadam porta existente ad monasterium fratrum minorum in ipsa cedula nominatum, que est a parte maris, debeatis cauto modo examinare predictam portam, et videre, si esse posset ullius importantie vel periculi; quod si esset, provideatis, quod penitus claudeatur et obturetur sic, quod remaneat absque periculo in cunctis casibus et eventibus. Et similiter essaminata continentia cedule suprascripte

---

[1] Missa haec pars die XX iulii 1417. nobilibus et sapientibus viris Petro Lauredano comiti et Sancto Venerio capitaneo Jadre, ut exequatur. Item 1417. XVII. iulii. Thomas Mocenigo etc. iisdem, quod teneantur duo barche ad obviandum contrabanis Obrovacii et in aliis locis terre firmae. Item de caseo non conducendo alio quam Jadram.

1417. 28. augusti. Thomas Mocenigo etc. iisdem in facto stipendiariorum et provisionatorum in Jadra et eius districtu.

1418. 8. aprilis. Thomas Mocenigo etc. iisdem scriptum, quod si aliquis compareret coram ipsis, volens aliquid petere a confinatis Venetiis, quorum multi sunt de Jadra et Sibinico, tali respondeant, quod venire debeat Venetias ad consequendum jura sua contra confinatos, ubi ei aministrabitur iusticiae complementum. Confinati, donec erunt ad confinia, non possint vendere bona sua stabilia, si essent alicui personae obligata. Si dicti confinati vellent aliquid peti facere ab aliquibus per comissionem, in isto casu teneantur etiam respondere in locis, ubi peterent.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro I. c. 37“ u zad. arkivu.

debeatis considerare ac diligenter examinare omnia, de quibus in ea fit mentio, et si videbitis esse aliquid opportunum provisione pro bono et commodo status nostri, provideatis et faciatis, sicut videbitis opus fore, et de tempore in tempus per vestras litteras nostrum dominium advisetis sicut duxeritis providendum, etiam si per nos esset aliud ordinandum, quod facere requiretis.

Copia cedule suprascripte. Informatio data ducali dominio.

Sapiate, che se non provediate ananzi, che la trevua finisca, Sebenico se perderà a questo modo.

El convento delli frati minori si e in un cavo della citta, ha una porta, che corresponde sovra mare, la qual e bassa e ben grande, che se calano li sacchi, le casse et altre cose, e si se tol del aqua del mar per lavar le scudelle et altre cose.

Finita la trevua el ban de Croatia misser Zuanne . . . de mis. lo vescovo de Zagabria, el qual die venir questo inverno a star a Tnin e Ostrovizza, si elezera de Morlacchi et altri schiavi gaiardi e valenti da settecento e piu, segondo che parerà a quelli, che sarà con lui, e si vignirà di notte appresso lo logo delli frati, e li la porta, la qual e nominata, sara aperta, e la scala de canevo e de legni come se fà, ali nostri mura appesa, e per quella questa zente si entrara in lo convento, e si se refarà e reconzara, e possa, non so se con seguito o senza seguito de cittadini, eo li andarano alla porta di terraferma, e li romperanno le porte, per dar transito e entrada alla zente grossa, che dovera vegnir per terra, et in questo mezzo e anche facto questo andaranno e corseranno per la terra cridando, viva lo imperador; si che fate, che quella porta de cusina se mure, e anche fate fuora della terra la sotto lo convento alla riva de mare tegnir bona guardia. Ancora spiate, chi sono amici di Cregor da Sibenico ditto Gravan, e fate, che per alquanto tempo stiano for de Sebenico.

Data in nostro ducali palatio die XXIII augusti, indictione X, MCCCCXVII.

Diplomatarium Sibenicense u dvorskoj knjižnici bečkoj rukop. br. 13461. str. 89.

God. 1417. 28. kolovoza, u Mletcih.

O daćah iznajmenih u Vrani i u Novom Gradu.

Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus et sapientibus viris Petro Lauredano de suo mandato comiti et Sancto Venerio militi capitaneo Jadre etc. Ad petitionem istorum „utrum castelani Aurane et aliqui stipendiarii et provisionati habitantes Auranam et Novigradum, qui solent accipere ad affictum dacia dictorum locorum, et fideles nostri dominus Simon de Detricho miles et Thomas de Petrizo nobiles Jadretini ac provisionati, qui solent conducere insulas et alias intratas nostras, intelligantur et comprehendantur sub parte faciente prohibitionem affictacionis daciorum communis alicui stipendiario“ declarat dux „quod tam ipsi, quam alii fideles Jadretini non comprehendantur neque intelliguntur sub strictura predicte partis . . . . Date in nostro ducali palacio die XXVIII. augusti, indictione decima, MCCCCXVII.“

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Libro I. c. 5.“ u zadarskom arkivu.

God. 1417. 18. listopada, u Kostanci.

Sigmund odredjuje, da izbor sudaca na Hvaru ima se odsele obavljati kao što u Spljetu.

Nos Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. rex ad perpetuam futuram rei memoriam. Opus est, ut principis alta providentia sue rationis oculis suam policiam perspicaciter consideret, ut in ea in agendum ordinem statuat, ne ordine deficiente respublica inopine deficiat, et monstruosis recta ductoribus, sue salutis ruinam inevitabiliter patiatur. Sane ad universorum tam presentium quam futurum notitiam harum serie volumus pervenire, nos fama nobilium nostrorum fidelium approbata relatibus didicisse, quomodo certe generationis homines nostre civitatis Phare in insula nostra maritima in peculiari nostro regno Dalmatie predicte existentis, iudicatus officium eiusdem civitatis tenentes, et ipsum nostrorum et consuetudine antiqua et ad eos hereditario jure asserentes pertinere, idem iudicatus officium contra nobilium et totius communitatis predicte nostre civitatis Phare voluntatem potentialiter antedictis retroactis temporibus retinuissent et de presenti retinerent; qui plerumque sue salutis proprie immemores, iudicia facerent et sententias tenent ad eorum libitum voluntatis, in dictorum nobilium et communitatis preiudicium multum grave, quominus dicte nostre civitatis Phare policia salubriter regi posset, et respublica ruinam damnosam diutine minaretur; propter quod inter eiusdem nostre civitatis populum invidie, discordie et lites, sediciones, odia, omicidia et immortales innimicicie plurimum oriuntur. Unde nos quoad predicti iudicatus officium et etiam iuratorum consulum electionem et constitutionem ordinem statuere volentes salutarem, ordinamus, decernimus et firmiter statuimus, ut ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus in antedicta nostra civitate Phare iudices et iurati consules, more et instar nostre civitatis Spalati, modis et formis, quibus eadem nostra civitas Spalatensis in iudicum suorum ellectionibus et constitutionibus dudum rationabiliter gavisa et perusa dignoscitur, gaudetque et utitur de presenti, inviolabiliter observetis. Judices et iurati consules, qui pro ipsius policie conservatione et reipublice commodo, utilitate et honestate habiles et utiles videbuntur, eligantur, constituantur et preficiantur semper temporibus opportunis; omnem et quamlibet auctoritatem, quam prefate generationis homines aut aliquis in ea existens, ad huiusmodi iudicatus officium aut iudicum sive iuratorum consulum electionem aut constitutionem hereditariam, ut premittitur, se habuisse aut habere de presenti pretendissent vel pretenderent, de nostre regie plenitudine potestatis cassantes, irritantes et annullantes et revocata habentes, quidquid predicte generationis homines aut eorum alter in huiusmodi iudicatus officio a die insinuationis presentium ipsis fiende factum fuerit aut quomodolibet atemptatum, harum nostrarum presentium testimonio literarum. Datum Constantie die 18 octobris, anno domini 1817., regnorum nostrorum anno Hungarie etc. 31, Romanorum octavo.

Iz rukopisa u nas „Raccolta di varie memorie."

God. 1417. 20. prosinca, u Mletcih.

Odgovor na molbe pažkih poslanika

1417. die 20 decembris. In collegio. Ser Hermolus Dalmario, ser Franciscus de Garzonibus, sapientes ordinum. Quod providis viris Antonio Margarita et Nicolao de Radoso nuntiis comunitatis nostre Pagi ad capitula nostro dominio porrecta respondeatur:

Primo ad primum capitulum, per quod ipsi humiliter supplicarunt, quod nostra dominatio dignetur dicte comunitati Pagi subvenire et concedere ducat. V centum, cum quibus possint emere sibi blada de partibus Albanie vel aliunde, restituendo eos in duobus annis. Et hoc, quia, ut asserunt, sunt totaliter destructi de vineis, que pro maiori parte mortue sunt, et de salinis, que propter maximas aquas sunt quasi totaliter devastate etc. Respondeatur: quod ipsis fidelibus nostris de Pago valde compatimur de damnis et infortuniis eis occursis, et ob suam fidelitatem, ut se in hac sua necessitate substinere possint, concedi faciemus eis per viam gratie per nostra consilia ordinata duc. III centum auri de introitibus Pagi, qui non possint expendi in aliis rebus nisi in frumento, debendo eos restituere in duobus annis secuturis a die dicti mutui eis facti.

Ad secundum, per quod petunt, quod dignemur concedere comunitati nostre Pagi, quod in complendo castrum dicti loci, ne expensa hactenus facta sit in vano facta, et ut possint se defendere et eorum bonum animum demonstrare, possit ipse comes Pagi expendere duc. IIII centum etc. Respondeatur: quod habito respectu ad alias provisiones, quas facimus, unde dicti fideles nostri de Pago poterunt stare securi, et etiam considerato, quod locus Pagi de se est fortissimus, unde dubitare non possunt, etiam de ipsorum fidelitate et bono animo sumus certi, non est necessarium presenti anno expensas dicti castri facere, etiam pro non gravando dictos nostros subditos satis nunc gravatos.

Ad tertium, per quod petunt, quod nostra dominatio dignetur eis concedere, quod de introitibus Pagi solvatur uni medico vel barberio et uni magistro scolarum, qui in dicta terra sunt multum necessarii. Et si hoc dominio nostro non placeret, concedatur eis, quod datium furnorum, alias donatum per nostrum dominium dicte comunitati Pagi pro expensis, que occurebunt deinde fiende, et deinde dominatio vestra a dicto datio comuniter omnes absolvit, sic quod nunc de eo vestra dominatio nil habet utilitatis, iterum solvatur pro ut fiebat, antequam dominatio vestra illud ab ipsis de Pago accepisset, et quod tota utilitas dicti datii perveniat in dictam comunitatem Pagi, de qua possint solvere medico sive barberio et magistro scolarum ac facere alias expensas necessarias etc. Respondeatur: quod in complacentiam dicte fidelis comunitatis nostre sumus contenti eis concedere, quod amodo in antea dictum datium furnorum iterum et de novo exigatur per ipsos nostros de Pago, et quod eius introitus per eos expendatur, secundum quod requisiverint, et sic faciemus fieri privilegium nostrum cum bulla pendenti.

Ad quartum, per quod petunt, quod dignemur pro comodo dicte comunitatis refici facere carceres in loco, quo primo erant, quia cancellaria dicte terre, ubi sunt eorum scripture et carte, facta est de ne-

cessitate carcer et cancellaria, et propter carceratos, qui in ea sunt, non possunt videre cartas et iura sua etc. Respondeatur: quod sumus contenti, quod dicti carceres reficiantur, et sic scribatur et mandetur potestati nostro Pagi, quod pro possendo refici facere dictos carceres possit expendere usque summam duc. L auri. Et in casu quo dictus comes Pagi expendisset aliquid pro faciendo refici dictos carceres vigore alicuius libertatis sibi date, quod dicta expensa excomputetur de dictis L ducatis, ita quod non excedat in totum pro dictis carceribus reficiendis summam duc. L.

Ad ultimum, per quod petunt, quod dominatio nostra eidem de gratia concedat, quod possint ire cum eorum barchis et zopolis ad eorum salinas tempore noctis, quod facere non possunt propter certos ordines factos per nostros provisores missos ad partes Dalmatie, et quod hoc redundat eis ad incomodum et nostro dominio ad damnum etc. Respondeatur: quod voluimus super hoc habere bonam informationem, et habemus, quod id, quod provisores nostri tunc fecerunt, sit bene factum ad bonum tam dicte terre quam nostri comunis, et proterea non videtur nobis illum ordinem aliqualiter amovere. De parte 16, de non 0, non sinceri 0.

Senato. Misti. Vol. 52, c. 66. tergo, u mlet. arkivu.

God. 1417.

Ostoja, bosanski kralj, obdaruje svoje vjernike Vukašina, Barana i Juraja Vukačića.

Confirmatio cuiusdam privilegi facta Vuchasino et ceteris hic inferius anotatis.

Franciscus Foscari dai gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis, ad quos presentes pervenerint, denotamus, quod pro parte fidelium nostrorum Vuchasini, Barani et Jurai Vuchachi nobis fuit presentatum quoddam privilegium scriptum in lingua sclava, quod eis concessit serenissimus dominus Hostoya olim rex Bossine. Nos autem visa continentia dicti privilegii, quod traduci fecimus de lingua sclava in linguam italicam, volentibus supplicationibus dictorum nostrorum fidelium clementer annuere, cum nostro collegio ex autoritate sibi attributa a nostro consilio rogatorum approbavimus et confirmavimus dictum privilegium pro ut hic inferius iacet ad literam, videlicet:

In nome del patre et del figlio et del spirito sancto amen. Nui signor Hostoya per la gratia de dio re de Bosna, de Chumsca zemglia, Maritima, de le inferior parte de Usora, Solii, Podrime etc., et anche madona regina Elena et anche nostro figliolo conte Stefano facimo asaver a chadauno a chi conven per questa nostra lettera, come na servido fidelissimo servidor nostro Vuchasin et Baran et Juray Vuchachi ad ogni tempo fidelissima et dritamente, specialmente quando ne se diede e sotomesse Cumgliane, et per questa lor fedelta sopradita li habiamo fatto gratia nostra signorile, et si li habiamo conferma in tutto quello secondo li habiamo trovado, che li tegnia et rezevase al tempo de ban Stefano et a tempo del re Tuercho, et si li donasemo per stretura Machar cum el suo conta, et Cermichia cum el suo conta, et Pa-

sizna cum suo conta, et Miluse cum suo conta, et Labziam cum suo conta Questo li scrivissimo et donassimo ali sopradetti Vuchasin et ali loro posteriori, et che non sia sopra di loro superior nisum de quelli de Cumgliane, et che non sia da esser dadi a servir a nessun altro signor. Et a questo sono testimonii i nostri boni Bosnensi, videlizet: vayvoda Piero Paulovich cum la sua fraternita, et conte Radizo Radoevich cum sua fraternita, et conte Batich Mirchovich cum la sua fraternita, et vaivoda Ischo Semchovich cum la sua fraternita, et pristaldo della corte conte Juray Drachigevich cum la sua fraternita, et conte Tuerco Borovinich cum la sua fraternita, et il nostro maestro de la corte Nikola Cuclatovich cum la suo fraternita. Et chi contradira a questo, che sia infedel a dio et ala nostra signoria, salvo quello fosse visto o cognosudo per li nostri boni homini, che sia scomunicado per el padre, fiol et spirito santo et per quatro evangelisti et per li dodexi apostoli et per tutti i santi in eternum a dio et ala nostra signoria, et che sia participe a Juda Scarioto, el qual vende el figliolo de dio pro argenteis, et che sia participe a quelli, che cridava crucifige crucifige, et che quel sangue sia sopra de loro et sopra de lor figlioli, et che possa renunciar nel di del iudizio el angelo sancto amen. Scrito de MCCCCXVII. Mandamus igitur omnibus rectoribus et officialibus nostris, ad quos spectat et spectare poterit, quatenus hanc confirmationem nostram observent, et faciant ab omnibus inviolabiliter observari. Dato in nostro ducali palatio die XXII. iulii, indictione XV., MCCCC quinquagesimo secundo.

Commemoriales XIV. c. 101. tergo, u mlet. arkivu.

God. 1418. 10. siečnja, u Mletcih.

Mlečani privoljuju, da novoizabrani papa bude posriednikom mira medju njimi i Sigmundom.

1417. 10. ian. Ambassiatoribus papae nuper electi in Constantia affirmantibus, novum papam paratum se intromittere pro pace inter rempublicam et imper. Sigismundum restituenda, respondeatur; „quod de interpositione sanctissimi domini pape pro pace tractanda et concludenda inter dictum dominum regem et nostrum dominum sumus magis contenti quam de aliquo alio domino mundi, et illam tanquam devotissimi filii sue beatitudinis acceptamus.“ De brevi electuri ambasciatores ad papam.

Secreta cons. rogat. VI. u mlet. arkivu.

God. 1418. 18. siečnja, u Mletcih.

Ovlašćuje se knez pažki, da popravi svoju palaču i tamnice, a dvama iz Zadra u Mletcih zatočenim dopušćeno na dva mjeseca otići a Zadar.

MCCCCXVII. die XVIII. ianuarii. Consiliarii. Capta. Quod concedatur comiti nostro Pagi, quod pro reparatione palatii et carcerum possit expendere libras quadringentas de pecunia nostri comunis, sicut requisivit. De parte omnes.

Capta. Quod ad humilem supplicationem nostro dominio porrectam per fidelem nostrum Jadrensem Simeonem de Gallo, concedatur eidem, quod possit ire Jadram per duos menses cum conditione, quod sit per totum mensem martii reversus Venetias. De parte alii, de non 7, non sinceri 2.

Capta. Quod iuxta explicationem humilem nostro dominio porrectam ex parte egregii militis Cressii de Zadulinis fidelis nostri Jadratini concedatur eidem, quod pro aliquibus eius agendis, que requirunt personam suam, possit ire Jadram per duos menses cum conditione, quod sit reversus Venetias per totum mensem martii proximi. De parte omnes.

Misti LII. c. 68—9, u mletačkom arkivu.

God. 1418. 29. siečnja, u Mletcih.

Duždev sbor neka imenuje kastelana za Vranu.

MCCCCXVII. die XXVIIII. ianuarii. Sapientes consilii. Capta. Quia per mortem Johannis de Artusio olim castellani Aurane est necessarium providere de uno alio castellano fido et bene apto, considerata conditione loci et respectu temporis futuri, vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum habeant libertatem eligendi unum castellanum dicti loci Aurane cum salario, modis et conditionibus, quibus erat dictus quondam Johannes de Artusio. De parte 41, de non 12, non sinceri 2.

Misti. LII. c. 74, u mlet. arkivu.

God. 1418. 16. veljače, u Mletcih.

Pomnožava se vojska u Skadru zato, što Balša neprestaje zlostavljati mletačke podanike.

1417. 16. februarii. Cum per ea, que scribit comes et capitaneus noster Scutari, significando de modis, quos tenet Balsa in damnificando subditos et fideles nostros illarum partium, et ulterius, quod subditi nostri de inde, videntes se damnificari, murmurant et tenent ratiocinamenta, inter se conquerentes etc., bonum sit et utile pro securitate nostri status in illis partibus providere; vadit pars, quod de primis banderiis, que fient sive scribentur ad nostrum stipendium, mitti debeat una de XXV pagis cum illis modis, conditionibus et formis, que melius collegio videbuntur, quam banderiam dictus comes et capitaneus debeat apud se retinere in castro Scutari pro securitate et defensione loci predicti . . . . .

Et ulterius debeat dominium stipendiare de hinc equites triginta, qui se fulcire debeant equis de inde, sed debeant facere monstram armatam de hinc, et se expedire et ire cum dictis peditibus.

Secreta cons. rogat. VI. 190, u mlet. arkivu.

God. 1418. 26. veljače, u Mletcih.

Dopušća se knezu šibeničkomu popraviti bunar.

MCCCCXVII. die XXVI. februarii. Consiliarii. Capta. Quod concedatur viro nobili ser Benedicto Capello comiti nostro Sibenici, qu

pluries per suas literas dominio nostro scripsit, quod quedam cisterna, que in loco nostro Sibinici est, ubi habitat rector noster, totaliter est guastata, nec de ipsa potest haberi utilitas aliqua nisi reparetur, et supplicavit sibi concedi, quod pro reparatione ipsius possit expendere; quod possit expendere pro reparatione et aptatione dicte cisterne ducatos triginta auri de pecunia nostri comunis. De parte 129, de non 1, non sinceri 0.

Misti. LII. c. 78 retro, u mlet. arkivu.

God. 1418. 6. ožujka, u Mletcih.

Šalju se poslanici u Konstanciju u poslu mira sa Sigmundom, te jim se daje za to naputak.

1418. die 6. marcii. Dominus, ser Bartolomeus Nani sapiens consilii. Quod fiat commissio nobilibus ac sapientibus viris ser Marino Karavello procuratori ecclesie sancti Marci, ser Fantino Michael, ser Antonio Contareno procuratori et ser Francisco Fuscari procuratori sancti Marci, ituris ambassiatoribus ad summum pontificem.

Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Marino Karavello procuratori ecclesie sancti Marci, Fantino Michael, et Antonio Contareno procuratori sancti Marci, ac Francisco Fuscari procuratori sancti Marci dilectis civibus et fidelibus nostris, quod ire debeatis Constantiam in bona gratia ad presentiam sanctissimi in christo patris et domini domini Martini pape quinti in nostros solemnes ambassiatores, et sue beatitudini presentatis nostris litteris credulitatis, quas vobis dedimus, cum reverentia debita secundum mores consuetos debeatis nos nostramque comunitatem tamquam filios devotissimos sancte matris ecclesie sanctitati sue humiliter recomendare.

Facta autem recomendatione predicta sue sanctitati, explicabitis, quod nostra dominatio, audita creatione sua ad apicem summi apostolatus, que tam iuste tamque canonice, ymo ut verius loquamur, spiritualiter processit, de illa magnam consolationem et gaudium habuit et habet. Et propterea misimus vos in nostros ambassiatores ad presentiam sue sanctitatis ad congaudendum de creatione sua predicta, et ad certificandum beatitudinem suam, quod sumus contenti et dispositi obedire et habere ipsum in unicum summum pontificem et verum vicarium yhesu christi tamquam veri filii ecclesie sancte dei et beatitudinis sue, et subiungere, quod habetis alia exponere sue beatitudini, ita quod quando sua santitas mandabit, eritis ad presentiam suam, et exponetis alia vobis commissa.

Postea vero suo loco et tempore exponetis sanctissimo domino pape predicto, quod sua sanctitas avida et disposita ad universale et pacificum bonum tocius christianitatis et spetialiter ad bonam pacem tractandam et procurandam inter serenissimum dominum Sigismundum Romanorum et Hungarie regem et nostrum dominium tum respectu boni tocius christianitatis tum respectu etiam status sancte matris ecclesie et tocius Italie, per reverendum patrem magistrum Bartolomeum de Urbeveteri sue sanctitatis ambassiatorem nostro dominio exponi fecit, quod beatitudo sua offerebat se promptissimam et paratam operari et suas

gratiosas partes interponere pro dicta pace tractanda et concludenda. Et sicut dicto domino Bartolomeo respondimus, sic sue sanctitati humiliter dicimus, quod audientes sanctam dispositionem suam et voluntatem ardentissimam, quam sua sanctitas habet ad bonum universale et pacem omnium christianorum, cordialem consolationem et gaudium habuimus, supplicantes altissimo, ut dignetur sue sanctitati gratiam concedere, quod hanc suam sanctam intentionem et dispositionem possit mittere executioni. Et sicut prefato domino Bartolomeo respondimus, sic beatitudini sue humilimas gratias referentes de gratiosa oblatione sue sanctitatis de interponendo se ad pacem tractandam inter dictum serenissimum dominum regem Romanorum et Hungarie et nos, dicimus, quod de interpositione sue sanctitatis sumus magis contenti quam de aliquo alio domino mundi, et dictam eius interpositionem tamquam devotissimi filii sue sanctitatis humiliter acceptamus, et pro tractatu dicte pacis parati estis cunctis diebus et horis, sicut sua sanctitas mandaverit, quia ad hoc habetis plenum et sufficiens mandatum esse cum sua beatitudine et aliis, qui sue sanctitati videbuntur, ad dicendum et iustificandum iura nostra et ad veniendum ad praticam dicte pacis, ut deo dante mediante sua sancta interpositione dicta pax possit pacifico fine concludi et terminari.

Facta autem obedientia sanctissimo domino pape, et expositis sue sanctitati his, que superius vobis committimus exponenda super facto interpositionis sue beatitudinis pro pace tractanda inter dictum dominum regem et nostrum dominium, volumus, quod antequam visitetis dominos cardinales, si serenissimus dominus rex Romanorum et Hungarie erit Constantie, debeatis dare operam de comparendo ad presentiam dicti domini regis, et cum fueritis ad presentiam suam, presentatis nostris litteris credulitatis sue serenitati, facere debeatis devotam recomendationem cum illis verbis, que vobis videbuntur utilia et necessaria pro honore sue serenitatis et nostri dominii. Et subiungere debeatis, quod nostra dominatio, audita creatione summi pontificis, de qua consolationem et gaudium habuit singulare propter universale bonum tocius cristianitatis, vos elegit in ambassiatores ituros ad presentiam sue sanctitatis pro prestando sue beatitudini veram et filialem obedientiam. Set interim summus pontifex, ardentissimus ad pacem universalem christianorum, misit Venetias reverendum patrem magistrum Bartolomeum de Urbeveteri ad denotandum nostro dominio, quod pro bona pace tractanda et concludenda inter serenitatem suam et nostrum dominium paratus et dispositus erat suas gratiosas partes interponere, quam interpositionem devotissime acceptavimus et acceptamus, cum dispositio nostra sit cum quibuscumque christianis pacifice vivere et spetialiter cum sua serenitate, quam semper sincero corde diliximus. Et ob hoc non possumus credere, quod serenitas sua multis respectibus et spetialiter pro bono christianitatis et pro respectu eorum, que fecimus in complacentiam et comoditatem suam et regni Hungarie vellit perseverare in guerra nobiscum, maxime cum si sue serenitati placebit, possit fieri pax conveniens et rationabilis et accomoda ac grata sue serenitati et nostro dominio. Ad praticam cuius pacis parati estis cunctis diebus et horis devenire per medium et interpositionem sanctissimi domini pape predicti. Nam

pro dicta pace tractanda et concludenda habetis a nostro dominio mandatum in plena sufficienti forma.

Postquam autem fueritis ad presentiam dicti serenissimi domini regis, debeatis cum nostris litteris credulitatis visitare reverendissimos dominos cardinales, et cum illis verbis, que vestre sapientie videbuntur, offeretis nos nostrumque comune ad cuncta concernentia bonum et exaltationem sancte matris ecclesie et ad comoda et honorem suarum reverendissimarum paternitatum, quas cum verbis convenientibus et honestis rogabitis nostri parte, quod in his, que nostrum dominium habet, et de tempore in tempus habebit agere cum summo pontifice et in curia, paternitatibus suis placeat dicta nostra negotia suscipere favoribus propiciis recomissa.

Et quia reddimur certi, quod expositis omnibus predictis per sanctissimum dominum papam sive per deputatos ab eo requireremini de veniendo ad praticam pacis, volumus, quod si rex erit contentus veniendi ad praticam pacis, dicere debeatis, quod nostro dominio videtur, quod rex videtur conqueri de nostro dominio, et propterea essetis contenti sciendi illud, de quo conqueritur de nostro dominio, ut possitis omnibus requisitionibus suis respondere et sue sanctitati iura nostra liquide declarare.

Et quia putamus, quod dictus dominus rex, sequendo mores suos, quos observavit aliis vicibus cum ambassiatoribus, qui iverunt ad presentiam suam, peticiones altas et magnas faciet, videlicet: quod eidem restituamus illud, quod tenemus in Dalmatia et terras, quas tenemus, spectantes imperio; et quod similiter eidem solvamus ducatos VII mille pro tempore preterito, et similiter solvere pro tempore futuro secundum formam pacis Taurini; volumus, quod dictis requisitionibus et peticionibus suis respondere debeatis. Et primo super facto terrarum Dalmatie, quod donec dicte terre fuerunt supposite sue serenitati, nos nunquam temptavimus nec quesivimus dictas terras habere; set postquam dicte terre exiverunt de dominio suo et pervenerunt ad manus et dominium serenissimi quondam regis Ladislai, propter piraticas et cursus, qui tenebantur et exercebantur in dictis terris, a quibus recepimus magna damna et detrimenta, et quia manifeste videbamus, dictas terras et loca capitare debere personarum, a quibus habuissemus malam vicinantiam, et pro obstando periculis et inconvenientiis, que ex hoc sequi potuissent, emimus terras predictas, et ultra emptionem earum fecimus expensas in terris predictis ascendentes ad magnam summam denariorum, propter quod non esset rationabile nec iustum, quod dictas terras relaxare deberemus. Set si dicto domino regi placet, sumus contenti, dictas terras recognoscere a sua serenitate, regno et corona Hungarie, et solvere omni anno pro terris predictis unum exenium valoris ducatorum centum usque mille. Et circa hoc uti debeatis illis rationibus, modis et verbis utilibus et necessariis, quia de omnibus estis plenissime informati.

Super facto autem terrarum imperii volumus, quod dicere debeatis, quod illas aquisivimus ab illis, qui eas possidebant, cum maximis expensis, non voluntarii sed coacti propter diffidam nobis factam per illos, qui eas tenebant; allegando alias rationes, que allegari possunt, de quibus estis optime informati. Et subiungendo, quod sumus contenti reco-

gnoscere a sua serenitate et ab imperio dictas terras pro censu annuali. Et damus vobis libertatem possendi promittere pro censu annuali dictarum terrarum a mille usque triamillia ducatorum et ab inde infra, sicut melius facere poteritis.

Super requisitionem autem ducatorum septem millium, que vobis fieret, solvendorum per nos pro tempore preterito vigore pacis Taurini et pro futuro, volumus quod respondere debeatis, quod ad eorum solutionem nostrum dominium non tenetur, quia nostro dominio non fuit observatum illud, quod continetur in pace Taurini et in pace contracta in millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, nec potuisset observari, quia terre Dalmatie non erant sub potestate et dominio domini regis predicti. Iustificando iura nostra cum illis pertinentibus rationibus, que vestre sapientie videbuntur, quia de illis estis sufficientissime informati. Sed occasione dictorum septemillium ducatorum ne restet bona conclusio pacis, summus contenti et damus vobis libertatem, quod pro tempore futuro possitis promittere de dando et solvendo singulo anno dicta VII millia ducatorum, incipiendo facere dictam solutionem in festo sancti Stefani secundum continentiam pacis Taurini.

Si vero ultra suprascriptas peticiones dictus dominus rex alias peticiones faceret, quia peteret penam pacis, expensas per eum factas tempore guerre, damna et interesse, sicut consuetus est facere, vel alia similia, a dictis talibus suis peticionibus vos lutanare debeatis cum illis modis, verbis et rationibus, que vestre sapientie videbuntur pro bono nostro et bona conclusione pacis predicte.

Et si pro obtinendo ea, que superius continentur, necessarium foret contribuere aliquam quantitatem denariorum, damus vobis libertatem possendi promittere pro omnibus suprascriptis rebus obtinendis, ut superius continentur, utque ad quantitatem ducatorum centum et quinquaginta millium et ab inde infra, sicut melius facere poteritis, dante et restituente dicto domino rege nostro dominio castrum Ostrovize, Seravalum, Cenetam, Portobuffoletum et alia loca nostra a Liquentia citra, et similiter Feltrum et Cividadum. Et si caderet difficultas pro Feltro et Cividado, que habere non possetis, facta prius omni possibili experientia de habendo illa, sumus contenti, quod sine dictis Feltro et Cividado vel altero eorum concludere possitis; quos denarios promittere debeatis de solvendo per illos quam longiores terminos poteritis. Et si per dictos modos poteritis esse concordes, debeatis in bona gratia concludere, faciendo fieri instrumenta necessaria et opportuna.

Et si peteret restitutionem locorum suorum, que habemus et aquisivimus, solicitare debeatis, quod nobis remaneant; et quando hoc obtinere non possetis, sumus contenti, quod promittere debeatis restitucionem dictorum locorum a Quarnerio citra, non intelligendo Latissanam, que est unius civis nostri, qui illam sponte consignavit, quam volumus nobis remanere debere.

Et si per modos suprascriptos non possetis venire ad conclusionem pacis, sicut superius continetur, sumus contenti, quod venire debeatis ad praticam treuguarum, qnam treuguam volumus, quod praticare debeatis, concludere et firmare, si poteritis, cum illis modis et

conditionibus, cum quibus sunt treugue ad presens inter partes existentes, et per illud maius tempus, quo poteritis, et ad minus annos quinque.

Et si ad dictas treuguas non possetis venire, quia alias dictus dominus rex videbatur condescendere ad longas treuguas, dummodo pro toto tempore dictarum treuguarum solveremus statim dictos ducatos VII mille. Et propterea volumus et sumus contenti veniendi ad treuguas per annos vigintiquinque et ab inde supra quantum plus poteritis. Et sumus contenti, firmatis dictis treuguis, solvere ducatos centummillia in illis quam longioribus terminis poteritis, qui centummillia ducatus scontari debeant in ducatis septemmillibus. Et completa solutione dictorum centummillium ducatorum, sumus contenti singulo anno solvere ducatos septemmillia in anno usque complementum dictarum treuguarum, declarando, quod dicte treugue intelligantur pro factis imperii, Dalmatie et pro quibuscumque aliis, que agere haberemus cum domino rege predicto.

Et si devenire non possetis ad pacem aut treuguam per modos superius declaratos, scribere debeatis differentias partium, et expetetis nostrum mandatum.

Insuper quia in talibus et tantis tractatibus multum possunt prodesse promissiones pecunie, que fierent dono vel mutuo personis, que possent esse causa faciendi partem adversam condescendere nostre voluntati, vel informare vos de intentione alterius partis, damus vobis libertatem possendi promittere et expendere in talibus personis usque ad quantitatem ducatorum decemmillium sequente pace vel treuguis longis annorum vigintiquinque in tringinta, promittendo dictas solutiones secuta pace vel treuguis longis predictis.

Item si in dicta pratica fieret aliqua mentio vel requisitio vobis de galeis nostris contra infideles, damus vobis libertatem possendi et antequam exprimatis totam quantitatem pecunie et post et quando et sicut vobis videbitur posse prodesse nostris intentionibus suprascriptis promittere tenere in partibus Gretie a sex usque decem galeas armatas nostris expensis in subsidium et favorem christianitatis et ipsius domini regis Romanorum et Hungarie, quando et donec sua serenitas personaliter cum potenti exercitu erit et stabit in partibus Gretie contra infideles, declarando et ostendendo, ut est rey veritas, quanta gravedo et expensa nobis erit tenere tot galeas in dictis partibus, et quantus favor christianitatis et regni Hungarie, et quantum damnum et incomodum cedet nostris locis confinantibus cum Turchis et etiam mercatoribus nostris conversantibus in locis Turchorum; que promissio galearum habeat locum, si concludetur in pace vel longis treuguis annorum vigintiquinque in triginta.

Verum quia posset occurere, quod dictus dominius rex requireret et diceret de volendo stare iuri, et dominus papa de hoc vos requireret seu deputati ab eo, dicere et respondere debeatis, quod nostra dominatio semper desideravit, quod unicuique daretur ius suum. Sed consideratis conditionibus partium, non est opus, quod differentie partium videantur de iure, et potissime, quia deffendendo iura nostra nos opporteret multa dicere et allegare, que possent esse dicto domino regi gravia et molesta, et nos etiam illa male libenter diceremus, sed aliter pro defensione iurium nostrorum facere non possemus. Et propterea necessarium est,

quod dicte differentie per viam amicabilis compositionis et per medium domini pape componantur, et ita facere debeatis, quia intentio nostra est de non stando iuri de differentiis nostris predictis.

Item damus vobis libertatem, in casu quo videatis et comprendeatis posse devenire ad aliquam compositionem pacis vel treuguarum, et ob hoc foret necessarium elongare treuguas existentes inter partes, quod possitis elongare dictas treuguas ad longius usque per totum mensem maii, et quantum erunt pro minori tempore, tantum plus placebit nostro dominio.

Volumus etiam, quod, sequente pace vel treuguis longis, ponatur in dictis pace et treuguis, quod portus Dalmatie sint ambarum partium patentes et securi subditis ambarum partium, ita quod per illos possint secure ire, stare et redire, secundum quod soliti sunt facere; et quod in dictis partibus non detur receptio inimicis partium, victualia, subsidia vel favores, nec etiam receptentur cursarii nec alii malefici.

Volumus tamen, quod, dum eritis Constantie, si videbitis ibi stare non posse securi cum salvoconductu, quem habetis, serenissimi domini Romanorum et Hungarie regis occasione treuguarum, que complerent; quod sit in libertate vestra procurandi habere salvum conductum dicti domini regis continentem, quod non ostantibus aliquibus novitatibus et discentionibus, que occurrerent inter partes, dictus salvus conductus obtineat firmitatem; et si dictus dominus rex recusaret dictum salvum conductum facere, relinquimus in libertate vestra recedendi ad libitum vestrum pro securitate vestra. Et in casu quo recederetis pro non habendo salvum conductum predictum, volumus, quod post recessum vestrum dominus cardinalis Venetiarum procuret elongationem treuguarum per annos quinque, et eidem scribimus literas nostras, quas vobis consignavimus, et earum copiam vobis dedimus; quas literas, si recederetis, eidem consignare debeatis, ut possit elongationem treuguarum procurare.

Insuper, sicut scitis, in Venetiis et aliis terris et locis nostris iamdiu vacarunt et vacant ad presens multe prelature et beneficia, et cupientes, quod dicte prelature et beneficia conferantur personis ydoneis et sufficientibus, et que dictas prelaturas et beneficia secundum ordines nostros habere possint, dari faciemus vobis in scriptis omnes illas personas, pro quibus volumus per vos intercedi apud sanctissimum dominum papam, et preferantur prelaturis et beneficiis predictis. Et propterea volumus, et sic vobis mandamus, quod penes sanctissimum dominum papam et reverendissimos dominos cardinales et alios, qui vobis videbuntur, instare et solicitare debeatis, quod dicti, quos vobis in scriptis mittemus, ad prelaturas et ad beneficia, sicut vobis denotabimus, preferrantur, ut intentio nostra, sicut optamus, habeat effectum.

Insuper vobis in scriptis dari fecimus aliquas supplicationes episcoporum, dominarum abatisse et monialium sancte Marie de Virginibus et aliorum prelatorum et monasteriorum, sicut in eorum supplicationibus et informationibus, quas vobis dedimus, videbitis contineri. Et propterea fidelitati vestre mandamus, quatenus pro dictis episcopis, prelatis et monasteriis intercedere debeatis penes sumum pontificem, ut dictos episcopos, prelatos et monasteria dignetur in eorum supplicationibus suscipere gratiose recomissos, et instare cum honestate possibili, quod

orum intentiones obtineant, non impediendo tamen propter hoc facta principalia vobis comissa.

Insuper sicut scitis, fuit Venetiis dominus Bartolomeus de Urbeveteri ambassator summi pontificis, qui multum se obtulit operaturum et solicitaturum personam suam pro bona pace tractanda inter dominum regem et nostrum dominium, et per suas litteras multum efficaciter scripserit nostro dominio, ut sollicitaremus accessum vestrum; propterea volumus, quod existente dicto domino Bartolomeo Costantie, eidem nostri parte regratiari debeatis de eius optima et bona intentione; et si vobis videbitur de operando personam suam circa facta vobis comissa, placet nobis, quod illum operetis, et similiter alios, qui vobis videbuntur.

Insuper volumus, quod captato tempore condecenti debeatis sanctissimo dominio pape humiliter exponere, quod multum optamus ob dei reverentiam et augumento divini cultus, quod ecclesie et monasteria ac alia beneficia in Venetiis et aliis terris nostris existentia non conferrantur in commendam propter multos bonos respectus et causas. Et propterea devote sue sanctitati nostri parte supplicare debeatis, quod sua sanctitas dignetur prelaturas et alia beneficia, que vacant et in futurum vacabunt in terris et locis nostris, alicui non conferre in commendam, sed dignetur dictas prelaturas et beneficia conferre civibus et fidelibus nostris, ut divinus cultus debite ministretur, ut dicte prelature et beneficia sub debito ordine et regula gubernentur.

Insuper, sicut scitis, nos ad finem bonum et respectibus, quibus scitis, prohibuerimus per nostra consilia, quod aliquis ex subditis et fidelibus nostris non auderet nec ire posset Constanciam nec ad concilium sine nostra licentia. Et veritas sit, quod isto medio tempore comparuerint coram nobis non nulli tam citati per aliquos ex illis de dicto concilio quam volentes illuc ire pro prosequendis iuribus suis contra eorum adversarios, quibus expresse prohibimus, quod ullo modo ire deberent, propter quam causam de levi secuute esse possunt diverse sententie et diversi actus contra ipsos nostros subditos et fideles, qui propter eorum absentiam et contumatiam de nostro mandato processam forent contra iuris debitum aggravati, a qua gravitate sumus debitores eos totis viribus sublevare. Comittimus vobis, quod expositis factis principalibus vobis commissis debeatis captato tempore congruo et condecenti supplicare parte nostra apostolice sanctitati, quod dignetur de clementia et benignate sua apostolica providere, quod omnes actus et processus, qui emanassent hoc tempore medio contra ipsos nostros subditos et fideles, revocentur et annullentur, sintque nullius efficacie vel vigoris, sed quod partes in statum suum primum reducantur ac si facti non forent, ut omnes habeant et habere possint illud, quod iusticia suadebit.

Ordinavimus etiam, quod vos aut aliquis vestrum ambassatorum non possitis impetrare nec impetrari facere directe vel indirecte, tacite vel exprese, in curia aliquas dignitates vel beneficia ecclesiastica vel secularia per vos nec per alios vel interpositas personas quibuscumque nominibus dicte dignitates et beneficia nominentur, nec vos intromittere de talibus ullo modo, donec eritis in presenti ambassiata et per unum annum postquam redieritis Venetiis sub pena ducatorum

mille pro quolibet vestrum contrafaciente et impetrante vel procurante aliquid de predictis. Et notari vestri seu aliquis de familia vestra non possint modo aliquo, forma vel ingenio aliquid impetrare vel impetrari facere, sicut superius dictum est. Et insuper si aliquis vestrum contrafecerit, sit talis contrafaciens bannitus per quinque annos omnibus officiis, beneficiis et regiminibus comunis Venetiarum, et ad eandem penam cadant notarii vestri contra facientes. Alii autem de familia vestra et familiares contrafacientes perdant salaria sua, et stent tribus mensibus in una carcerum inferiorum; de quibus penis non potest vobis nec alicui alii contrafacienti fieri donum, gratia, remissio, recumpensatio, suspensio aut declaratio nec aliqua revocatio sub pena ducatorum mille pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium; de qua etiam pena non possit fierit gratia ut supra. Et sic procedatur de pena in penam usque in infinitum, exceptis dumtaxat literis sive bullis absolutoriis in articulo mortis et aliis agendis nostrorum civium, que vobis commiteremus per presentem commissionem aut in futurum vobis mandaremus cum deliberatione nostri consilii, pro quibus intercedere debeatis, sicut habebitis in mandatis, non impediendo tamen propter facta specialium personarum principalia facta nostri comunis. Et commisimus penas pecuniarias advocatoribus, qui illas exigant, habentes medietatem et aliam medietatem nostrum comune. Et si fuerit accusator, habebit tercium et aliud tercium nostrum comune. Et propterea contenta in presenti capitulo sub penis suprascriptis observare debeatis.

Colligatos autem et adherentes nostros ponendos in pace seu treguis, quam vel quas contraxeritis cum dicto domino rege, per nostras litteras presto vobis denotabimus.

Habuistis pro ista ambassiata ducatos ducentos pro quolibet, de quibus tenemini vobis fieri facere unam pulcram pellandam velluti carmexini. Et debetis ducere vobiscum quattros domicellos, tres ragatios et unam saumam pro quolibet, unum notarium cum uno famulo, unum expensatorem, unum seschalcum, unum mareschalcum, unum interpretem et unum chochum. Et potestis expendere ducatos vigintiunum in die non computatis agociis equorum nec nabulis navigiorum. De parte 112.

Ser Leonardus Mocenigo, ser Albanus Baduario, ser Nicolaus Victuri, ser Rossus Marino, ser Franciscus de Bernardo, sapientes consilii, volunt commissionem suprascriptam super facto obedientie prestande domino pape et super facto eorum, que exponere debent domino regi Romanorum et Hungarie. Et expositis predictis sicut superius continetur:

Si habebitis a dicto domino papa, quod prefatus dominus rex sit contentus de interpositione sue sanctitatis, et quod vellit venire per medium et interpositionem suam ad tractatum dicte pacis, et si dictus dominus papa vellet intrare ad praticam dicte pacis sive alii, quos vobis deputasset, et vellent a vobis scire causas differentiarum existentium inter partes, et vellent scire intentionem nostram circa factum pacis tractande a dicto domino papa seu deputatis ab eo, dicere debeatis, quod, sicut sue sanctitati notorium esse potest, idem dominus rex videtur conqueri de nostro dominio, et ob hoc iustum et conveniens est, ut exprimat et dicat illud, quod petit, et de quo conqueritur de nostro

dominio. Nam auditis peticionibus et requisitionibus suis facietis responsiones convenientes et rationabiles ac honestas et per modum, quod sua sanctitas remanebit bene contenta quantum ex parte nostri domini. Et circa hoc instare et solicitare debeatis, quod dictus dominus rex faciat peticionem suam, ut superius continetur.

Quando vero dictus dominus papa sive deputati ab eo vellent et instarent, ut apperiretis et declararetis differentias inter partes existentes, sumus contenti, quod quando aliter facere non possetis, dicere et exprimere debeatis, quod dictus serenissimus dominus rex videtur gravare de nostro dominio. Primo de emptione per nos facta de terris et locis Dalmatie, et petit, per nos sibi restitui debere terras et loca, que habemus et tenemus in partibus Dalmatie. Secundo petiit, quod solvere debeamus ducatos VII mille, ad quorum solutionem singulo anno faciendam asserit nostrum dominium teneri. Tercio petit, per nostrum dominium relaxari debere omnes terras et loca, quas et que habemus et tenemus, ut asserit, spectantes imperio. Et ideo sua sanctitas super predictis differentiis potest intentionem et spiritus suos intendere, ut inveniantur vie et modi, per quos removeantur differentie predicte.

Et quia super factis Dalmatie, et de causis, propter quod illam emimus, videlicet propter predas, rapinas et rauberias, que in Jadra et aliis locis Dalmatie committebantur contra nostros et eorum bona, et ne ad alienas manus capitarent, de quibus dictus dominus rex et nos fuissemus male contenti, de quibus omnibus estis plenissime informati, volumus, quod cum illis rationibus, verbis et modis, que vestre sapientie videbuntur, exponere debeatis causas predictas, que nos induxerunt ad faciendum emptionem predictam, et ostendendum, quod non fecimus in displicentiam nec vilipendium dicti domini regis. Similiter volumus, quod sustinere debeatis, nostrum dominium non teneri ad solutionem ducatorum septemmillium, quia dictus dominus rex vigore pacis non observavit nec potuit observare nobis ea, ad que obligatus est; sustinendo iura nostra cum illis honestis verbis et modis, qui vestre sapientie videbuntur utiles et necessarii. Et ita facere debeatis de locis et terris, quas habemus et tenemus, quas dicit ad imperium spectare, declarando, quantum iuste illas aquisivimus et cum quanta expensa non contra voluntatem imperii nec ad eius dedecus sed solummodo coacti et non voluntarii propter diffidam nobis factam et pro conservatione nostri status aliter facere non potuimus; ostendendo cum illis sapientibus rationibus, que vobis videbuntur, quod dictus dominus rex debet esse magis contentus, quod dominemur terris predictis quam alii, a quibus nullum servitium seu parvum habere poterit. Et cum istis et aliis verbis et rationibus super qualibet dictarum partium sustinere et iustificare debeatis iura nostri domini, de quibus estis plenissime informati.

Factis autem responsionibus, ut superius continetur, et iustificatis iuribus nostris, si haberetis et sentiretis, dictum dominum regem non esse contentum veniendi ad praticam super factis Dalmatie, volumus, quod de intentionibus nostris infrascriptis vos ullo modo apperire debeatis. In isto casu scribatis illud, quod habebitis, et expetetis nostrum mandatum. Sed si a domino papa vel deputatis ab eo haberetis vel

, dictum dominum regem esse contentum, quod habeamus et s Dalmatiam, et ob hoc necessarium foret, ut erga dictum re- iamus de rebus, que sint cum honore et comodo suo, volumus, spondere debeatis, quod volente dicto domino rege nomine suo i et corone Hungarie dimittere pacifice nostro dominio omnes terras et loca ac insulas, quas et que habemus et tenemus in Dalmatia cum iuribus et pertinentiis suis, et dare nostro dominio Tragurium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, et similiter castrum Ostrovitze, quod nobis fuit acceptum et occupatum, sumus contenti et sic vobis damus libertatem, quod possitis promittere nostro nomine dicto domino regi usque ad quantitatem ducatorum ducentorum millium et ab inde infra, sicut melius facere poteritis. Et quando dictus dominus rex non esset contentus dictas terras, loca et insulas Dalmatie, quas habemus et tenemus, Tragurium et Ostroviza libere dimitttere nostro dominio, sumus contenti illas recognoscere nomine census a dicto domino rege, regno et corona Hungarie, et quod possitis promittere usque ad dictam quantitatem ducatorum ducentorum millium. Et si aliquo dictorum duorum casuum non possetis obtinere Tragurium et Ostrovizam, sumus contenti, quod condescendatis sine Tragurio et Ostroviza, non possendo in isto casu expendere nisi ducatos centum et quinquaginta millia, et ab infra, sicut melius facere poteritis, habendo advertentiam de promittendo solvere dictos denarios per illos quam longiores terminos poteritis pro maiori comodo nostri dominii.

Super facto autem ducatorum septemmillium solvendorum annuatim, si vobis fieret aliqua requisitio, volumus, quod iustificatis iuribus nostris, sicut in precendenti capitulo continetur, videlicet, quod ad eorum solutionem nullo modo tenemur, sed ut dictus dominus rex et baroni regni Hungarie cognoscant bonam intentionem nostram, sumus contenti, et damus vobis libertatem, quod dicto domino regi, regno et corone Hungarie pro terris Dalmatie, quas habemus et tenemus, possitis promittere a mille usque VII mille ducatorum singulo anno solvendorum, habentibus libertatem a dicto domino rege hic Venetiis, existente nostro dominio libere absoluto a solutione ducatorum septemmillium tam pro tempore preterito quam futuro, quos dicerent nostrum dominium tenere et solvere debere vigore pacis Taurini.

Et si facta per vos omni possibili experientia non possetis obtinere de solvendo dictos septemmillia ducatos pro terris Dalmatie, sumus contenti, quod dicta septemmillia ducatorum solvere promittatis pro tempore futuro secundum formam pacis Taurini cum conditione, quod pro tempore preterito sumus liberaliter absoluti.

Super facto autem terrarum et locorum, quas et que habemus et tenemus, quas idem dominus rex asserit ad imperium spectare et pertinere, ut de intentione nostra sitis informati, volumus, quod similiter iustificatis iuribus nostris et allegatis causis, propter quas illa acquisivimus, si vobis fieret requisitio de relaxacione earum, debeatis eos a tali proposito et intentione removere. Sed ut dictus dominus rex videat nostram bonam intentionem, et quod sumus dispositi secum pacifice vivere, et quod sumus contenti dictas terras et loca ab imperio recognoscere, damus vobis libertatem possendi promittere pro eo, quod sol-

vebant illi, qui dominabantur et possidebant terras predictas, a ducatis mille usque III mille pro censu et nomine census terrarum et locorum predictorum singulo anno. Et si videritis, quod hoc non possetis obtinere, et quod necessarium foret exbursare aliquam quantitatem denariorum, ample confidentes de sapientiis vestris, damus vobis libertatem ultra solutionem annualem predictam possendi promittere dicto domino regi a mille usque quinquagintamillia ducatorum, sicut melius facere poteritis, quos solvere promittatis per illos quam longiores terminos poteritis pro maiori comoditate nostri dominii.

Volumus tamen, et sic est nostra intentio, quod, venientibus vobis ad concordium et compositiones predictas, idem dominus rex vobis restituat et restitui faciat omnes terras et loca, quas et que ipse seu gentes sue accepisset de manibus nostris vel nostrorum . . . Et si in restitutione predicta difficultas caderet pro Feltro et Cividado Bellunensi vel altero eorum, facta per vos omni possibili instantia de rehabendo illa, et non possitis illa habere, sumus contenti, quod, habendo alias terras et loca sine dicto Feltro et Cividado vel altero eorum, possitis concludere.

Et si peteret similiter relaxationem locorum subd torum et recomendatorum suorum, que acquisivimus, sumus contenti, quod instetis, quod dicta loca nobis remaneant. Et quando hoc obtinere non possetis, sumus contenti, quod promittatis restitutionem locorum predictorum, non intelligendo in hoc locum Latisane, qui est unius civis nostri, et qui illum sponte dedit et posuit in manibus nostri dominii.

Si autem vobis responderetur, quod dictus dominus rex non esset dispositus alienare Dalmatiam libere nec per modum census, sicut superius continetur, et diceretur vobis per dictum dominum papam vel deputatos ab eo, quod dictus dominus rex esset contentus per alios modos velle nostro dominio complacere de factis Dalmatie dummodo non sit cum onere suo, in isto casu dicimus, quod respondere debeatis dicto dominio pape vel deputatis ab eo, quod libenter velletis scire modum, per quem idem dominus rex vellet assentire de dicta Dalmatia voluntati nostri domini. Et si videretur vobis de principiando et aperiendo modum infrascriptum, hoc relinquimus in libertate vestra. Modus est iste, ostendendo a vobis hunc modum preponere, quod si sua dominatio assentiret velle condescendere ad treuguas per annos XXV usque triginta vel ab inde supra, et haberet a dicto domino rege Ostrovizam, mutuaret dicto domino regi pro terris et locis ac insulis, quas et que habemus et Ostroviza nobis consignandis duc. centum et quinquaginta millium cum conditione, quod si in capite dictorum vigintiquinque vel triginta annorum restitueret dictos denarios nostro dominio, teneremur eidem restituere Ostrovizam, et retinere illas terras, loca et insulas, quas et que habemus ad presens, et quod partes remaneant in illis terminis, in quibus ad presens sunt. Et si non restitueret pecuniam predictam, treugue remanerent firme, quousque solverit dictam pecuniam, si vobis videretur, quod dictus dominus rex haberet causam condescendendi ad treuguas predictas. Et si iste modus placeret dicto domino regi, sumus contenti, quod ad dictas treuguas condescendatis, sicut superius continetur.

Quando vero dictas treuguas habere non possetis per modum predictum, sumus contenti, quod possitis promittere dicta de causa duc. CL millia cum conditione, quod singulo anno de dicta quantitate denariorum defalcari debeant ducati VII millia; et defalcatis dictis denariis mutuatis sumus contenti usque complementum dictarum treuguarum singulo anno solvere ducat. septemmillia. Et finito termino treuguarum, partes remaneant in illo termino et conditionibus, in quibus sunt ad presens.

Si vero idem dominus rex non esset contentus defalcare dicta septemillia ducatorum in mutuo predictorum denariorum mutuatorum, sumus contenti, quod pro dictis treuguis possitis promittere ducat. centum et quinquaginta millia. Et ultra dictum mutuum dare et solvere singulo anno duc. septemmillia secundum formam et tenorem pacis Taurini domino regi predicto cum conditione, quod in fine treuguarum predictarum idem dominus rex solvere et restituere debeat denarios sibi mutuatos videlicet ducatos CL millia. Et si illos non restitueret, treugue firme remaneant usque quo restituerit denarios predictos. Et nos usque quo restituerit dictos denarios continuare debeamus anno singulo solutionem dictorum septem millium ducatorum. Et cum restituerit dictos denarios, partes remaneant in illis terminis, in quibus sunt ad presens.

Et ut de intentione nostra sitis plenissime informati, vobis declaramus, quod intentionis nostre est, quod venientibus vobis ad treuguas predictas per aliquem modorum suprascriptorum, quia nolemus esse in treuguis pro factis Dalmatie et pro terris imperii remanere in guerra, intentio nostra est, quod veniatis etiam ad concordium et compositionem terrarum imperii, videlicet, quod idem dominus rex nostro dominio confirmet terras et loca imperii, quas et que habemus et tenemus, pro censu annuali ducatorum mille usque triamillia in anno, et pro habendo confirmationem dictarum terrarum et restitutionem aliarum terrarum et locorum nostrorum, sicut superius continetur, damus vobis libertatem expendendi a mille usque quinquaginta millia ducatos.

Et si per aliquem modorum suprascriptorum non possetis venire ad treuguas predictas annorum vigintiquinque in triginta, sumus contenti, quod experiri debeatis de veniendo ad treuguas pro factis Dalmatie ad minus per annos quinque, et quod dictus dominus rex sit contentus confirmare nostro dominio terras et loca imperii, quas habemus et tenemus, cum censu annuali a mille usque triamilia ducatorum, et quod nobis restituat loca nostra et nos sua, que acquisivimus a Quarnerio citra. Et ob hoc sumus contenti, quod possitis expendere pro dictis treuguis et aliis contentis in presenti capitulo a mille usque quinquaginta millia ducatorum.

Quando autem facta omni experientia possibili non possetis ad aliquam compositionem venire de treuguis per modos superius declaratos, placet nobis, quod procurare et solicitare debeatis, quod treugue fiant generaliter inter partes per illum modum et formam, cum quibus sunt treugue ad presens inter partes existentes, et per illud maius tempus quo poteritis, et ad minus per annos quinque, et pro istis treuguis nolumus, quod aliquis expendere possitis.

Et quia eritis super praticis, et audietis et sentietis ab illis, qui ibi erunt nomine domini regis, confidentes de sapientiis et virtutibus vestris, relinquimus in libertate vestra copulandi omnes istas differentias simul, silicet facta Dalmatie, solutionem ducatorum septemmillium, confirmationem terrarum imperii, restitutionem terrarum et locorum nostrorum, et pro omnibus predictis promittere illam summam de summis superius specificatis, que vobis videbitur, vel incipere ab illis rebus, que vobis utiliores videbuntur pro obtinendo intentionem nostram predictam.

Verum ad declarationem vestram vobis denotamus, quod habere debeatis bonam advertentiam, quod pro factis terrarum imperii ultra censum annualem, quem promitteretis, si promittetis aliquam quantitatem denariorum, dicta talis promissio fiat per modum, quod alii successores dicti domini regis in imperio non possent similem requisitionem denariorum facere. De parte 43.

Senato. Secreta cons. rogat. VII. c. 1, u mlet. arkivu.

God. 1418. 21. ožujka, u Mletcih.

Nalaže se poslanikom u Konstanciji, neka primirje neproduže dalje od 8. svibnja, ako jim to moguće.

1418. die 21 marcii. Ser Leonardus Mocenigo, ser Albanus Baduario, ser Nicolaus Victuri, ser Rossus Marino, ser Franciscus de Bernardo, ser Bartolomeus Nani, sapientes consilii.

Quod scribatur ambassiatoribus nostris ad partes Costantie in hac forma. Capta. Sicut sitis per formam vestre commissionis dedimus vobis libertatem possendi elongare treuguas presentes in casu quo comprehenderetis posse devenire ad aliquam compositionem pacis aut treuguarum usque per totum mensem maii, et quantum esset pro minori tempore, tantum plus placeret nostro dominio etc., quam libertatem vobis dedimus, quia divulgabatur, dominum regem Romanorum de Costantia recesisse. Nunc vero sencientes, eundem dominum regem esse Constantie, et habentes, sicut scitis, gentes nostras paratas et in ordine, videmus prorogationem dictarum treuguarum usque per totum mensem maii posse esse factis nostris damnosam. Et propterea fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus dictas treuguas non debeatis prolongare ad longius nisi usque diem octavum mensis maii proximi. Verum si ante receptionem presentis nostri mandati dictas treuguas prolungavissetis vel de earum prolungatione non posse vos retrahere ab his, que promisissetis vel dixissetis, placet nobis et volumus, quod faciatis et observetis super hoc, secundum quod in commissione vestra continetur. De parte 110, de non 3, non sinceri 2.

Senato. Secreta cons. rogat. Vol. 7 c. 7, u mlet. arkivu.

God. 1418. 21. ožujka, u Mletcih.

Naputak za vrhovnoga kapetana na moru.

1418. die 21. marcii. Ser Secundus de Pesaro sapiens ordinum.

Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus tibi nobili viro Nicolao Capello capitaneo nostro generali culphi, quod in bona gratia ire debeas cum presentibus nostris galeis ad partes

Dalmatie et ad civitatem nostram Jadre et de inde Sibinicum, et ibi sumere informationem a nostris rectoribus Jadre et Sibinico de novis et conditionibus illarum partium. Et habita sufficienti informatione, cum omnibus galeis tibi commissis debeas, secundum quod tibi videbitur esse necesse, remanere et te nutrire in aquis Dalmatie, vigilando cum omni solicitudine et possibili cura ad conservationem, securitatem et defensionem locorum et fidelium nostrorum predictorum ac in quantum poteris aliorum nostrorum fidelium per dictas aquas navigantium, et ibi debeas expetare nostrum mandatum. De parte omnes alii, de non 1, non sinceri 0.

Senato. Secreta. cons. rogat. vol. VII. c. 7 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1418. 7. travnja, u Mletcih.

O pozivanju na sud onih, koji su se nalazili zatočeni u Mletcih.

1418. die 7. aprilis. Capta. Ser Leonardus Mocenigo, ser Rossus Marino, ser Franciscus de Bernardo, ser Bartholomeus Nani, sepientes consilii. Cum, sicut notum est, sunt confinati hic Venetiis multi de Jadra et de Sibinicho, et interdum citantur per rectores nostros ad instantiam aliorum in dictis locis existentium, qui dicunt habere debere a confinatis predictis, quod compareant ad defendendum coram dictis rectoribus nostris iura sua, qui confinati non possunt comparere, sicut est notum, et propter absentiam suam possent magna preiuditia sustinere; et pium sit ad hoc providere; vadit pars, quod scribatur et ordinetur rectoribus nostris Jadre et Sibinici, quod si aliquis comparebit de cetero coram eis, volens aliquid petere ab aliquo dictorum virorum hic Venetiis vel alibi per nostrum dominium confinato, non debeant dicto tali aliquam audientiam dare nec aliquem confinatum citare ad comparendum coram eis, sed dicere debeant dictis talibus, qui velent a dictis confinatis aliquid petere, quod venire debeant Venetias ad consequendum iura sua, quia eis ministrabitur iusticie complementum, quia dicti confinati erunt presentes, et poterunt iura sua defendere. Verum pro securitate illorum, qui habere deberent a dictis confinatis, ordinetur, quod dicti confinati, donec erunt ad confinia, non possint vendere bona sua stabilia, que haberent in dictis locis, donec stabunt ad confinia, constando nostris rectoribus, quod sint alicui persone vel personis obligati. Si vero non essent alicui obligati, possint disponere de bonis suis predictis sicut possunt ad presens.

Sed si dicti confinati vellent aliquid peti facere ab aliquibus, qui in dictis locis essent per commissionem, in isto casu teneantur etiam respondere in dictis locis illismet, a quibus aliquid peterent. De parte omnes alii, de non 7, non sinceri 1.

Senato. Misti. Vol. 52 c. 86, u mlet. arkivu.

God. 1418. 7. travnja, u Mletcih.

Neka se upita dubrovačka občina, misli li se mirno držati, akoprem primirje s ugar.-hrv. kraljem do malo prestaje.

1418. VII. aprilis. Scribatur capitaneo culphi, quod recepto presenti nostro mandato, debeat se cum galeis sibi commissis, ducendo

secum dictam galeam Quirinam pro securitate sua, si eam reperiret, usque Ragusium, et cum ibidem fuerit, debeat unum ex supracomitis nostris culphi, qui sibi videbitur, mittere ad comunitatem Ragusii cum suis literis credentialibus, et eidem supracomito committere, quod facta parte sua amicabili salutatione comunitati predicte, eidem exponere, quod, sicut eis manifestum est, tempore novitatis sive guerre, quam habuimus cum serenissimo domino rege Romanorum et Hungarie, sui cives veniebant Venetias, et conversabantur more mercatorio, qui bene pertractabantur et videbantur, non obstantibus dictis novitatibus, et similiter factis treuguis cum domino rege et nunc fuerunt et sunt bene pertractati; et e converso nostri in terra Ragusii et locis suis. Sed quia, sicut eis potest esse manifestum, treugue, quas habemus cum dicto domino rege, sunt finiende die XVI presentis, et quamquam miserimus nostros ambassiatores ad partes Constantie pro bono concordio pertractando, tamen occurere poterit, quod dictum concordium non haberet effectum.

Et quia non obstantibus aliquibus novitatibus, que per elapsum occurerint inter ipsum dominum regem et nos, amicabiliter se habuerunt cum nostro dominio, tamen si casus daret, quod concordium sequi non posset inter dictum dominium regem et nos, placeat nostro dominio suam intentionem declarare. Et responsionem, quam vobis faciet comunitas predicta, debeatis presto nostro dominio denotare. De parte 50.

Capta Sapientes consilii ser Leonardus Mocenigo, ser Bartholomeus Nani.

Volunt, quod consideratis his, que nobilis vir se Christophorus Superantio retulit isti consilio habuisse a Petro de Lucari mercatore Ragusino, debeat dominium auctoritate istius consilii committere dicto ser Christophoro, quod det sibi operam de reperiendo se cum dicto Petro, et sibi dicere, quod cogitavit super verbis, que sibi dixit, et consulendo eidem tanquam amico suo, consuleret sibi, quod ea, que sibi dixerat, diceret nostro dominio. De parte 61 de non 4, non sinceri 3.

Secreta cons. rog. VII. 9, u mlet. arkivu.

God. 1418. 9. travnja, u Mletcih.

Na pitanje dubrovačkih trgovaca, smiju li ostati u Mletcih, pošto primirje s ugar.-hrv. kraljem već ističe, odgovara se, da mogu, ako se i njihova občina bude držala mirna.

1418. die 9. aprilis. Sapientes consilii. Cum comparuerint ad presentiam nostri dominii aliqui mercatores Ragusei hic Venetiis existentes, exponentes, quod, sicut notum est nostro dominio, treugue in proximo complent, et propterea rogant nostrum dominium, ut dignemur eis declarare, si, completis dictis treuguis, possunt hic Venetiis stare cum suis mercationibus et bonis; vadit pars, quod respondeatur dictis mercatoribus Raguseis, quod audivimus ea que nobis exposuerunt, et requisitionem, quam faciunt, si possint hic completis treuguis stare securi, et respondemus, quod, sicut eis notum est, habuimus et habemus suam comunitatem in nostros bonos amicos, et propterea dicimus, quod completis dictis treuguis possunt stare Venetiis et in aliis nostris locis,

et mercationes et negotia sua facere, et alii similiter cum eorum mercationibus et navigiis et bonis possunt venire Venetias, et ad alia loca nostra stare et recedere, sicut fecerunt per elapsum, reddentes nos certissimos, quod similiter faciet sua comunitas erga nostros, et erimus multum contenti de intentione sue comunitatis esse informatos. De parte 49.

Capta. Leonardus Mocenigo sapiens consilii.

Vult, quod respondeatur dictis mercatoribus Raguseis, quod audivimus ea, que nobis exposuerunt, et requisitionem, quam faciunt, si possint hic completis treuguis stare securi; et respondemus, quod sicut eis notum est, habuimus et habemus suam comunitatem in nostros bonos amicos, et propterea dicimus, quod completis dictis treuguis, possunt stare Venetiis et in aliis locis nostris, et mercationes et negotia sua facere, et alii similiter cum eorum mercationibus, bonis et navigiis possunt venire Venetias, et ad alia loca nostra stare et recedere, sicut fecerunt per elapsum, salvo si per suam comunitatem alia novitas fieret contra nostros. De parte 84, de non 2, non sinceri 2.

Secreta cons. rogat. VII. 11, u mlet. arkivu.

God. 1418. 17. travnja, u Mletcih.

Poslanikom u Konstanciji dalje u poslu primirja.

1418. die 17. aprilis. Sapientes omnes consilii. Ser Secundus de Pesaro, ser Marcus Mauroceno, ser Michael Barbadico sapientes ordinum. Quod respondeatur ambassiatoribus nostris apud Constantiam existentibus. Respondeatur in hac forma:

Per literas vestras, quas postquam fuistis Constantie scripsistis nostro dominio de tempore in tempus, fuimus plenissime informati de praticis et modis per vos observatis mediante interpositione sanctissimi domini pape pro veniendo ad concordium cum domino rege Romanorum. Et ultimate per literas vestras datas septimo presentis hora quarta noctis scripsistis distincte et ordinate conclusionem, ad quam devenistis cum dicto dominio rege super facto treuguarum per quinque annos. Pro quibus omnibus virtutes et solicitudines vestras ac modos per vos servatos merito comendamus. Sed ad ea, que continentur in dictis vestris litteris datis septimo presentis, respondemus cum nostris consiliis rogatorum et additionis. Et primo intellecta optima et bona intentione et dispositione sanctissimi domini pape quam habet pro possendo concordium concludere inter dictum dominum regem Romanorum et nos, vobis mandamus, ut cum illis modis et verbis, que vestre sapientie videbuntur, debeatis sue sanctitati nostri parte humiles et devotas gratias refferre, et nos et statum nostrum sue beatitudini humiliter recomendare. Subsequenter super facto treuguarum, quas scribitis, utramque partem mediante interpositione dicti domini pape condescendisse ad terminos quinque annorum. Et quod dum dominus rex vellet informari de illis, qui nominari deberent ex parte nostra, et nominaveritis dominum Cabrinum de Cremona etc., idem dominus rex noluit assentire nec vult, et statim nominavit parte sua dominum ducem Mediolani, de quo domino duce similiter vos noluistis assentire rationibus et causis in vestris litteris annotatis. Super quo dictus dominus rex accepit terminum ad re-

spondendum die sabati nono presentis; vobis respondemus, sperantes in bona dispositione summi pontificis, quod dicte differentie bonus et utilis finis impositus fuerit. Quando autem finis bonus non fuisset positus differentie predicte usque receptionem presentium litterarum nostrarum, volumus et sic vobis mandamus, quod si dictus dominus rex perseveraret et vellet, quod dictus dominus dux includeretur ex parte sua, et quod dictus dominus Cremone includatur ex parte nostra, debeatis ad hoc condescendere, et dictas treuguas firmare per annos quinque, sicut scripsistis. Si vero pur staret costans, quod ex parte sua includeretur dominus dux Mediolani, et nolet, quod ex parte nostra includeretur dominus Cremone, ad hoc nullo modo condescendere debeatis rationibus et causis per vos scriptis et aliis multis, que alligari possent. Sed si dictus dominus rex esset contentus non nominare ex parte sua dictum dominum ducem, et quod dictus dominus Cremone similiter non nominetur ex parte nostra, sumus contenti, quod ad hoc condescendatis, et in bona gratia ad conclusiam dictarum treuguarum veniatis.

Super facto autem partiti allegati per summum pontificem et illos duos reverendissimos dominos cardinales mediatores etc. de mutuando dicto domino regi certam quantitatem denariorum, et quod treugue fierent inter partes per illud tempus, de quo essent concordes, et ultra dictum tempus dicte treugue tantum durarent, quantum staret dictus dominus rex ad restituendum denarios et per unum vel duos annos post restitucionem denariorum etc., vobis respondemus, quod intentio nostra est, quod primo treugue per quinquennium, de quibus estis in pratica, concludantur et fiant, antequam aliquid aliud super dicto partito dicatur, licet super dicto partito et super aliis presto intentionem nostram vobis declarabimus. Super facto autem notabilissimorum operum et fide reverendissimi domini Francisci Lando cardinalis Venetiarum, quam per vestras litteras scribitis, respondemus, quod eius fides et fidelissime operationes sunt ita note et manifeste nostro dominio, quod ille iamdiu sunt insite cordibus nostris quantum plus essé possunt, quia semper cognovimus, vidimus et experti sumus intentionem, voluntatem et dispositionem suam promptas fuisse et esse ad omnia concernentia statum et honorem nostri dominii, propter que nos nostraque res publica ad omnia beneplacita sua reddimur stricte obbligati, volentes et fidelitati vestre mandantes, quatenus reverendissime patemitati sue debeatis nostri parte cum verbis pertinentibus et necessariis de tam fidis operibus et continuis laboribus suis amicabiles gratias refferre. De parte 154, de non 12, non sinceri 3.

Senato. Secreta. cons. rogat. Vol. 7. c. 11 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1418. 22. travnja, u Šibeniku.

Primirje produljeno medju Šibenčani i Skradinjani.

Indutiarum et pacis inter Sicenses et Scardonenses prorogatio.

Vniversis et singulis presentes paginas inspecturis. Nos Benedictus Capello pro serenissimo et excelso ducali dominio Venetiarum comes Sibenici suique districtus, omnibus facimus manifestum, quod presbiter Matheus filius Hlapsi et Nicolaus Conedemes cives Scradone et amba-

sciatores illius communitatis cum litteris credentialibus coram presentia nostra accesserint, qui humiliter et devote pro parte illius communitatis nobis exponentes supplicaverunt, quod cum illa civitas tempore, quo fuit et stetit subiecta dominio nostro prefato, extiterit fidelissime, semper indefesse vigilando et laborando pro ratione et statu eiusdem, ut est notum, pro quo ducali dominio volentes esse legales eidem, passi fuerunt infinita damna, incommoda, predas, derobationes, homicidia et sanguinis effusionem, itaquod civitas illa ad presens quam destructa est, dignaremur civitatem illam, habitatores et districtuales eiusdem suscipere recomissos, viventes nobiscum pacifice absque guerra, non faciendo eis fieri per nostros aliquam iniuriam, predas et dirubationes, neque aliud damnum, licet finita sit tregua, ipsis promittentibus nomine dicte communitatis versa vice, quod nullam iniuriam, incommodum, damnum neque novitatem guerre facient, neque fieri permittent per suos contra nostros palam vel occulte ullo modo, ingenio sive forma. Unde nos comes predictus, informati de ipsorum fidelitate, quam erga ducale dominium nostrum tempore, quo erant subiecti, precipue habuerunt antescripti, damnorum maximorum, que pro prefato ducali dominio in prefato (tempore) passi fuerunt, inclinati eorum humilimis supplicationibus et precibus, prefate civitatis Scradone, eiusque civibus, incolis, habitatoribus et districtualibus, per presentes promittimus et proferimus, quod si nullam novitatem guerre neque incommodum nobis nostrisque civibus et districtualibus non fecerint, et merito eorum fidelitatis habito precipue erga dominium nostrum, non faciemus neque alicui ipsorum permittemus per nostros aliquam iniuriam, damnum, predam et derobationem, ita tamen quod tenentur insuper nos reddere incontinenti adavisatos de quibuscumque exercitibus, cumulationibus gentium et tractatibus, quos senserint fieri et parari ubicunque contra Sibenicum eiusque districtum; dantes et conferentes eisdem per presentes liberum et merum salvumconductum omnibus subiectis civitati et loco predicto possendi venire Sibenicum eiusque districtum cum eorum mercantiis, bonis et rebus ad vendendum et emendum, ibique standi, morandi et habitandi, indeque discedendi pro eorum libitu voluntatis, omni impedimento et molestia cessantibus, prout et sancta, bona et optima pax foret, dummodo versa vice nostros sic tractarent et simili modo; salvo tamen si serenissimum ducale dominium nostrum mandatum faciendi guerram nobis transmitteret, nam semper obediemus eiusdem mandatis, prout tenemur. Et hanc promissionem et scripturam, si illud mandatum haberemus, tunc volumus esse cassam, irritam et vanam, nulliusque valentie neque vigoris, volentes semper et declarantes, quod predicta eis promissa firmitatis robur contineant, si ipsi ullam molestiam contra nostros fecerint, et quod superius promissa silicet nobis servaverint efficaciter. In quorum testimonium atque fidem has nostras patentes litteras fieri iussimus, et sigilli nostri soliti santi Marci munimine roborari.

Data Sibenici die XXII. aprilis MCCCCXVIII indictione XI.

Ego Joannes quondam Petri archidiaconus Scradonensis, nunc vero sacra imperiali auctoritate notarius et iuratus tabelio civitatis Scradone, presentem paginam de verbo ad verbum accopiavi, nil addendo vel minuendo velle neque scitu sive voluntate, licet possit interesse ignorantie

cecitas in barbarismo, non tamen ex nequitia vel fraude, ac si propterea forent, quod absit, prout continebatur in litteris sigillatis supradicto sigillo ad petitionem sive mandatum communitatis Scradone die XIII. mensis martii MCCCCLIV, indictione secunda, quam pro maiori veritate sigillo loci eiusdem iusserunt roborari ad perpetuam rei memoriam et robur obtinendum. Idem dicta communitas confirmat et ratificat omnia supradicta suo posse totis temporibus in futurum, et promittit observare et adimplere omnia in predicta littera contenta, quantum ad eos spectat.

Diplomatarium Sibenicense u dvorskoj knjižnici bečkoj ruk. 13461. strana 90.

God. 1418. 26. travnja, u Mletcih.

O nabavi Ostrovice.

1418. die 26. aprilis. Capta. Ser Leonardus Mocenigo sapiens consilii. Cum rectores nostri Jadre habeant pre manibus quendam tractatum de habendo castrum Ostrovice, et autoritate istius consilii vigore libertatis tradite collegio data fuerit libertas dictis rectoribus Jadre possendi expendere certam quantitatem denariorum pro habendo castrum predictum, et si dictum castrum post treuguas habere possent, illud non deberent accipere, sed stare deberent super tractatu quousque aliud eis ordinaremus; et bonum sit, quod dictum castrum, si possibile est, perveniat ad manus nostras; vadit pars, quod scribatur dictis nostris rectoribus Jadre, quod si habere poterunt dictum castrum Ostrovice per viam tractatus cum modis et conditionibus sibi scriptis, illud debeant accipere et acceptum bene facere custodire ad honorem nostri dominii, non faciendo aliquam aliam novitatem contra aliquos alios partium deinde sine nostro spetiali mandato, salvo si dicti illarum partium aliquas novitates attentarent contra nostros, quod in isto casu ipsos novitates contra nostros facientes pro inimicis tractare debeant. De parte 84, de non 35, non sinceri 20.

Senato. Secr. cons rogat. VII. c. 12, u mlet. arkivu.

God. 1418. 28. svibnja, u Mletcih.

Odobrava se, da knez Šibenički sklopi primirje s Ivanom cetinjskim knezom.

1418. die XXVIII. maii. Quod respondeatur nostro comiti Sibenici in hac forma, videlicet: Recepimus literas vestras datas Sibenici die vigesimoseptimo aprilis prope preteriti, effectualiter continentes, quod devenistis ad concordium cum comite Johanne de Cetinis etc., et quod superinde facte sunt utrinque et sigillate patentes litere, et de omnibus contentis in vestris literis suprascriptis plene remansimus informati. Quibus intellectis, vobis respondemus, quod contenti sumus, quod debeatis ipsum concordium confirmare per illud maius tempus, quod vobis erit possibile, et ultra illud tempus, quod erit specificatum, per illud tempus, de quo postea partes erunt concordes; quo finito, pars, que vellet rumpere, debeat notificare alteri parti per quindecim dies ante. De parte 86, de non 0, non sinceri 1.

Secreta cons. rogat. VII. 18, u mlet. arkivu.

God. 1418. 18. lipnja, u Mletcih.

Izabran odbor od pet lica, koj bi se imao baviti obranom i dalmatinskih mjesta.

MCCCCXVIII. die XVIII. iunii. Ser Leonardus Mocenigo, ser Albanus Baduario, ser Nicolaus Victuri, ser Rossus Marino, ser Franciscus de Bernardo, ser Bartholomeus Nani, sapientes consilii. Cum occasione presentium novitatum et differentiarum, quas habemus cum domino rege Hungarie, occurrant nostro dominio diverse et ardue occupationes et agenda continua, quod non est possibile, quod sapientes consilii possint supplere nec attendere ad negotia occurrentia de die in diem tam a parte maris quam terre, et bonum ymo necessarium sit super hoc providere, ut negotia spectantia nostro dominio suprascriptis causis non multiplicentur; vadit pars, quod per scrutinium in isto consilio eligi debeant tam de Venetiis et a Grado ad Caputaggeris, quam de existentibus in Tarvisana et Paduana quinque sapientes ad providendum ad custodiam, defensionem et conservationem terrarum et locorum aquisitorum de novo Tarvisane et Cenetensis et terrarum et locorum nostrorum Istrie, Foroiulii et Policini, Rodigii ac terrarum et locorum partium Dalmatie, necnon ad offensionem quorumcumque volentium offendere dictas civitates, terras et loca ac territoria eorum, et ad faciendum illas provisiones, reparationes, expensas et ordines ac mandata cum voluntate et deliberatione istius consilii, prout ipsi consilio melius videbitur opportunum; possendo in hoc consilio ponere partem et partes, que, cuilibet ipsorum videbitur oportunum, possendo in hoc consilio ponere partem et partes, que cuilibet ipsorum videbuntur super suprascriptis negociis, sicut possunt sapientes consilii, cum reservatione tamen cuiuslibet alterius volentis ponere partem in hoc consilio. Et possint eligi de omni loco et officio, unde possint eligi sapientes consilii, exceptis procuratoribus sancti Marci, advocatoribus comunis, auditoribus sententiarum et provisoribus bladorum pro non impediendo facta suorum officiorum; et non possint refutare sub pena ducatorum ducentorum pro quolibet, nec se excusare pro aliqua causa nisi sit captum per tres partes istius consilii. Et si erunt extra Venetias aut in Tarvisana aut in Paduana, habeant terminum solummodo dierum quatuor ad respondendum. Et existentibus in Venetiis, respondeant statim vel sequenti die ad tercias. Et teneantur venire ad palacium, et stare de per se; et spetialiter quando non erit opus, quod se reducant cum collegio, debeant stare et sedere ad cameram superiorem ad consulendum et examinandum, ut tenentur sapientes consilii, faciendo primo legi partes et oppiniones suas domino, consiliariis et capitibus de XL, ut tenentur sapientes consilii. Et terminus libertatis sue duret usque per totum mensem decembris proximum. Et possint refutare omnia ea, ad que eligerentur per istud consilium, et esse debeant cum omnibus aliis libertatibus et conditionibus, quibus erunt sapientes guerre, qui fuerunt tempore guerre Hungarorum nuper preterite. De parte 129, de non 0, non sinceri 0.

Electi sapientes et acceptaverunt.
Ser Georgius Cornario condam ser Andree.
Ser Bernabos Lauredano miles.

Ser Bertucius Pisani condam ser Petri.
Ser Laurentius Capello condam ser Marini.
Ser Andreas Contareno ser Johannis.

Die 27. septembris 1418.

Ser Marcus Dandulo condam ser Benedicti maior.
Ser Andreas Justiniano maior.

Secreta cons. rogat. VII. 21, u mlet. arkivu.

God. 1418. 21. srpnja, u Mletcih.

Mletčani nastoje, da dobiju od Turčina Avalonu i Kaninu.

1418. 21. iulii. Quia, sicut notum est, locus Avalone pervenit ad manus Turchorum, et consideratis his, quod dicti Turchi dietim attentant contra nostros, et attentare possent contra insulam nostram Corphoy, et navigia nostra inde transeuntia, bonum sit providere; vadit pars, quod comittatur dicto nostro baiulo ituro Constantinopolim, quod, si ibit ad presentiam dicti Chirici Turchi, et perveniet ad praticam pacis, debeat cum illis bonis modis et verbis, que sue prudentie videbuntur, instare et procurare, quod locus Avalone et Canine et alia loca sua restituantur domine, cuius erant, quia dominus suus fuit civis noster, et ipsa similiter civis nostra est. Et si videret, quod dictus dominus ad hoc condescendere nolet, detur eidem libertas possendi promittere et expendere pro habendo locum predictum Avalone, Canine et alia loca, que tenebat dicta domina, in manibus nostris usque ad quantitatem ducatorum VIII. mille et ab inde infra, quam melius facere poterit; et si videret, quod hoc obtinere non posset, et haberet impedire conclusionem pacis, debeat se retrahere a dicta requisitione, et sequatur formam sue comissionis.

Secreta cons. rog. VII. 26, u mlet. arkivu.

God. 1418. 23. srpnja, u Mletcih.

Naputak za poslanika odlazeća k Turčinu.

1418. 23. iulii. Comissio nobili viro Bertucio Diedo ituro baiulo et ambassiatori ad Chirici soldanum Turchorum. Nos Thomas Mocenigo etc. . . . . . concludere pacem in forma pacis facte per ser Delphinum Venerio, cum hac additione, videlicet, quod cum sentiamus, quod ipse dominus Turchus mandaverit, quod caravane, que consueverunt descendere cum plumbo aliisque mercationibus ad loca nostra Durachii et Alexii pro sale et ad alia loca nostra Albanie pro aliis mercationibus, amplius non permittantur venire ad loca nostra predicta, volumus, quod in dicta pace de hoc fieri facies specialem mentionem, et quod per litteras et nuntios suos amoveat et casset omnia precepta et devetus, quos fecisset super predictis, ita quod strate sint libere et aperte ac secure, ac quod caravane possint descendere, sicut consueverant per elapsum, in signum bone amicitie et dilectionis, sicut est debitum et honestum . . . .

Secreta cons. rog. VII. 27, u mlet. arkivu.

God. 1418. 5. rujna, u Mletcih.

pomorskomu kapetanu, da napada Trogir i Spljet samo s mora.

8. die quinto septembris. Quod scribatur capitaneo nostro culphi ...rma. Istis diebus elapsis recepimus quam plures literas vestras, per q... nostro dominio distincte et ordinate scripsistis omnia per vos gesta et operata circa mandata nostra vobis commissa. Et reccomendantes diligentiam et solicitudinem vestram, vobis cum nostris consiliis rogatorum et additionis denotamus, quod nostre intentionis est, quod contra Tragurinos et Spalatinos debeatis facere et procedere secundum formam mandatorum nostrorum, que a nobis habetis, quia volumus, quod gentes nostras nullo modo in terra ponere debeatis pro dannificando inimicos nostros predictos. Et si illi de Poliza vellent dannificare Spalatinos, et requirerent subsidium vestrum, ut gentes nostre simul cum suis descenderent in terram, debeatis vos cum illis verbis, que vobis videbuntur, retrahere de ponendo gentes nostras predictas in terra firma. Sed si vellent alia preparamenta per vos ad eorum damnum vel exterminium fieri, debeatis dicere et respondere, quod, quia tempus yhiemale appropinquat, videtis hoc male fieri posse pro ista yheme; sed ad primum tempus appropinquante vere possunt esse certissimi, quod dominatio nostra erit disposita et parata ad damna et ruinam predictorum nostrorum inimicorum per omnes modos et vias possibiles; inducendo predictos de Poliza, ut per terram velint intrare et solicitare ad damna et exterminium Spalatinorum predictorum. Verum si illi de Tragurio vel Spalato vellent se submittere nostro dominio, sumus contenti, quod illos acceptare possitis, promittendo eisdem, quod tractabimus eos prout tractamus fideles nostros de Sibenico. Et si videretur vobis fore necessarium facere aliquam expensam pro habendo loca predicta, damus vobis libertatem possendi promittere pro Tragurio illis civibus Tragurii, qui vobis videbuntur, de provisione in vita sua usque ad quantitatem ducatorum duorum millium in anno, dividendo eos inter dictos cives, sicut vobis melius videbitur. Et similiter damus vobis libertatem possendi expendere pro Spalato ducatos mille in anno de provisione in illis civibus, qui vobis videbuntur, pro possendo intentionem nostram obtinere. De parte 98, de non 4, non sinceri 8.

Secreta consilii rogatorum VII. u mlet. arkivu.

God. 1419. 1. listopada, u Mletcih.

Poslanik u Ulmu upućuje se sve dalje o primirju.

1419. die 1. octobris. Sapientes omnes suprascripti. Quod scribatur Guilielmo Romolo in hac forma. Per litteras vestras datas decimooctavo elapsi in Ulmo remansimus informati, qualiter ivistis ad presentiam serenissimi domini regis Romanorum simul cum illustri domino Prochavio Norimbergensi, et cum eodem domino fuistis in coloquio cum serenissimo domino rege predicto super facto pacis aut treugue fiende cum nostro dominio. Et cognoscentes et videntes bonam dispositionem vestram ad pacem et quietem nostri dominii, prudentie vestre amicabiliter regratiamur. Et respondentes literis vestris predictis, vobis denotamus, quod

intentio nostri dominii semper fuit et est prona et disposita ad pacem vel ad treuguas cum dicto serenissimo rege cum illis modis et conditionibus, qui sint rationabiles, convenientes et honesti. Et licet tetigeritis certas conditiones in literis vestris predictis, ad quas nullo modo condescenderemus, tamen diligentes pacem, et illam habere cupientes cum quibuscumque et spetialiter cum dicto domino rege, quem speramus esse dispositum ad ea, que sint rationabilia et honesta, eidem scripsimus literas nostras presentibus alligatas, quarum copiam vobis mittimus presentibus introclusam, per quas, sicut videbitis, sue serenitati scribimus, quod sumus contenti mittere nostros ambassiatores ad locum Salcisburgi, quem locum elegimus, ut illustris dominus Procharius Norimbergensis, quem scimus esse dominum magne sapientie et bonitatis et amatorem pacis, possit ad dictum locum venire, et se interponere inter partes pro bona pace aut treuguis pertractandis. Et ideo amiciciam vestram rogamus, ut velitis procurare, quod habeamus salvumcunductum dicti domini regis, quem subito cum habueritis, nobis mittere placeat et domini Archiepiscopi Salcisburgi et aliorum dominorum, a quibus videbitis esse necessarium salvosconductus habere propter iter, per quod transire debebunt ambaxatores nostri venientes per viam Forojulii et Vilachi, quos etiam nobis mittere placeat, quia habito salvoconductu domini regis, declarabimus serenitati regie diem, quo ambassiatores nostri esse poterunt in loco Salcisburgi predicto, ut sui similiter illuc conveniant, ad quem locum termino statuendo vos similiter esse velitis amore nostro, ut possitis circa ea, que erunt necessaria pro istis negociis pertractandis laborare personam vestram.

Mittimus vobis presentibus introclusam copiam salviconductus, quem habere volumus pro ambassiatoribus nostris. Et propterea placeat solicitare, quod dictus serenissimus dominus rex dictum suum salvumcunductum fieri faciat in dicta forma. De parte 92, de non 21, non sinceri 10.

Data II. octubris.

Replicata III. octubris.

Senato. Secr. cons. rogat. VII. c. 36, u mlet. arkivu.

God. 1418. 1. listopada, u Mletcih.

Mletčani pišu Sigmundu, da su spremni poslati svoje poslanike radi mira·

1418. die primo ottobris. Ser Albanus Baduario, ser Nicolaus Victuri, ser Marinus Karavello proc., ser Bartholomeus Donato, ser Antonius Contareno procur., ser Franciscus Fuscari proc., sapientes consilii; ser Andreas Justiniano, ser Bernabos Laurendano miles, sapientes guerre.

Quod scribatur domino regi Romanorum in hac forma:

Per literas sapientis viri Guilielmi Romolo fuimus informati, serenitatem vestram eidem dixisse, quod contenta erat venire et condescendere ad pacem firmam vel ad treuguas cum nostro dominio, et quod eligeremus locum et diem, et nostros cum libertate mitteremus, et de loco et die serenitatem vestram previsam faceremus, quia habita responsione nostra, maiestas vestra ad locum et diem prefixum suam ambas-

siatam destinaret cum libertate ad plenum. Nos verum sequentes vestigia et mores progenitorum nostrorum, et cum quibuscumque christianis pacem habere cupientes et potissime cum serenitate vestra, disposuimus cum eadem, sicut semper fuimus dispositi, ad bonam pacem vel treuguas devenire. Et ut hoc ad effectum pacificum possit deduci pro maiori comoditate ambaxatorum maiestatis vestre terminavimus, habito salvoconductu serenitatis vestre in forma sufficienti et necessaria et aliorum dominorum, per quorum territoria transire oportebit, nostros oratores mittere ad locum Salcisburgi. Et propterea dignetur maiestas vestra per latorem presentium dictum salvumcunductum destinare, quia recepto salvoconducto predicto, de die, quo ambassiatores partium habebunt in dicto loco insimul convenire et esse, poterimus clarius et melius maiestatem vestram informare. De parte 92, de non 27, non sinceri 13.

Data II. octobris. Replicata III. octobris.

Senato. Secr. cons. rogat. Vol. VII. c. 36, u mlet. arkivu.

God. 1418. 28. listopada, u Mletcih.

Na zahtjev Sigmunda šalju se poslanici istomu.

1418. die 28. octobris. Ser Albanus Baduario, ser Nicolaus Victuri, ser Marinus Karavello proc., ser Anthonius Contareno proc., ser Franciscus Fuscari procurator, sapientes consilii, ser Andreas Justiniano, ser Bertucius Pisani, ser Laurentius Capello, ser Marcus Dandulo, sapientes guerre.

Quod scribatur domino regi Romanorum in hac forma:

Per adventum sapientis viri Guilielmi Romolo ad presentiam nostram sensimus, vestram serenitatem dispositam fore condescendere ad pacem vel treuguas cum nostro dominio, et velle informari de die, quo ambassiatores nostri ad locum Salcisborgi accedere debeant. Ex quo continuantes vestigia nostrorum progenitorum, qui semper fuerunt pacis amatores, et perseverantes in dispositione nostra de volendo cum quibuscumque christicolis pacifice vivere et spetialiter cum maiestate vestra, sicut per alias nostras litteras serenitati vestre denotavimus. Intellecta requisitione suprascripti Guilielmi pro parte serenitatis vestre facta, tenore presentium maiestati vestre declaramus, quod ambassiatores nostri cum libertate necessaria de Venetiis recedent die quintodecimo mensis novembris venturi Salisburgum, ad quem locum ad longius non dubitamus applicabunt usque per totum mensem novembris predicti, et cicius ut speramus. Et propterea vestra maiestas de hoc a nobis certificata poterit providere tempore predicto, sicut eidem videbitur necessarium fore, ut bona pax aut firme treugue inter partes possint in dicto loco praticari, et anuente auctore pacis ad pacificum finem deduci. De parte 121, de non 13, non sinceri 5.

Senato. Secr. cons. rogat. Vol. V. c. 37 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1418. 17. studenoga, u Mletcih.

Nalaže se Kotoranom, da izplate njeki dug mletačkim podanikom.

1418. die 17. novembris. Capta. Sapientes ordinum. Cum alias comunitas et regimen Catari accepisset de quadam carachia patro-

nizata per Andream Marani staria octingenta vel circa frumenti nobilium virorum Victoris Delphino, Jacobi Gabriel et Antonii Brocheto civium nostrorum, scripsimus ipsi regimini pluries, ut vellet solvere ipsum frumentum pretio valebat illo tunc, quod erat librarum sex pro stario, quia residuum eius frumenti sic venditum fuerat hic in Venetiis, quam solutionem hactenus nuntiis ipsorum nostrorum civium ipsum regimen facere recusavit, et quod peius est, nunquam ad nostras litteras responderunt. Et quia cives nostri prefati nobis humiliter requisiverunt superinde subventionem nostram, quibus iustum est, in quantum est possibile, subvenire. Propterea vadit pars, quod iterum dicto regimini Catari scribi debeat in hac forma, videlicet:

Egregiis et nobilibus viris . . . rectori, iudicibus et consilio Catari.

Meminimus per plures litteras nostras ad vos scripsisse super facto stariorum VIII centum frumenti vel circa virorum nobilium Victoris Delphino, Jacobi Gabriel et Antonii Brocheto civium nostrorum per vos acceptorum de carachia patronizata tunc per Andream Marani concivem vestrum, super indeque rogavimus benivolentiam vestram, ut placeat satisfacere ipsis nostris civibus de dicto frumento ad rationem librarum sex, sicut tunc in hac nostra urbe vendebatur, ubi erat copiosa quantitas etc., ut in dictis nostris literis continetur. Que littere nostre nullum effectum consecute sunt, uti eorum relatione didicimus. De quo non mediocriter admiramur, et maxime, quoniam a vobis nullam responsionem habuimus. Nec sic fieri sperabamus, imo certiores existebamus, quod non solum exhibuissetis ad nostras litteras responsum, sed potius solutionem integram ipsis nostris civibus fecissetis, qui ultra damnum ipsius frumenti multas expensas et labores luerunt cum suo etiam maiori incommodo atque iactura. Que omnia considerata aliter facere nequimus quam de vobis vehementer gravari, quos profecto arbitramur precibus et scriptionibus nostris satisfacere. Et propterea quia iustum censimus, quod civibus nostris integre satisfiat, vos affectuose rogamus, quatenus usque duos menses proximos a die receptionis presentium placeat cum effectu providere, quod prefatis civibus nostris integre satisfiat sic, quod habeant causam merito contentandi, quod enim, licet iustum sit, habebimus gratum valde. Si autem non providebitis, ut dictum est, sumus dispositi non deserere prefatos cives nostros, quorum indemnitati et satisfactioni subito transacto dicto tempore providebimus; super quibus placeat nobis per vestras litteras respondere.

Et ex nunc captum sit, ut dicti cives nostri habeant satisfationem suam, quia sensimus, quod in Jadra et territorio Jadre sunt aliqua bona illorum de Cataro, quod mandetur auctoritate huius consilii regimini nostro Jadre et aliis nostris rectoribus locorum nostrorum, ubi reperientur de bonis illorum de Cataro, quod debeant bona, que sunt illorum de Cataro existentia in dictis locis nostris usque ad summam ducatorum VIII centum vel VIIII centum sequestrare et sequestrari facere, et illa sic sequestrata tenere et conservare, donec aliud sibi dabimus in mandatum. Et si habere reperirentur de dictis bonis, debeant similiter per provisores nostros comunis sequestrari et conservari, donec aliud mandabimus superinde. De parte omnes alii, de non 1, non sinceri 2.

Senato. Misti. Vol. 52 c. 131, u mlet. arkivu.

God. 1418. 20. studenoga, u Mletcih.

Naputak poslanikom idućim u Solnograd radi mira.

1418. die 20. novembris. Ser Antonius Contareno procurator, ser Franciscus Foscari procurator, sapientes consilii. Quod fiat commissio ambassatoribus ituris Salcisburgum in hac forma:

Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Roberto Mauroceno et Fantino Michael dilectis civibus nostris, quod in bona gratia ire debeatis nostri solemnes oratores ad partes Salcisborgi pro bona pace et concordio tractando inter serenissimum dominum Sigismundum Romanorum et Hungarie regem etc. ex una parte, et nos et nostrum dominium ex altera. Et si ibi in Salcisborgo invenietis dictum serenissimum dominum regem, volumus, quod comparere debeatis ad presentiam sue serenitatis cum nostris litteris credulitatis, quas vobis dedimus, et facta dicto domino regi debita recomendatione pro parte nostri dominii cum illis verbis, que vobis utilia et necessaria videbuntur, debeatis sue serenitati dicere et exponere, quod, sicut sue serenitati scripsimus, informati per litteras sapientis viri Guilielmi Romolo, quod serenitas sua contenta erat venire et condescendere ad pacem firmam vel ad treuguas cum nostro dominio per medium et interpositionem illustris domini marchionis Brandeburgensis, et quod eligeremus locum et diem, et nostros ambassiatores cum libertate mitteremus, deliberavimus nostros ambassiatores mittere ad terram Salcisburgi, et volentes observare, que sue serenitati scripsimus, et cupientes pacifice et quiete vivere cum quibuscumque christianis et potissime cum sua regia maiestate, misimus vos ad conspectum suum pro essendo cum sua serenitate sive cum deputatis ab eo ad praticam pacis firme vel longarum treuguarum, et cunctis diebus et horis ad dictam praticam parati eritis, ut mediante gratia altissimi omnes differentie inter partes existentes possint pacifico fine terminari.

Si vero dictus dominus rex non esset in Salcisborgo, et ibi esset illustris dominus Procavius Norimbergi marchio Brandeburgensis, qui se obtulit esse mediatorem et tractatorem concordii inter dictum dominum regem et nostrum dominium, debeatis ad eius presentiam ire, et presentatis nostris litteris credulitatis et facta amicabili salutatione et oblatione, sicut honori suo et nostro videbitis convenire, debeatis sue excellentie declarare, quod nostra dominatio, informata per litteras sapientis viri Guilielmi Romolo de optima et laudabili intentione sua de volendo se interponere ad bonum concordium et pacem tractandam inter serenissimum dominum regem Romanorum et nostrum dominium, magnam consolationem habuimus, cognoscentes, eundem esse dominum magne sapientie et bonitatis et pacis amatorem, et suam interpositionem amicabiliter acceptamus, sperantes in gratia omnipotentis et in magna virtute et sapientia sua, quod reducet differentias partium ad bonam et pacificam conclusionem, et vos eritis cunctis diebus et horis parati venire ad praticam cum illis, qui deputati erunt ex parte domini regis predicti, et inveniemini ex parte nostri dominii dispositi ad omnia, que erunt iusta, rationabilia et honesta tam pro honore dicti domini regis quam nostri dominii.

Quando vero ibi non esset dictus marchio Brandenburgensis, et etiam si ibi esset, et inveniretis ibi fore ambassatores dicti domini regis vel alios ab eo legatos pro essendo vobiscum pro tractatu concordii inter partes, volumus, quod cum predictis esse debeatis, quibus dicere et narare debeatis causam accessus vestri ad dictas partes, que est, ut inter dictum dominum regem et nostrum dominium fieri firma pax aut longe treugue sequi possint. Et ideo si super hoc habent libertatem, estis parati cum eis venire ad praticam, ut partes possint insimul ad pacificam conclusionem devenire. Et si predicti sui ambassiatores vel deputati a dicto domino rege habebunt plenam libertatem possendi praticare paces et treuguas, et illam vel illas firmare et concludere, debeatis in bona gratia intrare cum eis ad praticam predictam.

Et ut de intentione nostra sitis informati, volumus, quod praticare et solicitare debeatis de veniendo primo ad praticam treuguarum inter dictum regem et nos, quia putamus difficile fore per ea, que alias praticata fuerunt inter partes, quod pax posset pro presenti inter partes concludi. Et super facto dictarum treuguarum intrare debeatis, et quod dicte treugue fiant et concludantur per illum modum et formam, quibus praticate fuerunt Constantie per nostros ambassiatores, et scripte et promisse fuerunt per ambas partes, sigillari debere, quarum copiam penes vos habetis, et circa hoc facere debeatis toto posse vestro et instare et solicitare cum omni cura et instantia vobis possibili, allegando, quod ambe partes tenentur et obligate sunt pro honore summi pontificis, qui fuit mediator et interpositor earum, et de eius voluntate et scientia concluse, appobare treuguas predictas, et illas suis sigillis sigillare. Et super hoc, sicut superius continetur, faciatis omnem instantiam, et stare debeatis constantes tam in tempore quam in verbis, ut habeatis dictas treuguas, considerata conditione mediatorum quos habemus.

Et quia in dictis treuguis inclusus est dominus dux Mediolani ex parte dicti domini regis et dominus Cremone ex parte nostra, si erit contentus, quod remaneant inclusi pro ut sunt, sumus contenti, quod illas concludatis. Et si pur vellet, quod neuter eorum poneretur, sumus contenti, quod non poneretur. Et si omnino vellet ponere ex parte sua dictum dominum ducem, et nolet, quod poneretur ex parte nostra dominus Cremone, facta super hoc omni possibili experientia, quando aliter facere non possetis, sumus contenti, quod ponatur ex parte sua dictus dominus dux et dictus dominus Cremone non ponatur.

Volumus etiam, quod si dictus dominus rex sive deputati ab eo instarent super illis quattuor capitulis, que alias requisivit, et aliter nolet confirmare treuguas predictas, sumus contenti, quod ad dicta capitula reformata per nos, quorum copiam vobis mittimus pro vestra informatione, condescendere debeatis secundum mandata alias facta dictis ambassiatoribus, quorum mandatorum copiam vobis similiter mittimus.

Si vero deputati predicti pro parte regis starent constantes et firmi in nolendo approbare dictas treuguas et illas sigillare, quia vellent nomine dicti domini regis habere aliquam quantitatem denariorum, et comprehenderetis, quod aliter fieri non posset, damus vobis libertatem possendi promittere mutuo dicto domino regi usque ad quantitatem duca-

torum quinquaginta millium per illos quam longiores terminos poteritis cum conditione, quod dicte treugue durare debeant annis quinque et pluribus, si poteritis, quibus completis dictus dominus rex illos restituere debeat, et si illos non restitueret, tantum plus durare debeant, quantum stabit ad restituendum denarios predictos et per unum vel duos annus post restitucionem denariorum predictorum. Et circa hoc faciatis omnem instantiam possibilem; quos quidem denarios restituere debeat numeratos sine aliqua exceptione vel oppositione vel per alium modum, de quo nostrum dominium remaneret contentum, tenentibus ambabus partibus totum id, quod tenent et possident, et totum illud, quod tenebunt et possidebunt usque diem publicationis earum, que publicatio fieri debeat per partes illa die, de qua fueritis concordes.

Et si per dictum modum et cum quantitate suprascripta non possetis dictas treuguas obtinere nec firmare, quia dicti deputati vigillarent et attenderent ad maiorem summam denariorum, damus vobis libertatem pro habendo treuguas pro decem annis vel pluribus, si poteritis, possendi eis promittere per illos quam longiores terminos poteritis ad partem mutuo et cum conditionibus in suprascripto capitulo contentis usque ad quantitatem ducatorum centummillium. Et non possendo illas obtinere pro annis decem, damus vobis libertatem condescendendi cum dicto mutuo ad annos novem, octo, septem vel sex, pro ut melius facere poteritis.

Quando vero facta per vos omni instantia et solicitudine possibile de habendo dictas treuguas per tempus et conditionibus superius expressis et illas obtinere non possetis, quia nolent ipsos facere et firmare pro maiori tempore quam quinque annorum, confidentes de sapientiis et virtutibus vestris damus vobis libertatem possendi promittere mutuo et nomine mutui usque ad quantitatem ducatorum centummillium ad partem ad partem per illos quam longiores terminos poteritis, et dictas treuguas firmare per annos quinque cum conditionibus superius declaratis.

Mandamus insuper vobis, quod si venietis ad dictas treuguas cum mutuo ducatorum centum millium, debeatis instare et procurare, quod pro securitate nostra nostro domino restituantur terre et civitates nostre marchie Tarvisane, quas et que accepit nostro dominio, quas tenere debeamus, donec restituet nobis denarios predictos, et quando restituet dictos denarios, dictas terras similiter restituemus. Et si cadere difficultas pro Cividado et Feltro, sine ipsis condescendatis habendo alias. Et quando pur dictas terras consignare nolet in manibus nostris, ut superius continetur, sumus contenti, quod sine dictis terris ad dictas treuguas condescendatis.

Verum quia videtur, dictum dominum regem multum affettare de habendo promissionem et subventionem nostram contra Turchos, et ut ob hoc non restet conclusio dictarum treuguarum, si in dicta pratica vobis fieret aliqua mentio vel requisitio de galeis nostris contra infideles, damus vobis libertatem possendi et antequam exprimatis aliquam quantitatem pecunie et post et quando et sicut vobis melius videbitur posse prodesse nostris intentionibus suprascriptis promittere tenere in partibus Grecie a sex usque decem galeas armatas nostris expensis in subsidium

et favorem christianitatis et ipsius domini regis Romanorum et Hungarie quando et donec sua serenitas personaliter cum suo esercitu erit et stabit in partibus Grecie, videlicet Constantinopolis vel ad marinam circa rippas strictus Constantinopolis contra infideles, et ostendendo, quanta expensa ista erit nostro dominio tenere dictas galeas in dictis partibus, et quantus favor christianitatis et regni Hungarie, et quantum damnum et incomodum cedet nostris locibus confinantibus cum Turchis et etiam mercatoribus nostris conversantibus in locis Turchorum, et ad declarandum eis expensam galearum predictam et incomoda, que nobis, subditis et locis nostris ob hoc pervenient. Sitis bene provisi, ut melius possitis eis obstare, quando peterent aliquam quantitatem denariorum a nostro dominio, et ut valeatis ad illam quam minorem quantitatem denariorum poteritis condescendere, ad longiores treuguas devenire. Intelligendo, quod hec nostra promissio habeat locum pro una vice tantum infra tempus dictarum treuguarum. Verum ad hoc advertentiam habeatis, quod, si condescendetis ad promissionem galearum, in capitulo fiat mentio, quod si dictus dominus rex requireret nostrum dominium de armamento dictarum galearum contra infideles, et dictas galeas armaremus, et ipse dominus rex personaliter non descederet et veniret ad partes Gretie cum exercitu suo, quod teneatur restituere et solvere nostro dominio totam expensam, quam in galeis predictis fecissemus.

Et quia occurrere poterit, quod dictus dominus rex, si ibi esset, vel alii ab eo deputati volent intrare vobiscum ad praticam pacis, et quia cum honestate non posset denegari practica dicte pacis, volumus, quod vos informare debeatis, si dictus dominus rex est contentus dimittere nostro dominio totum illud, quod habemus et tenemus in partibus Dalmatie, et confirmare nostro dominio omnes terras imperii, quas habemus et tenemus, et nobis restituere terras et loca nostra, que accepit et tenet et possidet, quia, si de hoc erit contentus, vos eritis parati intrare ad dictam praticam, et ex parte nostri dominii parati facere ea, que sint iusta, rationabilia et honesta et cum honore sue serenitatis; et habentibus dictis deputatis a rege libertatem ad hoc, sumus contenti, quod intrare debeatis ad dictam praticam, et aliter non.

Sed de intentione nostra super facto dicte pacis sitis informati, damus vobis libertatem pro habendo omnes terras et loca Dalmatie, quas et que ad presens habemus et tenemus cum voluntate et assensu regni et baronum Hungarie et confirmationem terrarum et locorum imperii, quos et que tenemus et possidemus, et restitucionem terrarum et locorum nostrorum, quas et que dictus dominus rex accepit nostro dominio, possitis expendere usque ad quantitatem ducatorum centum et quinquaginta millium ad partem ad partem et per illos quam longiores terminos poteritis.

Si vero ad dictam pacem condescendere nolet, quia peteret solutionem ducatorum septemillium, quos asseret per nostrum dominium solvi debere vigore pacis Taurini tam pro tempore preterito quam futuro, volumus, quod respondere debeatis, quod ad eorum solutionem non tenemur, quia nostro dominio non fuit observatum illud, quod continetur in pace Taurini et in pace contracta in MCCCLVIII, nec potuisset observari, quia terre Dalmatie non erant sub potestate et dominio domini

regis predicti, iustificando iura nostra cum illis pertinentibus ra
bus, que vestre sapientie videbuntur, non condescendendo modo
ad solvendum ducatos VII mille nec pro preterito nec pro futuro.

Et si caderet difficultas pro Feltro et Cividado, quia dictu
minus rex sive deputati ab eo nolet illa restituere nostro dominio
beatis procurare, quod dictus dominus rex sit contentus, quod dicta
aquirire possimus, et quod ob hoc non intelligatur contrafieri paci
si de hoc non esset contentus, quod ob hoc restaret conclusio dicte
sumus contenti, quod sine restitucione dictarum terrarum Feltri et
dadi dictam pacem concludere possitis.

Et quia occurrere posset, quod dictus dominus rex sive de
ab eo alligarent et dicerent, dictum dominum regem cum nostro
nio venire ad bonam et perpetuam pacem pro factis et pro terri
perii et ad longas treuguas pro factis Dalmacie, et vellent supe
vobiscum ad praticam intrare, ut circa istam partem etiam de inten
nostra sitis informati, vobis declaramus, quod sumus contenti et
nobis, quod ad istam praticam intrare possitis. Et damus vobis
tatem, quod pro habendo pacem cum dicto domino rege perpetuam
terris et locis imperii, que habemus et tenemus, et pro habendo
tutionem terrarum et locorum nostrorum, que dictus dominus re
ceperit nostro dominio, possitis dare et promittere dicto domino
per illos quam longiores terminos poteritis usque ad summam ducat
quinquagintamillium in sexaginta mille. Et si caderet difficultas pro F
et Cividado, sumus contenti, quod venire possitis ad conclusionem
pacis sine restitutione dictorum duorum locorum Feltri et Cividadi

Pro factis autem Dalmatie sumus contenti et damus vobis li
tem, quod possitis venire ad treuguas per annos triginta, possendo
mittere pro dictis treuguis dicto domino regi usque ad quantitatem
catorum L millia libere ad partem ad partem et per illos quam
ores terminos poteritis. Et si ad dictas treuguas annorum triginta
descendere nolet, damus vobis libertatem veniendi ad treuguas
annos viginti et inde infra usque decem, et possitis promittere ad
tem usque ad quantitatem centummillium mutuo et nomine mutui
conditione, quod si in capite dictorum decem annorum vel pluriu
ad plures condescenderet, dictus dominus rex non restituet dictos
rios nostro dominio, dicta treugua tantum durare debeat, quantum
ad restituendum denarios predictos et per unum annum vel duos,
melius facere poteritis post restitucionem denariorum predictorum,
pacem et treuguas simul facere debeatis, non possendo concludere
sine alia.

Sumus etiam contenti, quod possitis promittere subventione
learum nostrarum contra infideles veniendo ad pacem perpetuam
pacem pro factis imperii et ad treuguas pro factis Dalmatie cum
modis et conditionibus, cum quibus superius fecimus mentionem.

Si autem vobis fieret aliqua mentio super factis Seravallis et
norum illatorum in partibus Foroiulii, quia peteretur damna illat
gentes nostras in dictis locis, debeatis ad hoc dicere et respo
cum illis verbis et rationibus, que nobis utilia videbuntur, quod te
damnorum illatorum nulle treugue seu sufferentie erant inter p

et quod treugue, que, praticate erant inter partes, non erant sigillate; allegando, quod illi de Foroiulio dederunt principium, ut dicte novitates sequerentur, et quod ad restitucionem dictorum damnorum nullo modo obligati sumus. Et si quererent de vollendo stare iuri, ad hoc nullo modo assentire debeatis, quia iuste fecimus illud, quod factum est,

Si vero dictus dominus marchio Brademburgensis non esset Salisburgi, ita quod non possetis habere interpositionem suam, sumus contenti, quod accipiatis interpositionem Guilielmi Romolo et cuiuslibet alterius, qui videretur vobis fidus et aptus ad interpositionem predictam; et sumus contenti, quod eundem Guilielmum Romolo operari debeatis super factis vobis commissis sicut videbitis fore necesse; habendo semper advertentiam de non aperiendo intentionem nostram dicto Guilielmo per modum, quod de intentione nostra possit multum comprehendere. De parte 48, 63, 65, 62.

Senato. Secreta cons. rogat. Vol. VII. c. 41, u mlet. arkivu.

God. 1418. 1. prosinca, na Braču.

Obveza izplate na opredjeljeni rok.

In christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo decimo octavo, indictione XI, regnante serenissimo ac illustrissimo principe et domino nostro naturali domino Sigismundo dei gratia Romanorum rege semper augusto ac Hungarie, Dalmatie, Croatie etiam rege; temporibus quidem venerabilis in christo patris et domini fratris Georgii dei et apostolica gratia episcopi Brachiensis et Pharensis, ac magnifici et nobilis viri domini Ladislavi Jaxa de Phara aule regie militis insularumque Brachie, Phare et Corzule comitis decorati, atque Brachie rectore nobile viro domino Mattheo Michael zupano de Brachia, nobiliumque virorum dominorum iudicum Brachie ser Cipriano Drazoi, ser Vucho Crastinich, ser Georgio Stagani, die primo mensis decembris. Actum Brachie in cancellaria communis presentibus Simeone Michael Baloi et Doimo Jurgevich sartore testibus vocatis, habitis et rogatis. Petrus Dragoslavich olim vocatus Srebar de Spalato nunc habitans Brachie non vi seu metu ductus per hanc suam voluntatem per eum factam promisit et se obbligavit ser Jaxe filio . . . . . de Phara presenti et recipienti dare et solvere ducatos quinquaginta quatuor per usuram monete Brachie nunc vero sine aliqua diminutione integraliter hic usque festum sancte Barbare proxime futurum, et post ad omnem petitionem et requisitionem dicti ser Jaxe sine aliqua citatione, questione, litigio, termino et sacramento sub pena quarti plus et sub refectione omnium damnorum et expensarum ac etiam occasione litis rerum; pro quibus firmiter observandis et plene attendendis obligavit se realiter et personaliter, renuncians omni exceptioni iuris vel facti et omni alio auxilio doctorum omnium, quo se possit defendere vel qualitercumque tueri salvis, Phare in Civitate Veteri.

Dalla „raccolta di varie memorie“ presso S. Ljubić.

God. 1418. 3. prosinca, u Hvaru.

Mir skopljen medju plemići i ostalimi stanovnici otoka Hvara.

1818. indictione XI. Regnante prefato domino rege (sc. Sigismundo), ac temporibus dictorum dominorum Vladislavi rectoris iudicumque, die 3 mensis decembris, in ecclesia s. Marci de Phara convocato, congregato et coadunato maiori generali consilio nobilium civitatis Phare nec non toto populo et universitate civitatis eiusdem et totius insule de mandato dictorum dominorum rectoris et iudicum ad sonum campane vocemque preconis ac missis cedulis in Lissa et Casalibus more solito, in quo quidem consilio et coadunatione interfuerunt circa duas partes nobilium, popularium et universitatis dicte civitatis ac insule, prout dicti domini rector, iudices et alii congregati omnes viva voce confirmabant et dicebant. Cum hoc sit, quod a certo tempore citra certe fuerint discordie in civitate et insula Phare inter certos nobiles in civitate morantes et populares et alios eorum adherentes ex alia parte, propter quas communitas Phare et insula maximum incurrerent detrimentum; cupientes ad veram pacem et concordiam reduci, quapropter respublica crescit, ne maiora insurgant scandala, propterea viri nobiles et prudentes ser Vidosius Drasiza et ser Antonius Jacobi et alii nobiles adherentes, qui in dicto consilio erant, eorum propriis nominibus ac nomine et vice omnium aliorum nobilium extra vagantium occasione dicte discordie, pro quibus promiserunt de rato ex una parte, et omnes alii nobiles et populares et tota universitas dicte civitatis in dicto consilio existentes eorum propriis nominibus ac nomine et vice omnium aliorum suorum adherentium, pro quibus et promiserunt de rato ex alia parte, fecerunt ad invicem omnes unanimiter et concorditer pacem perpetuam ac finem, remissionem et concordiam de omnibus et singulis iniuriis, vulneribus, percussionibus, robariis, violentiis, discordiis, maleficiis et excessibus quibuscumque illatis a presenti hora retro ab unaquaque dictarum partium alternatim; et e converso promittentes ad invicem et vicissim eorum et quibus supra nominibus per sese eorumque heredes solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus predictorum vel alicuius eorum occasione nec querellare, denunciare vel accusare seu procedere nec et aliis concentire directe nec indirecte ammodo in antea, et operam dare seu consentire, quod aliquibus seu alicui predictis vel aliquo predictorum damnum aliquod vel iniuria inferatur ab aliquo principe, dominio seu rege, sed potius predicta omnia et singula supra infrascripta perpetuo firma et rata habere, et nullo contrafacere, dicere seu venire aliqua ratione, iure, causa, animo vel ingenio, de iure seu de facto, his pacis solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus habitis et factis inviolabiter observandis.

Primo, quod omnes et singule partes dicte civitatis et insule, tam nobiles quam populares et tam laici quam clerici et cuiusvis conditionis existant, sint et esse debeant ac remanere in iisdem honore, statu, preminentia, gradu, dignitate et libertate, in quibus fuerunt ante discordias predictas, et quod omnes consiliarii et nobiles facti tempore dictarum discordiarum sint protinus de ipso consilio cassi et pro cassis habeantur auctoritate presentis consilii et coadunationis, sicut si non

fuissent in dicto consilio appositi, et quod omnes reformationes seu partes super hoc capte seu facte sint omnino casse et pro non factis seu captis habeantur auctoritate dicti consilii ammodo in antea.

Item ad omnem suspitionem tollendam pacto expresso decreverunt, quod anterior facies thurris castri dicte civitatis omnino ruinetur usque in fundamentum, videlicet illud totum, quod noviter est factum a parte meridiei, et quod omnes habitantes in dicto castro statim de ipso cum rebus et familia debeant exire, et quod ammodo nullus audeat ipsum intrare sine licentia regis sub pena ammissionis omnium bonorum suorum mobilium et immobilium ac sub pena perpetui exilii; et sic captum fuit et preceptum auctoritate dicti consilii et coadunationis.

Item quod infra octo dies proxime futuros dentur per dictas partes sex obsides, videlicet per nobiles extra vagantes et eorum adherentes tres in electione aliorum nobilium et popularium et aliorum eorum adherentium, et alios tres per dictos nobiles et populares et alios eorum adherentes in electione dictorum nobilium extra vagantium et aliorum eorum adherentium. Qui obsides sic dati et electi debeant ire expensis comunis in Tragurio vel alibi in Dalmatia, ubi eis mandatum fuerit, et stare, donec et quousque per dictas partes fuerit idonee satisdatum de attendendo et observando dictam pacem et concordiam, sub illis penis, que per ipsas partes deliberabuntur, et ipsis fideiussionibus datis; et liceat dictis obsidibus ire, quo eisdem placuerit.

Item quod elligantur duo vel tres pro quaque dictarum partium, qui parte ipsarum partium vadant Ragusium, et ibidem illi communitati suplicent, ut vellet pro qualibet dictarum partium fideiubere et promittere, quod quelibet ipsarum partium predictam pacem attenderet et observabit sub pena infrascripta et sub illa, que dictis eligendis videbitur pro bono statu dicte civitatis et totius insule; et in predictis detur eis plenum arbitrium. Quod ouus, si dicta communitas sumere noluerit, tunc eligendi vadant ad aliam seu alias communitates vel nobiles in Dalmatia, et in eadem etiam forma supplicent, quod si quis fuerit inhobediens, vellet ipsum punire secundum pacta et iura, non intelligendo tamen de his, qui inter se ad rixas devenirent alia de causa, quam occasione status, sicut quotidie accidit, quos volunt punire in civitate secundum statuta civitatis, et prout iuris fuerit.

Et predicta omnia et singula dicte partes et quelibet earum, eorum et nomine quo supra et quelibet ipsarum partium in solidum per se eorumque heredes ut supra premissa statuerunt attendere, et observare promiserunt ad invicem et vicissim, et in nullo contrafacere, dicere vel venire aliqua ratione, causa, iure, modo vel ingenio seu colore, de iure vel de facto, sed ipsa omnia et singula rata, grata et firma habere et tenere, et in nullo contrafacere, dicere vel venire aliquo tempore sub pena ducatorum millium auri solvendorum per partem non attendentem seu attendere nolentem parti attendenti et attendere volenti, et per quamlibet ipsarum partium in solidum toties quoties fuerit contrafactum seu dictum vel ventum et sub refectione damnorum, interesse et expensis litis et extra. Que pena soluta vel non, nihilominus predicta omnia et singula firma perdurent. Et pro predictis omnibus et singulis firmiter attendendis, solvendis et observandis dicte partes et utraque ipsarum

et quelibet ipsarum partium in solidum una alteri, et e converso omnia earum et cuilibet ipsarum bona presentia et fuctura obligaverunt et omnino obligant eorum et quilibet supra nominibus, costituentes et promittentes se ipsos et quemlibet ipsorum, eorum et quibus supra nominibus predicta omnia et singula superius premissa conventa attenditu ros, soluturos et observaturos tam in civitate Phare, Ragusii, Brachie, Corcule, Spalati, Tragurii, Sibenici, Jadre, Venetiarum, Anchone, Fani, Pensauri et in partibus Ungarie quam alibi, ubi pro predictis vel aliquo predictorum fuerint requisiti sine aliqua exceptione iuris vel facti et coram quocumqae iudice et quocumque tempore feriato et non feriato. Renunciates eorum et quibus supra nominibus ipsi et quilibet ipsorum exceptioni non facte et non condite dicte pacis et concordie ut supra contentarum, ac exceptioni doli, mali, metus et in fictum actioni, contradictioni sine causa vel ex iniusta causa seu ob turpem causam et causa data et non secuta ac privilegio fori et feriis quibuscumque beneficio, que novarum constitutionum de pluribus reis, de benedicendis et episcopale divi Andriani, et iurisdicentium si principales non tenerentur, non secundari, ac omnibus aliis iuribus, exceptiouibus et defensionibus contra predicta et omnium non sic actorum, factorum et gestorum ut supra continetur. Mandantes mihi notario, ut de premissis unum et plura, si fuerint opportuna, publica conficerem instrumenta. Presentibus dominis Cipriano archidiacono Pharensi, fratre Nicolao priore ac fratre Joanne vicario ordinis fratrum predicatorum Phare, testibns ad predicta vocatis et rogatis.

Iz rukoposa „Raccolta di varie memorie antiche“ kod izdavatelja.

God. 1419. 5. siečnja, u Mletcih.

O umanjenju vojničtva i o gradskih dohodcih u Šibeniku.

1418. die quinto ianuarii. Sapientes consilii, sapientes ordinum. Capta.

Cum presentialiter, sicut extitimus informati, terra nostra Sibinici non requirit tanta expensa quantam in presenti habet, et bonum sit scansare expensas et illas limitare secundum oportunitatem dicte terre; vadit pars, quod mandetur comiti nostro Sibinici auctoritate istius consilii, quod illas sexaginta pagas, que sunt ad custodiam montis Sibinici, debeat reducere in quadraginta bonas et sufficientes pagas sub duobus capitibus de illis, qui sunt in dicto castro, qui sibi videbuntur.

Ceterum quod dictus comes debeat reducere Pisanellum de Pisis, qui stat ad custodiam porte Sibinici, cum pagis XXV, ad numerum pagarum XX. sufficentium.

Et insuper debeat reducere illas pagas XL, que sunt ad custodiam turris maioris Sibinici, in XXX. pagis, et illas turris minoris in pagas XV.

Preterea quia a tempore, quo habuimus civitatem Sibinici, facti fuerunt duo camerarii super trentesimo et sale, qui ab illo tempore citra steterunt in ipso officio, et bonum sit, quod fideles nostri deinde participent in dictis officiis, ordinetur, quod de cetero comes noster Sibinici et successores sui debeant elligere de anno in annum duos bonos

camemarios ex nobilibus dicte terre, qui sint de suo consilio, cum salario librarum CL. parvorum in anno pro quolibet, qui debeat esse annorum XXX. vel inde supra, non possendo eligere aliquem, qui fuerit in ipso beneficio usque ad duos annos sic, quod omnes participent in dicto benefitio, qui duo camerarii semper esse debeant simul ad faciendum omnia, que spectant offitio suo predicto. Remanente tamen libertate illis nostris fidelibus Sibinici eligendi suos camerarios super introitibus Sibinici, sicut alias sibi concessum fuit.

Item mandari debeat comiti nostro Sibinici, quod debeat incantari facere datium trentesimi Sibinici tantum, non intelligendo in hoc salem, non possendo ipsum datium deliberare minori pretio, quo correspondit anno elapso, set quod provideat in quantum possit, quod transeat X. pro centenario ultra id, quod correspondit anno elapso, et plus si poterit. Et conductores dicti trentesimi teneantur facere pagas suas de quatuor in quatuor menses. Et dicti camerarii non possint habere partem in incantu dicti datii dicti trentesimi. De parte 72, de non 1, non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 52, c. 141, u mlet. arkivu.

God. 1419. 15. siečnja, u Mletcih.

Naputak za podkapetana pomorskoga.

1418. die 15. ianuarii. Quod fiat commissio ser Marco Miani in hac forma. Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetianum etc. Committimus sibi nobili viro Marco Miani dilecto civi et fideli nostro, quod ire debeas noster vicecapitaneus culphi cum presenti nostra galea, et te debeas conferre ad partes Dalmatie ad inveniendum capitaneum nostrum generalem culphi, cui presentare debeas literas nostras, quas tibi dari fecimus, per quas ei mandamus, ut reverti debeat Venetias cum omnibus galeis sibi commissis, dimittendo te et galeam nostram de Creta ad obedientiam tuam ad custodiam culphi nostri et locorum nostrorum Dalmatie et navigiorum nostrorum euntium et redeuntium, et ad damna inimicorum nostrorum Dalmatinorum. Et ut de intentione nostra sis informatus, et scias, quid habeas exequi et facere contra Dalmatinos inimicos nostros, tibi mandamus, quod, si invenies aliquam barcham vel navigium non Dalmatinorum cuiuscumque nationis et conditionis existat, quod iret Tragurium, Spalatum, Dalmisium, debeas patronis dictarum barcharum et navigiorum mandare, quod nullo modo vadant ad loca predicta, et si ibunt, et postea eos reperies, ipsos tractabis pro inimicis. Et si post mandatum per te eis factum aliquem eorum reperies euntem ad loca predicta, intromittere debeas, tractando eos pro inimicis. Barchas autem et navigia tam armata quam disarmata, que essent barche vel navigia dictorum locorum Tragurii, Spaleti et Dalmisii, capere et intromittere debeas, tractando homines, navigia et bona pro inimicis nostris, et de ipsis hominibus, bonis et navigiis facias, sicut fieri consuevit de inimicis; declarando tibi, quod intentionis nostre est, quod dictis locis Tragurii, Spalati et Dalmisii in terra nullam novitatem facere debeas, quia nolumus, quod homines nostros nullo modo ponas in terram, quousque aliud tibi dabimus in mandatis, sed contra eos et eorum bona

ari observare et facere debeas, sicut superius tibi committimus. autem de Liesna et Curzola per ea, que nobis scripsit capitaneus noster culphi de bona voluntate eorum erga nostrum dominium, nullam novitatem facere debeas, sed eos amicabiliter tractabis, dando eis bonam spem, et tenendo eos cum bonis verbis, nullam intromissionem de dictis locis faciendo sine nostro speciali mandato; avisando eos, quod non dent aliquod subsidium inimicis nostris, nam eo casu eos tractabis pro inimicis. Illis vero de Ragusio, navigiis et bonis suis nullam novitatem facias, sed eos debeas amicabiliter tractare, prout dedimus in mandatis capitaneo nostro culphi per literas nostras, quarum copiam tibi fecimus exhiberi pro tua informatione, ut scias, per quem modum eos tractare debeas.

Si vero capitaneus noster culphi iam recesisset pro veniendo Venetias, et dimisisset loco sui nobilem virum ser Lucam de Canali, secundum quod a nobis habuit in mandatis, debeas dicto ser Luce presentare nostras literas, quas tibi consignamus, per quas ei mandamus, ut reverti debeat Venetias ad disarmandum. Et tu cum galea tibi commissa et galea Crete remanere debeas ad exequendum mandata nostra, sicut superius continetur.

Et quia dedimus in mandatis regimini nostro Crete, ut mittere debeat ad partes culphi duas galeas de novo armandas, propterea volumus et sic tibi mandamus, quod applicatis dictis duabus galeis, quas volumus esse ad tuam obedientiam et mandatum vel una ex eis, debeas galeam nostram Crete, que ad presens tecum est, licentiare, ut vadat in Cretam ad disarmandum. De parte 74, de non 2, non sinceri 0.

Secreta cons. rog. VII. 57, u mlet. arkivu.

God. 1419. 21. veljače, u Mletcih.

O robovih, koji su se vozili iz Dalmacije u Apuliju itd.

Thomas Mocenigo dei gracia dux etc. nobilibus et sapientibus viris Petro Lauredano de suo mandato comiti et Sancto Venerio militi capitaneo Jadre et successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Per literas nostri consulis generalis in regno Apulee fuimus informati, quod ad partes Apulee conducuntur cum navigiis et barcis subditorum nostrorum et aliorum forensium multi Dalmatini tam mares quam femine et similiter Sclavi et Sclave de partibus Sclavonie, et quod ipse circa reparationem talis rei fecit provisionem sibi possibilem. Sed quia dicte provisiones ad evitationem talis inconvenientie non sufficiunt, mittimus vobis inclusam presentibus copiam literarum suarum, volentes et vobis mandantes, quod providere debeatis totis viribus et posse, quod dicti nostri subditi non recedant de locis nostris et conducantur et vendantur in alienis pro servis. Literas autem hiis anexas, quas dirigimus nostro comiti Scibinici, cum sint maxime importancie, eidem mittere presto debeatis per fidum et sufficientem nuncium sic quod secure ad manus suas perveniant.

Date in nostro ducali palacio die XXI. mensis februarii, indictione VII, MCCCCXVIII.

1419. 9 maii. Thomas Mocenigo etc. iisdem mandatum, quod faciant provisionem contra ribaldos, qui vadunt cum barchis per Quarnarium et aquas illas, et inferunt damna plurima venetis subditis, et illos capi procurant.

1419. 20. maii. Thomas Mocenigo etc. iisdem commissum, quod debeant consignare castellanis nostris Jadre munitiones, qui ipsas conservare et diligenter custodire debeant et dispensare secundum quod ordinabitur eis per rectores.

1419. 28. maii. Thomas Mocenigo etc. Petro Lauredano comiti et Paulo Corrario capitaneo Jadre, in facto piratarum euncium per Quarnerium, ut ipsos capi faciant etc.

1419. 4. septembris. Thoma Mocenigo etc. Andree Zane comiti et Paulo Corrario capitaneo Jadre.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Lib. I. c. 38." u zadarskom arkivu.

God. 1419. 23. ožujka, u Mletcih.

Priprave za obsednuće Trogira.

MCCCCXVIIII. die XXIII. marci. Ser Antonius Contareno procurator, ser Franciscus Fuscari procurator, sapientes consilii. Cum pridie captum fuerit in isto consilio de faciendo fieri duas bastitas, et dicte bastite facte sint et in ordine, et necessarium sit providere de habendo gentes necessarias pro stando et deffendendo dictas bastitas, vadit pars, quod comittatur sapientibus nostris guerre, licet habeant ad hoc libertatem, sed bonum et utile est, quod omnia fiant cum deliberatione istius consilii, quod subito et sine mora debeant soldare pedites quingentos forenses cum firma quatuor mensium et trium de respectu in libertate nostri dominii, cum soldo aliorum nostrorum peditum. Verum non possint dicti sapientes dare alicui comestabili ultra pagas quinquaginta. Et debeant dicte bastite et pedites mitti ad partes Dalmatie pro firmando dictas bastitas contra Tragurium, pro possendo habere dictam terram Tragurii, et obstando, ne possit danificare subditos et fideles nostros, sicut fecerunt et faciunt pro honore et comodo nostri dominii et pro securitate subditorum et fidelium nostrorum. Verum ante recessum capitanei nostri culphi providebitur de modo et ordine observando in firmando dictas bastitas, sicut isti consilio utilius et melius videbitur. De parte 87, de non 18, non sinceri 6.

Secreta cons. rogat. vol. VII. c. 67, u mlet. arkivu.

God. 1419. 23. ožujka, u Mletcih.

Dopušća se kapetanu Zadarskomu, da si uzme za druga njekoga stranca.

MCCCCXVIIII. die XXIII. martii. Ser Franciscus de Molino, ser Andreas Justiniano, ser Sipio Bono, consiliarii. Capta. Cum in commissione capitanei nostri Jadre contineatur, quod debet ducere secum duos sotios Venetos, qui placeant nostro dominio, et nobilis vir ser Paulus Corrario iturus capitaneus noster Jadre nobis supplicavit, quod cum habeat pre manibus unum sufficientissimum et fidelissimum sotium expertum et consuetum cum multis nobilibus nostris in variis regiminibus,

de Papia, qui quamvis non sit venetus orgine, tamen animo et bonis operibus, dignemur ei concedere, ut ...re dictum sotium ad capitaneatum predictum, vadit ...bstante suprascripta commissione sua possit secum du... ...uum ad capitaneatum Jadre Johannem de Papia preno... 63, de non 39, non sinceri 2.

... c. 157, u mletačkom arkivu.

God. 1419. 23. ožujka, u Mletcih.

Šalju se dva branika u Dalmaciju, da se rabe proti Trogiru.

1419. 23. marcii. Pro duobus bastitis jam factis iuxta partem alias captam sapientes guerre eligant 50 milites, „et debeant dicte bastite et pedites mitti ad partes Dalmatie pro firmando dictas bastitas contra Tragurium pro possendo habere dictam terram Tragurii, et obstando, ne possit danificare subditos et fideles nostros. 87—18—6.

Secreta cons. rogat. VII, u mlet. arkivu.

God. 1419. 30. ožujka, u Mletcih.

Radiću Sižgoriću Šibenčaninu radi zasluga doznačena godišnja svota do smrti.

Radichio Sisgorich assignatur salarium pro meritis. — Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. nobilibus et sapientibus viris Benedicto Capello comiti Sibenicensi et successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Cum circumspectus fidelis noster Radichius Sisgorich, nobilis civitatis nostre Sibenicensis, nobis exposuit, quod alias eo tempore, quo vir nobilis ser Franciscus Cornelio fuit provisor noster Jadre, et erat ad turres portus civitatis predicte, in quibus erat idem Radichius cum certis aliis nobilibus et civibus Sibenici, prelibatus ser Franciscus promisit de provisione ad vitam ipsi Radichio libras centum quinquaginta parvorum annuatim, incipiendo dictam provisionem a tempore adeptionis dicte civitatis Sibenici facte per dominium nostrum in antea, supplicando, quod cum ipsa civitas Sibenici iam sunt elapsi plures anni pervenit in potestatem nostri dominii, dignaremur facere ac providere, quod dicta provisio, sibi promissa per ser Franciscum Cornario provisorem nostrum predictum, eidem habeat conservari. Hic igitur intellectis optimis portamentis Radichi prenominati ad honorem et statum nostrum, et iustis provisionibus ei factis per ser Franciscum Cornario supradictum de prelibata provisione librarum centum et quinquaginta secundum libertatem eidem traditam per nostra consilia rogatorum et additionis, fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus supradicto Radichio dare et solvere debeatis de annua provisione ad vitam libras centum quinquaginta parvorum pro singulo anno, incipiendo facere talem solutionem predicte provisionis a die, quo habuimus civitatem Sibenici, sicut ei fuit promissum per ser Franciscum Cornario predictum. Has autem litteras provisionis huiusmodi in actis cancelarie

vestre, deinde ad futurorum memoriam registratas, ipsi Radichio restituere debeatis. Data in nostro ducali palatio, die penultimo mensis martii, indictione XII, MCCCCXIX.

Diplomatarium Sibenicense, u dvorskoj knjižnici bečkoj, ruk. 13461. list 91.

God. 1419. 2. travnja, u Mletcih.

Predlog o povećanju uprave u Dalmaciji neprimljen.

MCCCCXVIIII. die secundo aprilis. Ser Bulgarus Victuri consiliarius. Cum in partibus Dalmatie multa agere habeamus, et iam preparata sint multa pro possendo obtinere intentionem nostram contra inimicos nostros Dalmatinos, et utile et necessarium sit, quod nostra negotia cum bono ordine et regula procedant et terminentur; vadit pars, quod vicecapitaneus noster culphi esse debeat provisor apud capitaneum nostrum generalem culphi. Et ultra hoc, ut habeamus duos provisores apud dictum nostrum capiteneum, eligi debeat de presenti in isto consilio per scrutinium unus provisor, qui eligi possit de omni loco et offitio, et teneatur statim recedere vel cras ad tertias, et non possit refutare sub pena ducatorum III. centum, et ultra dictam penam non possit eligi ad aliquod regimen usque duos annos, qui provisores esse debeant provisores per tres menses et tantum plus, donec fuerint revocati, et teneantur recedere cum presentibus galeis, et habeant de salario in mense et ratione mensis ducatos quidquaginta, ducendo suis salario et expensis duos famulos aptos ad arma, et habeant salarium trium mensium. Declarando ex nunc, quod omnes terminationes, que fient pro his, que committentur dicto nostro capitaneo fieri debeant per maiorem partem eorum, excepto quod in navigando et in ministrando ius et iustitiam, que remaneant in potestate et libertate capitanei. De parte 48.

Ser Andreas Zane sapiens guerre. Capta. Vult, quod pro nunc suspendatur de mittendo provisores, quia secundum occurentia providebitur, prout fuerit neccessarium. De parte 70, de non 5, non sinceri 8.

Senato. Misti LII. c. 162, u mletačkom arkivu.

God. 1419. 8. travnja, u Mletcih.

Obećaje se 2000 (kašnje 8000) dukata onomu, koj bi predao Balšu mrtva ili živa.

1419. die VIII. aprilis. Capta. Cum sit recordatus nostro dominio certus partitus utilis pro nostro statu, in quo expendetur certa quantitas denariorum non magna, vadit pars, ut dictum negotium possit habere effectum contra quemdam inimicum nostrum, quod collegium domini, consiliariorum, capitum, sapientium consilii et ordinum habeat libertatem possendi expendere ducatos duomillia in denariis et ducatos duomillia in possessionibus pro dando mortem dicto inimico nostro, aut pro habendo ipsum vivum in manibus nostris. De parte 107, de non 6, non sinceri 5.

Secreta consilii rogatorum VII., 68. u mlet. arkivu.

God. 1419. 8. travnja, u Mletcih.

Piše se pomorskomu kapetanu, neka umah podje u Albaniju, pruži pomoć Skadru i udari na Balšine zemlje.

1419. 8. aprilis. Scribatur capitaneo generali culphy in hac forma. Volentes securitati et conservationi locorum nostrorum Dalmatie et Albanie facere provisionem, fidelitati vestre mandamus .... debeatis cum omnibus galeis vobis commissis et cum ballistariis, quos pro subventione locorum nostrorum Scutari et Drivasti mittimus, cum una galeota barchorum viginti .... ire prestissime versus Boianam .... et cum eritis apud Dulcignum, debeatis in dicto vestro accessu, quia ibi est una galeota, si vobis videbitur, antequam intretis Boianam, illam galeotam comburere vel capi facere .... per Boianam debeatis ire sursum quantum poteritis .... et cum eritis sursum .... providere debeatis de mittendo dictos ballistarios cum securitate ad locum nostrum Scutari, faciendo illos ire per viam fluminis vel per viam terre, ut vobis melius apparebit .... et missis dictis ballistariis ad locum nostrum Scutari .... debeatis vigilare continue cum diligenti sollicitudine ad ruinam, damnum et exterminium Balse et locorum suorum, et inferre et inferri facere totis vestris viribus, omnibus modis, quibus poteritis, per dictam Boianam et per omnes alias vias et loca, per que vobis videbuntur, quam plura damna poteritis dicto Balse et locis eius, faciendo illis cum securitate vestra galearum et zurmarum vobis commissarum poni et fieri predas, incendia et derobationes et alia queque, cum quibus ipsi Balse et dictis locis suis damnum et lesionem inferre poteritis ....

Quia informationem habemus, Balsam multis de causis fore exosum valde suismet, de quibus essent et invenirentur, qui contra eum procurarent et facerent guerram et novitates, et tam de dominis circumstantibus et nobilibus quam de aliis, volumus, quod debeatis circa hoc scire et sentire a comite et capitaneo Scutari .... et si inveneritis et habere poteritis de predictis, qui velint facere guerram et novitates contra Balsam, sumus contenti, quod possitis expendere mille ducatos, promittendo predictis etc.

Secreta cons. rog. VII. 69, u mlet. arkivu.

God. 1419. 19. travnja, u Mletcih.

Šalju se oboružani brodovi proti trogirskim ladjam, koje su uznemirivale mlet. trgovačke brodove.

1419. die 19. aprilis. Ser Albanus Baduario, ser Rossus Marino, ser Marinus Karavello proc., ser Antonius Contareno proc., ser Franciscus Fuscari proc., sapientes consilii, ser Franciscus Foscari, ser Andreas Contareno, ser Andreas Zane, ser Bertucius Pisani, ser Georgius Cornario, sapientes guerre, ser Secundus de Pesaro, sapiens ordinum. Capta. Cum alique barche Tragurinorum armate in Tragurio iverint ad partes Apulee, et multa damna intulerint navigiis et barchis nostris conversantibus in partibus predictis, quod est cum magno onere nostri dominii et magno damno civium nostrorum, et necessarium sit facere provisionem pro honore nostri domini et securitate barcharum, navigiorum et subdi-

torum nostrorum, vadit pars, quod subito armari debeant due galeote banchorum quindecim pro qualibet pro mittendo ad partes Dalmatie et Apulee, sicut terminatum fuerit per collegium, ad assecurandum navigia et barchas nostras. Et ut dicte galeote bene gubernentur eligi debeat unus supracomitus in isto consilio per duas manus electionum et unam per scruptinium inter dominum, consiliarios, capita, sapientes consilii, guerre et vidinum, qui teneantur statim respondere vel cras ad tercias, et habeat ducatos vigintiquinque in mense et ratione mensis et pagam quattuor mensium cum aliis conditionibus, quas habet capitaneus Marchie. Et pro alia galeota eligatur pro capite unus noster popularis cum illo soldo, qui ordebitur collegio, qui esse debeat ad obedientiam dicti supracomiti, et debeant armari dicte galeote per illum modum et cum illa quantitate hominum et cum illo soldo, qui et quod terminabitur per collegium. Verum quia in Arsenatu nostro est unus bringantinus bancorum duodecim, qui erit bonus in partibus Marchie, mandetur capitaneo riperie Marchie, quod cum galeota sua se reducere debeat Clugiam, ut possit illam cambire cum brigantino predicto. Mandetur etiam patronis nostris arsenatus, quod dictam galeotam et brigantinum subito faciant ponere in ordine et aptare, ut illas presto habere possimus. Et debeat dictus supracomitus, quando se reperiet cum nostro capitaneo culphi vel vicecapitaneo vel cum aliis galeis nostris missis per dictum nostrum capitaneum, esse ad eorum obedientiam et mandatum. Et debeat dominium scribere domine regine Apulee, consuli nostro Apulee et illis de Guasto et aliis locis, qui videbuntur, gravando se de hoc, et requirendo satisfactionem damnorum illatorum in illa forma, que videbitur collegio. Et ante eius recessum venietur ad istud consilium, et providebitur de sua commissione, pro ut isti consilio videbitur. De parte 82.

Electus supracomitus acceptavit. Ser Petrus Diedo quondam ser Jacobi.

Senato. Secreta cons. rogat. Vol. VII. c. 69, tergo, u mlet. arkivu.

God. 1419. 20. svibnja, u Mletcih.

Odredjuje se proti Kotoranom odšteta za škode Mletčanom nanešene.

1419. di 20 maii. Capta. Sapientes ordinum. Cum die 17. novembris elapsi captum fuerit in isto consilio, quod pro satisfactione virorum nobilium ser Victoris Delphino et Jacobi Gabriel et Antonii Brodeto pro damnis datis sibi per illos de Cataro ad summam ducatorum circa noningentorum rectores Jadre deberent sequestrare de bonis catarenis existentibus sub regimine sibi commisso usque ad quantitatem dictorum denariorum, quousque aliud a nobis haberent in mandatis, qui rectores dictum nostrum mandatum executioni mandaverunt. Et quia dicti nostri nobiles nobis supplicaverunt, et postquam hactenus nullam satisfactionem habere potuerunt, nostrum dominium dignetur providere sue satisfactioni. Et cum debitum et iustum sit sue satisfactioni providere, et maxime cum fuerint dati quam plures termini ipsis de Cataro, ut facerent dictam satisfactionem, qui non fecerunt nec curant facere, et de dictis damnis facta fuerit debita examinatio per provisores nostri comunis; vadit pars, quod scribatur et mandetur rec-

toribus Jadre, quod debeant scribere quam citius poterunt comunitati Catari, quod debeant misisse Jadram satisfactionem et solutionem stariorum VII centum XVI frumenti ad mensuram venetam ad rationem librarum sex pro quoque stario, sicut per alias comunitati predicte scripsimus, usque per diem octavum iulii proximi. Et in casu quo usque ad dictum terminum non fecerint ipsam satisfactionem, debeant ipsi rectores de dictis bonis sic sequestratis vendere usque ad summam ducatorum VIII centum LVIIII, quos denarios de dictis bonis sic extrahendos debeant dare dictis nostris civibus sive eorum nuntio. De parte 142, de non 3, non sinceri 4.

Senato. Misti. Vol. 52, c. 169, u mlet. arkivu.

God. 1419 26. svibnja, u Mletcih.

Uzapćena u Zadru imanja njekoga Venturinia, koj je iz Trogira napadao mletačke brodove.

1419. die 26 maii. Capta. Sapientes ordinum. Cum comes noster Jadre nobis per suas litteras significaverit, quod per duos filios Johannis Venturini armate fuerunt due barche Tragurii, que iverunt et vadunt ad damnum nostrorum fidelium, et etiam per dictum Johannem Venturini preparata sunt lignamina causa construendi unam galeotam, et quod per dictos eius filios nunc tenetur cursus contra subditos nostri dominii, ob quem dictus comes sequestrari fecit redditus suos suarum possessionum in districtu Jadre existentium. Et quia pro terrore aliorum ac exemplo necessarium est providere, quod dicti redditus et possessiones vendantur, ut ex eorum et earum denariis etiam possit satisfieri subditis et fidelibus nostris damna passis; vadit pars, quod auctoritate huius consilii mandetur comiti nostro Jadre sive successori suo, quod omnes redditus et possessiones dicti Johannis et filiorum suorum debeant vendere, et denarios, quos ex ipsis habebunt, debeant de per se conservari facere in camera nostra Jadre, quousque aliud a nobis habuerint in mandatis. Et insuper mandetur ipsi comiti seu successori suo, quod debeant diligenter investigare et perquirere ac examinare et scire nomina illorum nostrorum fidelium et subditorum, qui damnificati fuerunt per dictas barchas et filios dicti Johannis, et ad plenum nostrum dominium informare, ut habita eorum informatione indemnitati dictorum nostrorum fidelium et subditorum providere possimus, sicut debitum et iustum est. De parte 208; de non 2; non sinceri 3.

Senato. Misti. Vol. 52. c. 170, u mlet. arkivu.

God. 1419. 28. svibnja, u Mletcih.

Mletčani gledaju, da dobiju na svoju stranu s obećanjem godišnje svote njekoje knezove u Arbaniji, da jih proti Balši rabe.

1419. 28 svibnja. Cum pridie auctoritate istius consilii mandatum fuerit capitaneo nostro culphy et comiti et provisori nostro Scutari, quod pro removendo Balsam ab insidiis locorum nostrorum partium Albanie possent expendere in dominis circumstantibus et nobilibus et aliis personis, qui facerent guerram dicto Balse usque ducatos mille, que pro-

visio esset multum utilis et fructuosa, si haberet effectum, sed si non haberet effectum, necessario est providendum per aliam viam et modum, ut inimicus noster predictus non stet ad campum circa loca nostra, et quod de cetero non habeat causam nostras partes de inde molestandi; propterea vadit pars, quod comittatur iisdem . . . . debeant procurare et solicitare . . . . de reducendo Juanum Castrioti, dominum Coiam, Tamisium magnum et Georgium et Alexium Juras fratres ad nostram provisionem annualem continuis temporibus cum hac conditione, quod si dedissent aliquod subsidium vel favorem ipsi Balse, debeant illum removere, et si fieri posset, quod etiam faciant guerram et novitatem ipsi Balse; et cum hac etiam alia conditione, quod de cetero non dent nec dari faciant aliquod subsidium vel favorem predicto Balse, sed debeant dare auxilium et favorem locis et subditis nostris, quando opprimerentur a Balsa predicto, promittendo de provisione dicto Juano et domino Coia ducatos trecentos pro quolibet, et aliis illud minus, quod facere poterunt . . . .

Secreta. cons. rog. VII. 78. u mlet. arkivu.

God. 1419. 29. svibnja, u Mletcih.

O kugi u Šibeniku.

MCCCCXVIIII. die XXVIIII may. Sapientes ordinum. Capta. Quia comes noster Sibenici nobis per suas literas significavit ob pestem, que ibidem est, esse mortuos aliquos ex stipendiariis nostris deinde, et aliquos infirmos, et aliquos requirentes cassos esse, propter quam causam terra nostra Sibinici posset remanere diffulcita stipendiariis; vadit pars, quod committatur Francischino de Venetiis comestabili nostro ibidem, qui presentialiter est hic, quod debeat solidare viginti bonos ballistarios, qui mittantur Sibenichum, et committatur comiti Sibenici, quod de dictis ballistariis debeat supplere numerum peditum et ballistariorum deficientium ibidem; et si non deficerent tot, debeant cassare illos minus sufficientes existentes deinde, quorum loco ballistarii restantes ex illis, qui mittentur, scribantur, ita quod numerus stipendiariorum nostrorum deinde non augeatur. De parte 80, de non 1, non sinceri 0.

Misti LII c. 171 retro, u mletačkom arkivu.

God. 1419. 1. lipnja, u Mletcih.

Šalje se novac za izplatu vojnika u Šibeniku.

MCCCCXVIIII. die primo iunii. Sapientes ordinum. Capta. Cum comes noster Sibenici scripserit nostro dominio de maxima necessitate pecunie quam habet, et hoc quia terra nostra Sibenici in presenti nullum habet introitum propter epidemiam, que ibi viget, que est causa, quod Morlachi, qui dabant quasi totam utilitatem camere nostre, deinde propter eorum mercantias, quas ducebant, et propter salem nostri comunis, quem emebant, non veniunt Sibenichum, et scripserit etiam nostro dominio de pagis, quas habere debent stipendiarii nostri deinde, qui quotidie pro ipsis conqueruntur, et necessarium sit propter dictas causas facere et providere, quod dictus noster comes habeat pecuniam; vadit

pars, quod de ista media pro centenario, que solvi debet usque dium mensis presentis, accipi debeant ducati octingenti, qui mit beant ipsi nostro comiti, ut dispenset in subventionibus sive pagis st diariorum nostrorum deinde; et antequam dicti denarii accipiar solvantur primo alii denarii de dicta media pro centenario, qui debent et sunt obligati usque ad presentem diem. De parte 88, de 3, non sinceri 0.

Misti LII c. 173, u mletačkom arkivu.

God. 1419. 10. lipnja, u Mletcih.

Kako da se predobije grad Drivast otet od Balše osim tvrdjav

1419. 10. iunii. Cum per litteras potestatis nostri Drivasti, capitaneus noster culphy suis litteris interclusas misit nostro dor habeatur, dictam terram pervenisse ad manus Balse, et dictum nos potestatem se reduxisse intra castrum, ex quo necessarium est provisionem; sed dicta provisio de hinc fieri non potest, nisi cum xima expensa nostra, et propterea necessarium est per omnes mo vias possibiles ad recuperationem dicte terre et ad destructionem Balse providere; vadit pars, quod, quanto prestius esse potest, debeant ad manus rectorum nostrorum Scutari, illorum videlicet, reperient in regimine, et capitaneo nostro culphy, si ibi erit, du quinque millia, et mandetur dictis nostris rectoribus, quod debea intelligere cum capitaneo Schopie Turcho vel cum aliis capitanei in partibus illis essent, si ad hoc erunt potentes, et cum eis ad co sitionem venire ad dictam summam ducatorum quinque millium inde infra, sicut melius facere poterunt, si et in quantum dictum B et gentes suas expellat de campo et territorio nostro, et etiam qu contra dictum Balsam ad ruinam et destructionem suam cum condi quod omnia fortilitia, que aquirentur, tam nostra quam dicti Bals maneant nostro dominio. Et si ultra dictam quantitatem necess esset facere aliam promissionem dicto capitaneo Turchorum, que hoc eligerent, detur eis libertas possendi eidem promittere loco provisionis, que dabatur Balse, ducatos mille in anno, promittente capitaneo Turchorum, tam dictam nostram contratam quam totum quod teneremus in dictis partibus, defendere et custodire tam a Balsa quam a quibuscumque aliis, volentibus loca nostra de inde stare; et quia dicti rectores habuerunt in mandatis soldandi de do et gentibus de inde, si dicti nostri rectores se concordarent cum Turchis, comittatur eis, quod aliam expensam non debeant face gentibus de inde.

Verum quia fertur, quod via a Scutari usque Schopiam no bene secura, ordinetur et mandetur capitaneo nostro culphy et re bus nostris Scutari, quod non existente dicta via secura, debeant conduci usque Durachium vel per aliam viam, ut eis videbitur, personam sufficientem et aptam, que vadat ad exequendum mand nostrum, prout superius continetur.

Et ulterius comittatur dictis nostris rectoribus, quod sicut Balsa habet taleam ducatorum quatuor millium, sic publicare f

taleam ducatorum octo millium, dando dictum Balsam vivum in manibus nostris aut interficiendo eundem.

Alii volunt: cum per experientiam videtur mala intentio et perversitas Balse inimici nostri contra terras et loca nostra partium Albanie, et nulla sit melior provisio ad obviandum sue prave intentioni, quam querere eius mortem per omnem modum et viam possibilem; vadit pars, quod mandetur comiti et capitaneo nostro Scutari vel successori suo et provisori nostro ibidem, quod si sibi videbitur, debeant reducere Stefanum Maramonte, attinentem dicti Balse, quod det dictum Balsam in manibus nostri dominii, aut faciat ipsum mori; promittendo sibi, quod dominatio nostra sibi dabit omne auxilium, ut aquirere possit et habere dominium Dulcigni, Antibari, Budve et aliorum locorum, qui in presenti possidentur per Balsam, a Boiana citra, et ulterius ducatos quatuor millia. Si autem predictis nostris rectoribus per dictum modum non videretur posse obtinere dictam nostram intentionem, debeant dicti rectores dare taleam ducatorum octo millium dicto Balse, ita quod quicumque eum dederit in forciam nostram vivum, aut eum interfecerit, habeat ipsam taleam; et debeant ipsi rectores in locis Albanie facere ipsam taleam cridari et publicari, ut cunctis manifesta sit. Insuper detur libertas collegio, posse practicare cum illis personis, que sibi videbuntur, ut suprascripta nostra intentio habeat effectum.

Ser Jeronimus Contareno vult: quia, sicut manifestum est, civitas Drivasti ivit ad manus Balse, sed adhuc castrum tenetur per rectorem nostrum de inde, et bonum sit tenere modum de recuperando dictam civitatem, et hoc fieri non possit sine pecunia; vadit pars, quod mitti debeant Scutarum ducatorum IV mille ultro illos, quos captum fuit mitti debere, qui expendi possint per rectores nostros Scutari tam pro recuperatione dicti loci per illa media et modos, qui sibi videbuntur, quam in gentibus illarum partium fiendis, quam in gentibus pro expellendo ipsum Balsam de campo ab illis partibus. Et ulterius, si videbitur dictis rectoribus, quod dicti rectores possint promittere ultra ducatos IV millia, sicut pridie captum fuit, alios ducatos mille singulo anno de provisione pro faciendo mori ipsum Balsam.

Secr. cons. rogat. VII. 82. 83, u mlet. arkivu.

God. 1419. 30. lipnja, u Mletcih.

Nalaže se krčkomu knezu, da dvaput na godinu ima poći u Osor, i tu najmanje jedan mjesec ostati.

MCCCCXVIIII. die ultimo iunii. Consiliarii. Capta. Cum quidam ambassiator comunitatis nostre Auseri comparuerit ad presentiam nostri dominii, exponens, quod antiquis temporibus, quando habebamus dominium insularum Chersi et Auseri, comes noster solebat stare diversis temporibus in dictis insulis modo in uno loco modo in alio, quod erat multum comodi fidelibus nostris deinde; sed nunc per suam commissionem comes noster Chersi et Auseri habitat solum in Cherso et nunquam aliquo tempore vadit Auserum, et ob hoc fideles nostri Auseri coguntur ire Chersum ad utendum iuribus suis cum eorum maximo incomodo et sinistro, quia iudices deputati ad reddendum ius in dicta

…nale obediuntur; et propterea nostro dominio supplicaverit, …
…tur superinde providere; vadit pars, quod pro contentamento et …io ipsius civitatis nostre Auseri comes noster Chersi et Auseri, qui …esens est in regimine, et similiter qui de cetero eligentur, teneatur ire bis quolibet anno Auserum, ibique morari et habitare ab uno in duobus mensibus, prout fuerit necessarium pro qualibet vice, videlicet illo tempore, quo sibi magis placebit, ministrando ius et iusticiam civibus et fidelibus nostris deinde prout tenetur et debet vigore sue commissionis, et postea reverti debeat Chersum. Et addatur presens pars in commissione comitis nostri Chersi et Auseri, quam debent effectualiter observare. De parte omnes alii, de non 1, non sinceri 0.

Misti LII. c. 182 retro, u mletačkom arkivu.

God. 1419. 30. lipnja, u Mletcih.

Mladići iz Šibenika nude svoju pripomoć Mletčanom proti neprijatelju.

1419. die ultimo iunii. Consiliarii. Capta. Cum comes noster Sibinici nobis scripserit per suas litteras, quod sunt aliqui iuvenes fideles nostri deinde volentes armare aliquas barchas ad expensas suas pro eundo ad damna inimicorum nostrorum, dummodo sibi detur de biscoto nostri comunis deinde sine aliqua solutione, et bonum sit dare materiam dictis nostris fidelibus benefaciendi, et ut videant nos benigne acceptasse fideles oblationes suas; vadit pars, quod scribatur dicto nostro comiti, quod sumus contenti et placet nobis, quod dictis nostris fidelibus, qui armabunt dictas barchas ad suas expensas, dare debeat de biscoto nostri comunis pro substentatione hominum barcharum predictarum per modum et sicut datur hominibus galearum nostrarum culphi. De parte omnes.

Senato. Misti. Vol. 52. c. 182 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1419. 15. srpnja, u Mletcih.

Šalju se u Dalmaciju dva braništa, da se rabe proti Trogiru.

1419. die XV. iulii. Ser Rossus Marino, ser Antonius Contareno proc., ser Franciscus Fuscari proc., sapientes consilii; ser Andreas Justiniano, ser Sanctus Venerio miles, sapientes guerre. Cum alias captum fuerit in isto consilio, quod fieri deberent due bastie pro ponendo illas contra Tragurium; fuerunt etiam conducti multi pedites occasione predicta, sed propter novum, quod tunc supervenit de factis Scutari, non potuit intentio nostra mitti executioni, et sic dilatum fuit factum Tragurii; et necessarium sit non dilatare amplius factum predictum, sed providere, postquam capitaneus noster venturus est ad partes Dalmatie, de obtinendo intentionem nostram contra Tragurium pro securitate tocius Dalmatie et locorum nostrorum; vadit pars, quod mitti debeant ad partes Dalmatie dicte due bastite ponende contra Tragurium in illo loco et per illum modum, qui videbitur illis, qui ad hoc deputati erunt. Et pro obtinendo intentionem nostram ordinetur, quod illi centum et quinquaginta pedites, qui expetantur de partibus Senarum, mitti debeant ad partes Dalmatie. Et ultra illos committatur sapientibus nostris

guerre, quod subito conducere debeant alios pedites trecentos et quinquaginta, ita quod habeamus in totum pedites quingentos, qui omnes mitti debeant ad partes Dalmatie occasione predicta. Verum preparatis omnibus necessariis, collegium habeat libertatem mittendi dictas bastitas, bombardas, pedites et alia neccessaria, et providendi de faciendo armare barchas in partibus Dalmatie, et congregare gentes et alia facere, que erunt necessaria pro executione intencionis nostre predicte. De parte 41, de non 55, non sinceri 13.

Senato. Secr. cons. rog. VII. c. 91, u mlet. arkivu.

God. 1419. 22. srpnja, u Mletcih.

Dieli se pravica podaniku proti knezu creskomu.

1419. die 22. iulii. Ser Bulgarus Victuri, ser Franciscus Fuscari, ser Laurentius Capello, consiliarii; ser Matheus Barbaro caput de XL. Cum honesta domina Michelina uxor quondam egregii militis domini Guidonis de Matafaris de Jadra fidelis nostra per suas litteras datas septimo iulii scripserit nostro dominio, et multum querelanter conquesta fuerit de comite nostro Chersi et Auseri, sicut in dictis litteris lectis isti consilio apparet, et pro honore nostri dominii talia non sint tolleranda, ymo necessarium est providere, ut fideles et subditi nostri partium Dalmatie cognoscant et videant per effectum, tales iniurias et novitates displicere nostro dominio; vadit pars, quod auctoritate istius consilii mandetur advocatoribus nostris comunis, quod unus eorum per texaram vel concordium ire debeat Chersum et Auserum et Jadram et alio, ubi fuerit necesse, ad inquirendum et examinandum super contentis in litteris predictis secundum mores et consuetudines sui officii, ut in hoc facto procedi possit sicut videbitur fore procedendum pro honore et fama nostri dominii et pro contentamento subditorum et fidelium nostrorum partium predictarum. De parte 54, de non 27, non sinceri 6.

Senato. Secreta cons. rog. VII. c. 91 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1419. 25. srpnja, u Mletcih.

Naputak za poslanika idućega k Turčinu.

1419. 25. iulii. Nos Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. Comittimus tibi nobili viro Bertuccio Diedo baiulo nostro Constantinopolis, quod . . . . ire debeas ambassiator noster ad Chirici soldanum Turchorum . . . .

Insuper si de facto Albanie et Nepanti, pro quibus, sicut tuis litteris nobis scripsisti, dictus Turchus, quando alia vice fuisti ad eius presentiam, petiit sibi dari iuxta promissionem alias factam ducatos mille centum, iterum fieret mentio, volumus te dicere . . . . et respondere, quod, quando fuit facta promissio de dictis ducatis mille centum tunc tenebamus Dulcignum, Buduam, Antivarum, Alexium, Scutarum et Drivastum, et quod Balsa tenet et occupat de presenti Dulcignum, Buduam, Antivarum et Drivastum, que sunt presertim illa loca fructuosa

et utilia, a quibus precipue extrahebatur et habeatur utilitas, de qua, stantibus locis ipsis in manibus dicti Balse, nihil habemus, quia non sunt in potestate nostri dominii, et dicta causa non tenemur ad promissionem predictam; sed si vellet operari et tenere modum, quod dicta loca, que tenentur et occupata sunt per dictum Balsam, perveniant ad manus nostras et sub gubernatione et dominio nostro, sumus contenti . . . . dari facere dicto Turcho . . . . omni anno ducatos mille . . . . promittente dicto Turcho manutenere et observare bonam pacem nostro dominio et defendere loca predicta ad honorem nostri dominii a qualibet persona, que vellet loca ipsa molestare et damnificare, et specialiter ab ipso Balsa . . . .

Secreta cons. rog. VII. 92, u mlet. arkivu.

God. 1419. 25. srpnja, u Mletcih.

Republika odbija ponude kotorskoga poslanika.

MCCCCXVIIII. die XXV. iulii. Ser Rossus Marino, ser Marinus Karavello procurator, sapientes consilii. Quod isti ambasiatori et cancellario comunitatis Catari respondeatur in hac forma. Quod audivimus capitula, que nobis porrexit pro parte comunitatis Catari, per que capitula ample comprehendimus, quid petunt a nostro dominio; comprehendimus similiter bonam intentionem et voluntatem comunitatis predicte ad comoda et honores nostri dominii et ad ruinam et destructionem illius nequissimi proditoris Balse Strazimiri, et regratiamur dicte comunitati de eorum bona intentione et dispositione. Sed quia contenta in dictis capitulis sunt magne importantie et etiam sic requirit, ut omnia fiant secrete et maxime usque diem XV. septembris proxime, potest ad libitum suum Catarum reverti, et dictam comunitatem nostri parte hortari, ut vellit perseverare in hac sua bona voluntate, et dicere, quod disposuimus unum ex nostris mittere ad rectores nostros dictarum partium, et eos informare de intentione nostra super factis predictis, qui rectores nostri circa occurentia cum dicta comunitate providebunt ad ea, que videbuntur oportuna et necessaria ad ruinam et destructionem Balse predicti. De parte 25.

Ser Albanus Baduario, ser Anthonius Contareno procurator, ser Franciscus Fuscari procurator, sapientes consilii; ser Andreas Justiniano sapiens guerre; ser Authonius de Canali, ser Jeronimus Contareno, ser Andreas Griti, sapientes ordinum, volunt, quod respondeatur dicto ambassiatori, quod audivimus et intelleximus ea, que nobis exposuit pro parte comunitatis Catari, et bene comprehendimus eorum bonam intentionem erga nostrum dominium, et regratiamur dicte comunitati de eorum optima dispositione et voluntate, certissimi, quod in illa perseverabunt. Et ad requisita per dictam comunitatem dicimus, quod consideratis terminis presentibus et aliis nostris negociis, non videtur nobis de attendendo ad ea, que per dictam comunitatem requiruntur. De parte 61, de non 1, non sinceri 3.

Secreta cons. rogat. VII. 93, u mlet. arkivu.

God. 1419. 25. srpnja, u Mletcih.

Naláže se načelnikom gradskim u Dalmaciji, da biskupa Argoličkoga, koj je ondje pobirao novce, u Mletke pošalju.

MCCCCXVIIII. die XXV. iulii. Sapientes consilii. Cum episcopus Argolicensis collector apostolicus in Cherso et Ausero et in Jadra fecerit multas extorsiones in denariis acceptis subditis nostris, et bonum est providere, ne similia committantur in aliis terris nostris, vadit pars, quod mandetur rectoribus nostris, qui videbuntur dominio, quod si dictus episcopus declinabit ad loca suorum regiminum, dictum dominum episcopum mittant Venetias cum omnibus rebus suis et denariis cum honestate tantum, quas res et denarios recomittere debeant patrono navigii, cum quo dictum episcopum mittent, que res et denarii consignari debeant et presentari dominio. De parte 50, de non 16, non sinceri 7.

Senato. Misti LIII. c. 92, u mlet. arkivu.

God. 1419. 31. srpnja, u Mletcih.

Naláže se načelnikom Skadra, da nastoje sklopiti mir sa Balšom

1419. 31. iulii. Quod scribatur comiti et capitaneo ac provisori Scutari in hac forma. Recepimus nuper quasdam litteras vestras mensis elapsi sub diversis diebus datas, per quas nostro dominio distincte et ordinate significastis omnia secuta de inde, postquam vos comes et capitaneus illuc applicuistis, pro quibus vestram sollicitudinem comendantes vobis denotamus, quod notavimus ea, que nobis denotastis super requisitione vobis facta per Balsam de volendo venire ad pacem et ad gratiam nostri dominii. Notavimus similiter responsionem per vos factam, que nobis placuit, quia aliam responsionem cum honore nostro facere non poteratis. Verum considerantes expensas, quas habemus in loco predicto, cum nostris consiliis rogatorum et additionis vobis damus libertatem, quod si dictus Balsa requireret de volendo vobiscum intrare ad pacem, quod cum eo intrare debeatis ad dictam praticam; et si vos de pratica dicte pacis non requireret, et haberetis modum cum honore nostro veniendi ad praticam dicte pacis, placet nobis, quod ad dictam praticam veniatis. Et ut de intentione nostra circa factum dicte pacis informationem habeatis, sumus contenti et placet nobis, quod, restituente dicto Balsa nostro dominio civitatem nostram Drivasti, et relaxante totum territorium nostrum liberum et pacificum, et similiter satisfaciente et restituente omnia bona mercatorum nostrorum, que accepisset, ac restituente omnes subditos nostros, quos teneret captivos cum bonis suis, secum ad pacem condescendatis, non dando eidem provisionem ducatorum mille in anno, quam solitus erat habere. Et circa hoc instare debeatis cum illis modis et viis, qui vestre prudentie videbuntur. Et si dictus Balsa ad hoc nollet condescendere, quia peteret provisionem predictam, et non posset restituere damna data subditis nostris, quia omnino intentionis nostre est, quod restituat damna mercantoribus illata, sumus contenti, quod condescendatis, quod dicta provisio remeneat nostro dominio per illud maius tempus, quo poteritis, pro satisfactione damnorum nostro dominio et nostris subditis illatorum. Et quando hoc facere

recusaret, quia omnino vellet habere provisionem suam, placet nobis, quod, si habebitis civitatem Drivasti et totum nostrum territorium liberum et pacificum, et relaxabit subdidos nostros dictarum partium liberos, et restituet bona mercatorum nostrorum, quod secum concludatis in pace, promittendo eidem provisionem suam annualem ducatorum mille, sicut primitus habebat. Et quia tetigistis in litteris predictis misisse ambassiatores vestros ad presentiam soldani Turchorum etc., ut de intentione nostra circa hoc sitis informati, vobis declaramus, quod si poteritis venire ad pacem cum dicto Balsa per modum superius expressum antequam ambassiatores vestri aliquid conclusissent cum Turchis predictis, dictam pacem concludere debeatis; et similiter, si dicti vestri ambassiatores aliquod concordium fecissent cum Turchis pro veniendo ad ruinam dicti Balse, et ante eorum adventum dictam pacem concludere possetis, sumus contenti, quod illam concludatis; si vero dicti Turchi iam venissent ad ruinam dicti Balse, et videretis dictam pacem habere posse, volumus, ut dictam pacem honorabiliorem et meliorem habeatis, quod ad illam veniatis; nam sperandum est, quod, existentibus Turchis in partibus illis, dictus Balsa coactus condescendet ad pacem honorabilem et comodam nostro dominio. Et quando dictam pacem aliter habere non possetis, sumus contenti, quod ad illam condescendatis per modos superius expressos. Et est nostre intentionis, quod in omnem eventum dictis Teucris, sive ad pacem veneritis sive non, observetis illud, quod eis promissum fuerit per ambassatores vestros, ne habeant causam damnificandi contractam et subditos nostros; et ut hoc facere possitis, vobis mittimus ducatos V mille, sicut captum et deliberatum fuit per nostra consilia suprascripta.

Secreta cons. rog. VII. 94 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1419. 4. kolovoza, u Mletcih.

1419. die 4. augusti. Ser Albanus Baduario, ser Rossus Marino, ser Marino Karavello proc., ser Fantinus Michael, ser Antonius Contareno proc., ser Franciscus Fuscari proc., sapientes consilii.

Comparuit ad presentiam nostram venerabilis vir dominus Thomas de Dyaco nuntius serenissimi domini regis Polonie cum litteris suis credulitatis, et nostro dominio exposuit, quod dictus serenissimus dominus suus fuerat insimul cum domino rege Romanorum et Hungarie pro factis suis, que agere habet cum illis de Prusia, cui regi Romanorum idem dominus rex Polonie omnia negotia inter ipsum et illos de Prusia existentia contentus erat committere, et quod hoc non potuerat habere effectum. Et subiunxit, quod dictus dominus rex Polonie dixerat prefato domino regi Hungarie, quod pro bono christianitatis volebat se interponere inter dictum dominum regem Romanorum et Hungarie ac nostrum dominium, et inter ipsum et nos, qui eramus sui boni amici, facere treuguas per aliquos annos, ut postea posset inter dictum regem Hungarie et nos ponere bonam pacem; et quod dictus rex Hungarie fuerat contentus, quod esset medius ad faciendum treuguas, et rogavit nostrum dominium, ut vellimus aliquem ex nostris mittere ista de causa ad presentiam suam, ut possit dictas treuguas per duos vel tres annos

facere. Et faciat pro nostro dominio, si possibile est, experire per omnes modos et vias possibiles venire ad treuguas cum dicto rege Romanorum; vadit pars, quod respondeatur dicto domino Thome, quod per elapsum cognovimus et vidimus serenissimum dominum suum dominum regem Polonie semper esse optime dispositum erga nostrum dominium, et hoc effectualiter demonstravit et demonstrat ad presens. Et sue serenitati de tam bona intentione sua referimus dignas grates, et dicimus, quod semper desideravimus et desideramus cum quibuscumque pacifice vivere et spetialiter cum dicto serenissimo domino rege Romanorum. Et pro habenda pace secum aut treuguas quotiens miserimus nostros ambassiatores ad diversas partes notorium esse potest dicto serenissimo domino regi Polonie. Et licet huiusque ad conclusionem aliquam cum dicto domino rege Romanorum non potuerimus pervenire, tamen audita bona intentione dicti serenissimi domini regis Polonie, unum notarium nostrum fidum deliberavimus ad presentiam sue serenitatis destinare, cui super facto dictarum treuguarum committemus intentionem nostram, et eundem secum ad presentiam dicti serenissimi domini sui transmittemus, quem prestissime expediemus, ut secum ire possit.

Et ex nunc sit captum, quod mitti debeat cum dicto domino Thomasio prudens vir Franciscus de la Siega notarius noster super facto dictarum treuguarum, qui de istis factis est optime informatus, cum illa commissione, que terminabitur per istud consilium. De parte 87.

Ser Georgius Cornario sapiens guerre. Vult, quia istud factum, quod tractatur de mittendo unum ex nostris notariis cum isto nuntio serenissimi domini regis Polonie, est magne importantie factis nostris circa quod est bona advertentia habenda; vadit pars, ut superinde possit considerari, quod differi debeat usque cras, et quod die crastino vocetur istud consilium ista de causa. De parte 50, de non 4, non sinceri 3.

Senato. Secr. cons. rog. VII c. 99, u mlet. arkivu.

God. 1419. 13. kolovoza, u Mletcih.

1419. die 13. augusti. Ser Rossus Marino, ser Marinus Karavello proc., sapientes consilii. Quod fiat commissio circunspecto viro Francisco de la Siega notario nostro in hac forma.

Francisce. Mandamus tibi, quod simul cum venerabile viro domino Thoma de Diaco, nuntio serenissimi domini . . regis Polonie ire debeas ad presentiam dicti serenissimi domini regis Polonie cum nostris literis credulitatis, et presentatis sue serenitati literis nostris predictis et facta devota et amicabili salutatione cum verbis pertinentibus et necessariis, sicut honori sue serenitatis et nostri domini videbis convenire, debeas dicere et exponere, quod per venerabilem virum dominum Thomam de Diaco, nuntium suum, quem ad presentiam nostram misit cum literis suis, fuimus informati, quod idem serenissimus rex vigilans ad bonum et pacificum statum christianitatis, fuerat cum serenissimo domino . . Romanorum et Hungarie rege, eique dixerat, quod pro bono christianitatis volebat se interponere inter dictum serenissimum dominum regem Romanorum et Hungarie et nostrum dominium, quia boni amici sui

eramus, et facere treuguas per aliquos annos, ut postea posset serenitas sua inter ipsum et nos facere bonam pacem. Et quod dictus serenissimus dominus Romanorum et Hungarie rex fuerat contentus, quod serenitas sua esset mediatrix ad faciendum treuguas inter partes, et hortatus fuit nos idem dominus Thomas ex parte sue serenitatis, ut mitteremus aliquem ex nostris ad presentiam suam causa predicta. Qua requisitione audita, deliberavimus te mittere ad presentiam suam ad declarandum et certificandum serenitatem suam predictam, quod per elapsum cognovimus et vidimus dictum serenissimum dominum regem semper fuisse optime dispositum erga nostrum dominium, et hoc effectualiter demonstravit, et ad presens demonstrat, pro qua bona intentione et dispositione sua serenitati sue refferimus uberimas actiones gratiarum; et subiungas, quod nostra dominatio semper desideravit et desiderat cum quibuscumque christianis pacifice vivere et spetialiter cum dicto serenissimo domino Romanorum et Hungarie rege, et pro habenda pace seu treugua secum quotiens miserimus ambassiatores nostros ad diversas partes mundi, notorium est serenitati sue. Et licet hucusque ad aliquam conclusionem cum dicto domino rege Romanorum non potuerimus pervenire, tamen intellecta bona intentione sua misimus te, ut superius continetur, ad presentiam sue serenitatis cum mandato ad plenum possendi ad treuguas venire ex parte nostri dominii cum serenissimo domino rege Romanorum et Hungarie predicto, pro quibus treuguis tractandis et concludendis debeas te offerre dicto domino regi de essendo cum sua serenitate et cum quibuscumque aliis, quos deputabit pro bona conclusione treuguarum predictarum.

Expositis autem predictis dicto serenissimo domino regi Polonie, si serenissimus dominus rex Romanorum et Hungarie esset apud dominum regem predictum, volumus, quod ad presentiam suam comparere debeas cum nostris litteris credulitatis, quas tibi fecimus exhibere, et facta recomandatione debita, sicut honori suo et nostro cognoveris pertinere, sue serenitati expones, quod serenissimus dominus rex Polonie per nuntium suum dominum Thomam de Diaco exponi fecit nostro dominio, quod pro bono christianitatis disposuerat se interponere inter maiestatem suam et nostrum dominium pro treuguis fiendis inter partes, de qua interpositione serenitas sua fuerat contenta, et ob hoc requisivit, ut aliquem ex nostris ad presentiam suam mitteremus. Ob quam requisitionem dispositi cum quibuscumque pacifice vivere et potissime cum sua serenitate, misimus te ad presentiam dicti serenissimi domini regis Polonie secundum requisitionem suam cum libertate ad plenum possendi ad treuguas venire. Et propterea eris paratus ad praticam dictarum treuguarum venire, ut deo dante possit ad bonam conclusionem deduci. Si vero antequam ires ad presentiam dicti domini regis Polonie invenires in itinere dictum dominum regem Romanorum et cum honestate evitare non posses de essendo ad presentiam suam, volumus, quod in isto casu compareas ad presentiam suam, et exponas verba suprascripta; et expositis verbi predictis, postea ire debeas ad presentiam domini regis Polonie predicti.

Et quia reddimur certi, quod serenissimus dominus rex Polonie volet intrare ad praticam dictarum treuguarum, et volet scire intentionem

nostram super hoc, ut ad dictam praticam intrare possis, volumus et sic tibi mandamus, quod tu debeas procurare, instare et solicitare, quod fiant treugue inter partes per annos quinque in illa forma, modis et conditionibus, cum quibus tractate fuerunt et scripte treugue praticate Constantie per nostros ambaxatores, quarum copiam tibi dari fecimus pro tua informatione, et similem copiam habere debet serenissimus dominus rex Romanorum predictus. Et ad concludendum dictas treuguas per annos quinque debeas adhibere omnem operam et solicitudinem tibi possibilem. Sed quia in dictis treuguis ex parte domini regis positus est dominus dux Mediolani et ex parte nostro dominus Cabrinus Cremone etc., si super hoc caderet difficultas, quia dominus rex Romanorum vellet includere ex parte sua dominum ducem Mediolani, et nolet, quod includeretur dominus Cremone, sumus contenti, quod ad hoc condescendas, ut ob hoc non restet conclusio dictarum treuguarum. Et si dictus dominus rex velet, quod ambo excluderentur a treuguis predictis, sumus contenti, quod ambo excludantur. Verum volumus, quod in dictis treuguis ponatur ex parte nostra comunitas civitatis Austrie, quia sic dicte comunitati promisimus per pacem, quam nuper cum dicta comunitate fecimus.

Quando autem dictas treuguas obtinere non posses, quia alias fuit facta obligatio galearum nostrarum in subsidium dicti regis contra Turchos, et de tali subsidio nostrarum galearum tibi fieret aliqua peticio, ut ob hoc non restet conclusio dictarum treuguarum, damus tibi libertatem possendi promittere dicto regi a sex usque decem galeas armatas tenendas nostris expensis contra Turchos in subsidium dicti domini regis, quando erimus certificati, quod cum potenti exercitu recesserit de partibus Hungarie, et erit cum dicto suo exercitu in partibus Romanie, et ipsas in strictu Romanie tenere ad oppresionem dictorum Turchorum tanto tempore, quanto in dictis partibus Romanie stabit cum exercitu suo, et quod hec nostra promissio habeat locum una vice tantum tempore dictarum treuguarum.

Insuper quia dictus dominus rex alias ambassiatoribus nostris in partibus Constantie porrexit capitula quatuor, que reformavimus, et illa commissimus ambaxiatoribus nostris, qui iverunt ad partes Salcisburgi, et secundum relationem dictorum ambassiatorum de dictis quattuor capitulis rex solummodo mentionem fecit de uno; et possit occurrere, quod dictus dominus rex tibi faceret mentionem de dictis capitulis, volumus, quod si hoc occurreret, possis ad unum vel ad omnia quatuor condescendere secundum reformationes per nos factas, quorum capitolorum in forma, qua illa reformavimus, copiam tibi dari fecimus pro tua informatione.

Et quia in treuguis predictis continetur, quod quelibet dictarum partium teneat et possideat totum id, quod tenet et possidet, habeas ad hoc advertentiam, quod partes teneant et possideant totum id, quod tenebunt et possidebunt usque diem publicationis dictarum treuguarum fiende a partibus, qui dies publicationis statuatur et limitetur.

Sed quia posset occurrere, quod dominus rex Romanorum et Hungarie non esset contentus, quod civitas Austrie ponatur ex parte nostra in treuguis predictis, sed volet, quod ponatur cum patria Foro Julii ex

parte sua, facta per te omni instantia possibili, quod ponatur ex parte nostra, et si hoc obtinere non posses, debeas proponere hunc modum: quod comunitas civitatis Austrie ponatur ex parte regis cum Patria Foro Julii hac conditione, quod dictus dominus rex promittat nullam novitatem, guerram vel molestiam inferre nec inferri facere per dominum patriarcham comunitati Utini vel aliis dicte comunitati civitatis Austrie. Et si tempore dictarum treuguarum aliqua novitas, guerra vel molestia fieret comunitati predicte, liceat nostro dominio dictam comunitatem defendere et adiuvare contra quoscumque. Et ob hoc non intelligantur treugue violate sed firme et valide remaneant.

Et si per modos declaratos superius poteris concludere, in bona gratia concludere debeas, et procura, quod fiant instrumenta necessaria. Si vero aliqua differentia occurreret, seu alie peticiones tibi fierent, debeas respondere, quod dominium nostrum non putabat, quod ultra contenta in dictis treuguis praticatis deberent fieri alie peticiones, super quibus nullum habeas mandatum, sed dictas peticiones scribes nostro dominio et expetabis nostrum mandatum, et sic facere debeas, scribendo nobis differentias et peticiones, que tibi fierent, et expetando nostrum mandatum. De parte 48. 81.

Ser Fantinus Michael, ser Antonius Contareno, ser Franciscus Fuscari, sapientes consilii; ser Andreas Justiniano, ser Andreas Contareno, ser Thoma Michael, sapientes guerre et ser Andreas Griti, sapiens ordinum. Volunt commissionem suprascriptam per totum cum capitulo infrascripto videlicet:

Si vero dictas treuguas per dictum tempus quinque annorum obtinere non posses, damus tibi libertatem condescendendi ad annos quatuor et ultimate ad annos tres et non pauciores, quando aliter facere non posses, faciendo illas per modos superius expressos. De parte 46. 58.

Senato. Secret. cons. rog. VII. c. 99 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1419. 21. kolovoza, u Mletcih.

Prognanici Spljetski uz njeke uvjete obvezuju se predobiti Spljet, i predati ga republiki.

1419. die XXI. augusti. Quod respondeatur illis fidelibus nostris, qui sunt pro parte exiticiorum de Spaleto in hac forma, videlicet:

Et primo ad primum capitulum, per quod petunt quod capitaneus noster culphi sive vicecapitaneus sibi dent succursum de gentibus, quando possent habere aliquam turrem Spalati, vel possent intrare Spalatum; respondeatur, quod scribemus capitaneo nostro culphi, quod in casu predicto debeat dictis nostris fidelibus dare omne auxilium et favorem possibilem; et sic committatur dicto capitaneo, quod facere et exequi debeat, dummodo non sit cum periculo galearum sibi commissarum.

Ad secundum capitulum, per quod petunt unam galeotam banchorum viginti etc., respondeatur, quod sibi dari faciemus unam galeotam quatuordecim banchorum, quam armare debeant omnibus suis expensis, excepto quod de panatica et grassa, quam panaticam et grassam sibi dari faciemus, sicut dari facimus hominibus galeote, quam fideles nostri de Jadra armare volunt omnibus aliis suis expensis, dantibus ipsis pro

obsidibus in una ex terris nostris Dalmatie, ubi placebit nostro dominio, aliquos de filiis suis, ut simus securi, quod non facient aliquam novitatem subditis et fidelibus nostris.

Ad tertium capitulum super introitus insule dela Solta, quos petunt sibi dari debere etc., respondeatur, quod sumus contenti et placet nobis, quod habeant dictos introitus, et illos exigant et dividant inter se durante guerra inter nostrum dominium et Spalatinos non faciendo aliquam novitatem vel lesionem hominibus dicte insule.

Ad quartum capitulum, per quod petunt, in casu quo Spalatum perveniret ad manus nostri dominii, quod ipsi et heredes sui remitantur in pristinum statum, et quod habeant et sibi reddantur omnes possessiones sue, non obstante, quod per aliquem modum per suos inimicos alienate fuerint; et quod omnes processus et sententie facte contra dictos nostros fideles per illos, qui sunt intus Spalatum, quocunque tempore, modo et via cassentur; respondeatur, quod facientibus ipsis et operantibus omnibus suis viribus, quod Spalatum perveniat ad manus nostras, sicut hactenus fecerunt, et sicut de sua optima fidelitate confidimus, debent esse certissimi, quod nostrum dominium habebit ipsos merito commendatos. De parte omnes alii, de non 3, non sinceri 2.

Secreta cons. rogat. VII. 98 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1419. 1. rujna, u Mletcih.

Dalje o naputku danu poslaniku odpravljenu u Poljsku, da posridovanjem onoga kralja utanači primirje sa Sigmundom.

MCCCCXVIIII die primo septembris. Ser Fantinus Michael, ser Antonius Contareno procurator, ser Franciscus Fuscari procurator, sapientes consilii; ser Andreas Justiniano sapiens guerre. Quod scribatur circumspecto viro Francisco de la Siega notario nostro in partibus Carchovie in hac forma. Francisce. Tenemus certe, quod tempore receptionis presentium literarum nostrarum fueris in pratica cum illis serenissimis regibus de treugua tractanda. Et in casu quo conclusionem ipsius treugue per quinquenium, ut tibi est commissum, fecisses vel posses facere, debeas in bona gratia firmare et concludere dictam treuguam cum modis tibi commissis. In quantum autem non fecisses dictam conclusionem treugue pro quinquenio, nec sperares predictam treuguam quinquenii obtinere, et per praticam habitam fuisset tibi policita et oblata teugua pro annis tribus vel unde super, volumus et ita cum nostris consiliis rogatorum et additionis tibi scribimus et mundamus, quatenus accepto tempore habili et condecenti compareas ad presentiam serenissimi domini regis Polane et dicere debeas, quod in conspectu et per medium domini pape et aliorum dominorum, per medium quorum multociens fuit facta pratica dicte treugue, ut est notorium, nunquam voluimus condescendere ad faciendum treuguam pro minori tempore de annis quinque. Nichilominus intuitu et contemplatione regie maiestatis illius serenissimi domini regis Polane, cuius sumus boni et veri amici, sumus contenti et placet nobis, quod condescendas ad firmandum et concludendum treuguam per annos tres vel inde supra, ut tibi fuisset oblata, cum aliis modis et conditionibus tibi commissis. Quando

autem licet dominus rex Romanorum promisisset in praticis habitis velle facere dictam treuguam per tres annos, occurreret, quod ad illam condescenderes, et ipse rex Romanorum nolet ad dictum tempus trium annorum condescendere, quia intentio nostra est, non declinare nec condescendere ad minus tempus de tribus annis, in hoc casu debeas reverti Venetias de omnibus informatus. De parte 83, de non 21, non sinceri 4.

Secreta consilii rogatorum VII. c. 101, u mletačkom arkivu.

God. 1419. 5. rujna, u Mletcih.

Zapoviednikom Zadra o škodah, koje su Vlasi pravili.

Thomas Mocenigo dei gratia dux Venetiarum etc. nobilibus et sapientibus viris Andree Zane de suo mandato comiti et Paulo Correrio capitaneo Jadre et . . . successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Literas vestras datas Jadre XXVI. mensis augusti elapsi continentes damna illata nostratibus per Morlachos, et requisitiones factas vobis per oratores castelanorum novorum Ostrovize et reparationes, quas fieri fecistis, ac munitiones positas in castro Aurane etc. nuper habuimus, et de eorum continentia remanentes plenarie informatos, et vestram exinde providentiam laudantes et merito vobis scribimus et mandamus, quatenus consideratis conditionibus et esse presentis temporis, et si sequetur concordium inter vos et Morlachos predictos, et etiam si non sequetur, debeatis taliter providere, quod de cetero quandocumque Morlachi venient ad partes illas ad faciendum mercata sua, ipsi faciant predicta mercata sua extra civitatem nostram Jadre pro omni bona causa et respectu et non intra, ut omnino cesset omnis materia novitatis.

Data in nostro ducali palacio die quinto mensis septembris, MCCCCXVIIII.

Iz rukopisa „Ducali e terminazioni. Lib. I. c. 38" u zadarskom arkivu.

God. 1419. 9. rujna, u Mletcih.

Glede saveza sa bosanskim kraljem.

1419. die VIIII septembris. Quod scribatur capitaneo generali culphi in hac forma. Recepimus litteras vestras datas apud Tragurium XXVIIII. mensis augusti elapsi, per quas intelleximus omnia praticata per vos cum illo voivoda domini regis Bossine. Unde vobis respondemus, quod modi per vos observati circa ipsam praticam nobis placent, et exinde sapientiam et virtutem vestram merito laudamus. Set ut de intentione nostra super capitulis formatis inter ipsum voivodam et vos sitis informatus, vobis declaramus et dicimus, quod de primum capitulum, quod dicit, de essendo amicus amicorum, et inimicus inimicorum, non facit pro nostro dominio, quia est generale, et intelligi posset pro omnibus et contra omnes de mundo. Et propterea volumus, quod ipsum capitulum dimittatis, et ipsum nullo modo dicto voivode promittatis, quia si intus nos et dominum regem Bossine debet tractari aliqua liga, volumus ligam specialem et non generalem.

Ad secundum et tercium capitulum respondemus, quod sum
.nti, quod dictus dominus rex ad omnem requisitionem nostri d
.eneatur et debeat omnibus suis expensis tot ex suis gentibus
.d campum, quousque dominatio nostra habuerit Tragurium et Spal...,
.t succurere, quando erit requisitus, locis et terris nostris Dalmatie, quando opprimerentur ab inimicis nostris; et ulterius essemus contenti, in quantum obtinere possetis, quod ipse dominus rex mitteret contra Balsam inimicum nostrum et pro defensione locorum nostrorum Albanie et pro acquirendo loca ammissa illam quantitatem gentium, que erit opportuna, secundum quod dictus voivoda se obtulit facere.

Ad quartum et quintum capitutum respondemus, quod sumus contenti dare sibi galeas in illo numero, qui erit iustus et rationabilis. Sed quia in quarto capitulo non declaratur, contra quos vult ire, nec declaratur, quot ballistarios et quot bombardas vult, et pro quanto tempore vult dictos ballistarios et galeas, volumus, quod superinde vobis faciatis declarari particulariter et distincte, contra quos vult ire, quot bombardas et quot ballistarios vult, et pro quanto tempore vult dictas galeas et ballistarios; et si est contentus de illis capitulis, sicut superius dicitur, et quicquid ab ipso habebitis,. debeatis nostrum dominium informare, ut habita vestra informatione providere possimus, prout noverimus opus esse. De parte 95, de non 9, non sinceri 8.

Secreta consilii rogatorum VII. 102, u mlet. arkivu.

God. 1419. 14. rujna, u Mletcih.

Načelnikom u Dalmaciji, da oboružaju dva broda.

1419. die 14. septembris. Ser Lucas Donato, ser Jeronimus Contareno, ser Antonius Venerio, sapientes ordinum. Cum habuerimus a rectoribus nostris Jadre, quod alique gentes descenderunt ad damna locorum nostrorum Dalmatie, et ipsi rectores a nobis requisiverint subventionem peditum pro subveniendo locis nostris de inde et terre nostre Sibinici, pro quibus omnibus necessarium est providere; vadit pars, quod quanto prestius fieri poterit mitti debeat Jadram pedites centum, de quibus ipsi rectores mittere debeant pedites viginti quinque Sibinicum, alios autem retinere debeant pro custodia locorum nostrorum deinde et pro obviando damnis, que inferri possent per barchas Morlacorum, quas armaverunt pro eundo ad insulas nostras Dalmatie, concedatur dictis rectoribus secundum suam requisitionem posse armare illam galeotam, quam habent deinde ultra brigantinum, quem debent armavisse. Et detur libertas dictis rectoribus faciendi omnes alias expensas et provisiones, que sibi videbuntur utiles et necessarie pro custodia et conservatione locorum nostrorum deinde. De parte 107, de non 10, non sinceri 0.

Senato. Secr. cons. rog. VII. c. 104 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1419. 26. rujna, u Mletcih.

Mletčani ruše prolaze, po kojih su dolazeći Magjari mogli saći u njihove zemlje.

MCCCCXVIIII. die XXVI. septembris. Ser Albanus Baduario, ser Rossus Marino, ser Marinus Karavello procurator, ser Fantinus Michael,

ser Antonius Contareno procurator, ser Franciscus Fuscari procurator, sapientes consilii. Cum sit omnino necessarium providere, quod si Hungari descendent ad istas partes, prout scriptum est eos descendere, quod omnes passus, per quos habere possint transitum, omnino destruantur per modum, quod in quantum sit possibile citra Liquentiam transire non possint; vadit pars, quod scribatur et mandetur nobili viro ser Andree Valerio provisori nostro Brugnarie, quod subito recepto presenti nostro mandato destrui faciat et ruinari spaltus, aggeres, palancatos et omnia alia fortilicia Brugrarie, et destruere pontes, et evelere palos, ita et taliter, quod non appareat in dicto loco fuisse pontes; et destructis pontibus et evulsis palis sive segatis et ruinatis palancatis et omnibus fortiliciis, non faciendo comburri domos, quod exequi faciat quantum prestius facere poterit, debeat omnes pedites nostros mittere ad exercitum nostrum, et ipse redire debeat Venetias. De parte 52, de non 20, non sinceri 12.

Misti LIII. c. 108, u mletačkom arkivu.

God. 1419 29. rujna, u Mletcih.

Nešalje se novaca u Skadar, pošto se sada zna, da Turci neće onamo.

1419. 29. septembris. Capta. Cum captum fuerit in isto consilio de mittendo Scutarum ducatos mille, qui nundum missi sunt, et sentiatur, quod Turchi venturi non sunt ad partes illas, propterea quod illi V mille ducati, qui missi fuerunt ad partes illas, non expendentur, sed remanebunt deinde; vadit pars, quod dicti mille ducati mitti non debeant, quia non sunt ibi necessarii pro presenti.

Secreta cons. rog. VII. 109, u mlet. arkivu.

God. 1419. 14. listopada, u Mletcih.

O priekopu u Zadru.

1419. die 14. octobris. Sapientes omnes consilii, ser Petrus Lauredano sapiens guerre. Cum alias commissum fuerit rectoribus nostris Jadre, quod completo castro deberent fodi facere foveas civitatis Jadre a parte terre; et rectores nostri, qui ibi sunt et etiam qui redierunt a regimine Jadre, dicant, pro securitate dicte civitatis necessarium fore cavare foveas predictas, videlicet terrenum; vadit pars consideratis conditionibus temporis presentis, quod scribatur et mandetur rectoribus nostris Jadre, quod cavari faciant fossas predictas videlicet terrenum in illa latitudine et profunditate alias terminata per nostros provisores, qui fuerunt in dictis partibus, faciendo dictas foveas murari ubi erit necesse. Et provideant, quod comitatini et insulani veniant ad cavandum foveas predictas, quibus singulo die dare debeant soldos quatuor parvorum pro quolibet pro eorum mercede, ut sint magis soliciti ad laborandum. De parte omnes, de non 0, non sinceri 0.

Senato secr. cons. rog. VII. c. 113 tergo, u mlet. arkivu.

God. 1420. 17. siečnja, u Mletcih.

Popravljaju se rušeće se gradske zidine u Rabu.

1419. die 17. ianuarii. Ser Albanus Baduario, ser Rossus M ser Andreas Contareno procurator, ser Franciscus Fuscari procu..., sapientes consilii. Capta. Cum venerit ad presentiam nostri dominii vir prudens Bartholus de Cernetis cum literis credulitatis nostre fidelis communitatis Arbi, qui facta devota recommendatione nostro dominio de dicta communitate et exposito, quosdam passus muri illius nostre terre Arbi ob terribiles ventos et assiduas pluvias ac propter defectum fundamentorum cecidisse, quem murum asserit etiam alibi ex parva substantia fundamentorum declinare, supplicavit humiliter, ut ad aptacionem et reparacionem dicti muri providere dignemur, de qua ruinatione et qualitate dicti muri per literas comitis nostri Arbi similiter informationem habuimus, et sumus etiam requisiti ad providendum debite superinde. Exposuit etiam pro parte dicte comunitatis, ut ob malam collectam, quam habuerunt isto anno, et etiam quia assiduis pluviis nichil seminarunt, ex quo nichil sperant colligere pro anno futuro, dignemur, ne pereant fame, eis concedere et subvenire de ducatis ducentis pro duobus annis, quos denarios promittunt restituere finitis et preteritis dictis duobus annis ad beneplacitum nostri dominii. Vadit pars, quod respondeatur dicto Bartholo, quod ob sinceram affectionem, quam habemus et gerimus erga dictam fidelem comunitatem terre nostre Arbi dicimus, nostre intentionis esse debere fieri in aptatione et reparatione muri dicte terre id, quod per elapsum solitum est servari, et mandabimus comiti nostro Arbi, quod muros dicte terre aptari et reparari faciat, et quod expensa dicti muri solvi debeat per modum et secundum consuetudinem aliis temporibus solitam observari. Ad partem vero subventionis petite de ducatis ducentis pro duobus annis, dicimus, quod considerata causa dicte peticionis, volentes effectui requisitionis predicte annuere, sumus contenti complacere dicte comunitati in hunc modum, et ita scribemus et mandabimus comiti nostro Arbi, quod emere debeat frumentum pro ducatis ducentis, et det dictum frumentum predicte comunitati, faciens sibi terminum dandi et solvendi pretium ipsius frumenti usque duos annos, prout humiliter supplicavit. De parte omnes alii, de non 2, non sinceri 4.

Misti LIII. c. 23, u mlet. arkivu.

God. 1420. 22. veljače, u Mletcih.

U mlet. vieću riešeno, da se predobije Trogir.

1419. die XXII. februarii. Cum istis diebus proxime elapsis Michatius de Tragurio cum una galea et una galeota et certis barchis armatis exiverit de Tragurio et iverit ad parte Apulee, in quibus partibus et similiter in partibus Dalmatie multa damna fecerint navigiis et subditis nostris, que omnia redundant ad maximum onus et verecundiam nostram et damnum non parvum subditorum nostrorum, et nisi remedium apponatur, navigia nostra parva non poterunt per istud nostrum culphum navigare; et quantum hoc esset cum onere nostri dominii et damno nostrorum civium et fidelium omnes satis considerare possunt,

et talia nullo modo sint toleranda tam pro honore et fama nostri dominii quam pro securitate et bono civium et subditorum nostrorum, navigiorum et bonorum suorum. Et sicut est manifestum isti consilio ante recessum capitanei nostri culphi captum fuit in isto consilio de faciendo fieri duas bastitas, et facte fuerunt pro firmando illas contra Tragurium, et de soldando et mittendo pedites V centum forenses, sed propter nova et novitates occursis tunc in partibus Scutari hoc non potuit habere effectum; vadit pars, quod pro exequendo contra Tragurium intentionem nostram, ut tot rapine et damna cessent, quod committatur collegio providendi de habendo aut per viam stipendii aut aliter a VI centum usque VIII centum pedites, prout videbitur collegio, non dando alicui comestabili ultra pagas quinquaginta, qui simul cum dictis bastitis in recessu capitanei nostri culphi mitti debeant contra Tragurium ad procurandum et solicitandum de reducendo terram predictam ad obedientiam nostri dominii. Verum de modo servando in firmando bastitas predictas et de aliis opportunis et necessariis occasione predicta ante recessum capitanei nostri culphi predicti venietur ad istud consilium, et deliberabitur; et executio istius negocii committetur, prout et sicut terminabitur et videbitur isti consilio.

Et ex nunc sit captum, quod collegium habeat libertatem faciendi in partibus Dalmatie armare barchas et cohadunare gentes nostras et alias provisiones facere in dictis partibus, et accipere insulas et alia loca, que haberi possent, ad obedientiam nostram, prout videbitur collegio, ut hec nostra intentio possit habere celerem et votivam executionem. De parte 111, de non 30, non sinceri 16.

Secreta cons. rogat. Vol. 7. u mlet. arkivu.

God. 1420. 5. ožujka, u Mletcih.

Mletčani odbijaju zahtjev Rodskoga meštra, da mu Vranu povrate.

1420. 5 marcii. Cum pro parte reverendissimi patris magni magistri conventus Rodi et sue religionis sancti Johannis Jerosolimitani facte fuerint quatuor petitiones. Prima, ut dignetur nostra dominatio eidem et conventui suo restituere locum Aurane etc. Vadit pars, quod respondeatur dicto domino magistro, quod audivimus requisitionem, quam fecerunt nostro dominio super facto Aurane, et respondemus, quod serenissimus quondam rex Ladislaus, qui nobis vendidit totam Dalmatiam et dictum locum Aurane, continue possedit locum predictum, et similiter fecerunt alii predecessores sui, et dictum locum tanquam verus dominus totius Dalmatie cum tota Dalmatia nobis vendidit, quem locum dispositi sumus tenere et conservare prout fecerunt alii possessores loci predicti, quem locum de novo fieri fecimus, et ipsum sub bona custodia tenemus, et dictum locum, iuste et legitime emptum, intendimus conservare.

Senato. Misti vol. 53, u mlet. arkivu.

God. 1420. 8. ožujka, u Mletcih.

Mletčani primaju u svoju oblast grad Kotor.

1420. die VIII marcii. Cum venerit ad presentiam nostri dominii prudens et discretus vir ser Antonius Puctii de Actis de sancto Ge-

aesio cancellarius et secretarius egregiorum et spectabilium comitis, iudicum et maioris ac secreti consilii civitatum Catari, qui sub eorum literis credulitatis recommissa cum verbis summe affectionis et reverentie illa comunitate Catari nostro dominio, dicendo et narrando sinceram dispositionem desiderate fidelis obedientie sue erga statum nostri dominii, presentavit ex parte dicte comunitatis capitula lecta huic consilio. Quibus auditis et intellectis, habita diligenti et matura consideratione, quantum faciat pro nobis habere dictam terram Catari apud nos, volendo guerizare et in casu faciendi de provisionibus contra Balsam, nam sine expensis nostri dominii dicti Catarini offerunt guerram alacri et virili animo ad destructionem et ruinam ipsius Balse et status eius; habito etiam respectu, quod iuxta informationem habitam per dictum cancellarium predicte comunitatis et aliter, existente dicta comunitate sub obedientia nostra, habebimus et erunt nobiscum contra ipsum Balsam Georgius et Alexius Juras barones Xente, debeamus velle superinde providere; habito maxime respectu, nisi providerimus, ipsam terram Catari posse ire et devenire ad manus et in potentia personarum, de quibus non essemus bene contenti, quia dicta comunitas, ut oretenus exposuit cancellarius predictus, videtur disposita in terminis, quibus est, stare nole; vadit pars in nomine omnipotentis dei, cuius invocatione perfecta recte proceditur in agendis, consideratis considerandis, quod dicto cancellario predicte comunitatis Catari respondeatur in hac forma, videlicet: quod dominatio nostra, videns et considerans optimam intentionem et dispositionem dicte comunitatis erga nostrum dominium ad honorem et statum nostrum, quam comunitatem tenemus indubie reperire in dies continue promptiorem, est contenta ad honorem gloriosissimi dei domini nostri eiusque beatissime matris virginis Marie et beatissimi Marci evangeliste patroni et protectoris nostri, considerato amore, quem portavimus et gerimus dicte comunitati, dominium et regimen predicte civitatis et districtus Catari et cives et districtuales suos recipere et acceptare sub gubernatione et obedientia nostri dominii, et illos tenere et tractare pro nostris fidelibus et devotis subditis prout optant; et volumus, quod de introitibus, gabellis, et aliis daciis dicte terre solvatur salarium comitis et castellani et aliorum deputatorum ad custodiam castri, et fiant solutiones salariorum aliorum officialium iuxta solitum, de quibus fiant solutiones laboreriorum et reparationum ac aliarum expensarum occurentium fieri per tempora in dicta civitate cum ista modificatione, quod de pecunia, que superhabundabit singulo anno ab expensis, dentur usque sex annos omni anno ducatos mille pro solutionibus fiendis creditoribus dicte comunitatis, ut satisfiat debito suo de ducatis sex millibus, in quibus est obligata. Ita quod cum introitibus, gabellis et reliquis daciis dicte terre fiant expense omnes, solvantur debita, et suppleatur ad omnia quomodocunque occurrentia quocunque tempore. Sumus insuper contenti, quod statuta et ordinamenta dicte comunitatis observentur; et quod territoria tiranice occupata civibus illis, que pervenerint sub nostro dominio, dentur illis, quorum sunt, prout humiliter supplicarunt; declarando ex nunc, et ita captum sit, quod perveniente castro Budue ad manus nostri dominii, nos erimus contenti dare dictum castrum Budue predictis Georgio et Alexio Juras, illis existentibus confederatis nobiscum,

debitis et congruis modis, qui placeant nostro dominio. De parte 94, de non 18, non sinceri 16.

Quia non est visum, si iste cancellarius comunitatis Catari, destinatus ad presentiam nostram, habeat sindicatum ad plenum; vadit pars, quod antequam dicatur quicquam dicto cancellario de intentione nostra volendi acceptare dictam terram Catari iuxta continentiam partis capte in hoc consilio, debeat primo videri, si habet sindicatum ad plenum superinde; et si illum habet, dicatur et fiat executio dicte partis; si vero non haberet sindicatum opportunum, dicatur, quod eat vel mittat pro illo, quia cum habuerit dictum sindicatum, sibi apperiemus intentionem nostri dominii, que, viso sindicatu, tunc dici debeat iuxta continentiam dicte partis capte in hoc consilio. De parte 92, de non 13, non sinceri 4.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 7, u mlet. arkivu.

God. 1420. 12. ožujka, u Mletcih.

Pošto je punomoć Kotorskoga poslanika našasta u redu, odlučeno, da se sastavi pogodba o predaji Kotora.

1420. die XII. marcii. Cum pridie die octavo mensis instantis capta parte debendi acceptare terram Catari, positum fuerit in hoc consilio, quod, antequam diceretur quiquam isti cancellario Catari misso dicta causa ad presentiam nostram, deberet primo videri, si habet sindicatum ad plenum superinde, quo viso, debeat sibi dici et aperiri intentio nostri dominii iuxta continentiam dicte partis capte in hoc consilio; et dictus cancellarius fuerit ad presentiam nostram, et facta sibi requisitione de ipso sindicatu, illum portaverit et presentaverit nostro dominio; et viso sindicatu predicto, licet posset esse longioris locutionis, pluribus verbis, est tamen dictus sindicatus ad plenum et in forma sufficienti; attento maxime, quod in illo inter cetera continetur, quod dictus cancellarius habet exponere vigore tam sue commissionis quam literarum credentialium, que litere credentiales, ut patet, concludunt, quod dignemur assensum dicte comunitati non denegare, quum est parata nostra mandata servare; et capitula nobis presentata secundum relationem dicti cancellarii sunt commissio sibi data per illam comunitatem, que capitula sunt etiam scripta de illament litera, de qua est scripta litera bullata bulla dicte comunitatis, que recommittit et fidem facit de notario, qui scripsit sindicatum predictum: et bonum ac fructuosum sit, non ducere rem in longum; vadit pars in nomine iesu christi, consideratis considerandis, quod debeat fieri executio dicte partis capte, acceptandi dictám terram et comunitatem Catari, ut deliberatum est per hoc consilium, et quod juxta solitum cum dicto cancellario, sindico et procuratore comunitatis predicte debeat de predictis fieri et stipulari publicum et validum instrumentum, promittendo predicto cancellario dicto sindicario nomine de rato et rati habitione de faciendo et curando ita et taliter, quod prefata comunitas omnia et singula, de quibus in prefato instrumento acceptationis terre et comunitatis Catari fit mentio, firma et rata habebit et observabit, et solemniter ac legitime ratificabit infra tres menses per publicum et validum instrumentum, roborandum

quibuscunque solemnitatibus et clausulis opportunis. De parte 123, de non 6, non sinceri 0.

Secreta consilii rogatorum. Vol. 7, u mlet. arkivu.

God. 1420. 15. ožujka, u Mletcih.

Uvjeti, pod kojimi se Kotorani Mletčanom predaju.

Istrumentum acceptationis civitatis Catari. In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo vigesimo, indictione XIII, mense martii die XV. Cum egregii et spectabiles comes, iudices, maius et secretum consilium civitatis et comunitatis Catari, volentes evidenter et aperte ostendere singularem et devotam reverentiam et affectionem desiderate fidelis obedientie sue erga serenissimum et excellentissimum principem dominum Thomam Mocenigo dei gratia inclitum Venetiarum ducem eiusque illustrissimum ducale dominium, miserint ad presentiam dictorum serenissimi domini ducis suique illustrissimi ducalis dominii prudentem et discretum virum ser Antonium Puctii de Actis de sancto Genesio cancellarium ac secretarium suum constitum per eos in sindicum et procuratorem suum ad comparendum coram dicto illustrissimo domino duce et eius inclito ducali dominio Venetiarum etc., et se presentandum cum literis credentialibus parte et nomine dicte comunitatis Catari ad procurandum obtinere assensum comunitatis predicte, quum est parata mandata dictorum illustrissimi domini ducis et eius incliti ducalis dominii servare, ut in dictis credentialibus literis legitur et continetur distincte, et ad narandum, dicendum et exponendum ac concludendum vigore tam sue commissionis quam predictarum literarum credencialium sibi datarum per eos, ut patet sindicatus et procure instrumento scripto et in publicam formam redacto manu providi viri ser Pauli ser Vanis de Abrianis de monte Elbaro publici imperiali auctoritate notarii et ad presens iurati notarii comunis Catari in millesimo quadringentesimo vigesimo, indictione XIII, die secundo februarii, et subscripto etiam manu trium dictorum iudicum dicte comunitatis Catari, et recomendato per suas patentes literas eorum bulla cerea, communitas et dictus ser Antonius Puctii sindicus prenominatus comparuerit ad presentiam prefatorum serenissimi domini ducis suique illustrissimi ducalis dominii, qui, presentatis dictis literis credulitatis et recommissa cum verbis summe affectionis et reverentie illa comunitate Catari dictis illustrissimo duci et eius inclito ducali dominio, supplicavit sibi reverenter oretenus et in scriptis, ut dignentur dominium et regimen predicte civitatis et districtus Catari et cives et districtuales suos recipere et acceptare sub gubernatione et obedientia sua, ut infra. Quibus omnibus et singulis auditis et intellectis, dictus illustrissimus dominus dux et eius inclitum ducale dominium videntes et considerantes optimam intentionem et dispositionem dicte comunitatis Catari erga eos ad honorem et statum eorum, quam comunitatem Catari tenet indubie omnibus consideratis reperire in dies continue promptiorem, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles et sapientes viros dominos Albanum Baduario et Rossum Marino honorabiles cives Venetiarum ibi presentes

et acceptantes suos sindicos et procuratores ac nuntios speciales specialiter ad recipiendum et acceptandum sub gubernatione et obediencia dictorum illustrissimi domini ducis suique incliti ducalis dominii dominium et regimen predicte civitatis Catari et districtus et cives ac districtuales suos modis, ut dictum est, inferius declaratis, et alia, ut plene constat eorum sindicatu scripto et publicato manu providi viri Petri Nigro publici imperiali auctoritate notarii et ducatus Venetiarum scribe in millesimo quadringentesimo vigesimo, indictione tertiadecima, mense martii die XIV. Idcircho dicti egregii et nobiles viri domini Albanus Baduario et Rossus Marino sindici et procuratores dicti illustrissimi domini ducis eiusque inclite ducalis dominationis sunt contenti sindicario nomine predicto ad honorem gloriosissimi dei domini nostri eiusque beatissime matris virginis Marie et beatissimi Marci evangeliste patroni et protectoris eorum dominium et regimen predicte civitatis, castri et districtus Catari et cives et districtuales suos a dicto ser Antonio Puctii sindico et procuratore dictorum egregiorum et spectabilium comitis, iudicum maioris ac secreti consilii civitatis et comunitatis Catari stipulanti eorundem sindicario nomine suprascripto recipere et acceptare sub gubernatione et obedientia prelibati illustrissimi domini ducis et excelse ducalis dominationis Venetiarum, et ita recipiunt et acceptant, promittentes sindicario nomine quo supra, quod dictus illustrissimus dominus dux et suum inclitum ducale dominium dictos cives et districtuales Catari tenebunt et tractabunt pro fidelissimis et devotis subditis prout optat et supplicavit humiliter antedictus ser Antonius sindicus eorundem sindicario nomine predicto.

Item contentantur, volunt et assentiunt predicti sindici et procuratores prelidati serenissimi domini ducis et excelsi ducalis dominii, quod de introitibus, gabellis et aliis datiis dicte terre Catari solvatur salarium comitis Catari et castellani castri ipsius terre et aliorum deputatorum ad custodiam dicti castri, et fiant solutiones salariorum officialium, fiant etiam solutiones laboreriorum et reparationum et aliarum expensarum occurentium fieri per tempora in dicta civitate cum ista modificatione, quod de pecunia, que superabundabit singulo anno ab expensis, dentur usque sex annos omni anno ducati mille pro solutionibus fiendis creditoribus dicte comunitatis Catari, ut satisfiat debito suo de ducatis sex millibus, in quibus est obligata. Itaque cum introitibus, gabellis et reliquis datiis dicte terre fiant expense omnes, solvantur debita et suppleatur ad omnia quecunque occurentia, quocunque tempore, prout per dictum ser Antonium sindicum et sindicario nomine predicto extitit humiliter supplicatum.

Item contentantur et assenciunt predicti sindici dictorum serenissimi domini ducis et sui incliti ducalis dominii, quod statuta et ordinamenta dicte terre Catari observentur, sicut predictus sindicus dicte comunitatis Catari suprascripto sindicario nomine requisivit et peciit reverenter.

Item contentantur et promittunt suprascripti sindici dicti illustrissimi domini ducis et incliti ducalis dominii, quod territoria tiranice occupata illis civibus Catari, que pervenerint sub dominio dictorum illu-

strissimi domini ducis et sui incliti ducalis dominii, dabuntur illis, quorum sunt, prout per dictum eorum sindicum fecerunt peti et supplicari.

Et statim continuato actu predictus ser Antonius sindicus et sindicario nomine dictorum spectabilium comitis, iudicum, maioris et secreti consilii civitatis et comunitatis Catari sponte, libere et ex certa scientia per solemnem stipulationem in manibus illustrissimi domini ducis iuravit ad sancta dei evangelia, manibus corporaliter tactis scripturis, quod dicta comunitas, populus, cives ac comitatus Catari perpetuo erunt fideles, legales prelibato illustrissimo domino duci et eius inclite ducali dominationi, et eis fidelitatem, amorem, devotionem et obedientiam continuis temporibus observabunt, et quod omni tempore tractabunt et procurabunt semper utilitatem, honorem et statum ac augmentum prefati illustrissimi domini ducis et sue excelse ducalis dominationis Venetiarum. Et si quo tempore senserint per aliquem vel per aliquos quicunque tractari, fieri vel procurari in damnum vel detrimentum dictorum serenissimi ducis et incliti ducalis dominii, quod obviabunt toto posse. Et quod nunquam verbo vel opere tractabunt, procurabunt, operabuntur, nec tractare, procurare, neque operari presument quicquam, quod sit vel esse possit contra statum, honorem, utilitatem et augmentum prefati excellentissimi domini ducis et excelse ducalis dominationis Venetiarum; promittendo predictum ser Antonium sindicum et sindicario nomine suprascripto pro dictis spectabilibus comite, iudicibus, maiori et secreto consilio civitatis et comunitatis Catari de rato et rati habitione, de faciendo et curando ita et taliter, quod omnia et singula, de quibus in hoc instrumento sit mentio, firma et rata habebunt et observabunt, ac solemniter et legitime ratificabunt infra tres menses proxime futuros per publicum et validum instrumentum roborandum quibuscunque solemnitatibus et clausulis opportunis.

Actum Venetiis in ducali palatio prefati serenissimi domini ducis et ducalis dominii Venetiarum, presentibus sapientibus et circumspectis viris domino Johanne Plumacio honorabili cancellario Venetiarum, ser Francisco Bavazano, ser Mafeo Bartholomeo et ser Christoforo de Zeno notariis ducatus Venetiarum et aliis testibus ad hec specialiter vocatis et rogatis.

Ego Jacobus Michaelis civis et habitator Venetiarum publicus imperiali auctoritate notarius et cancellarie ducatus Venetiarum scriba his omnibus presens fui, et de mandato prefatorum spectabilium et egregiorum dominorum Albani Baduario et Rossi Marino sindicorum suprascriptorum serenissimi domini ducis et incliti ducalis dominii Venetiarum, nec non prudentis et discreti viri ser Antonii Puctii sindici dictorum spectabilium et egregiorum comitis, iudicum, maioris et secreti consilii civitatis et comunitatis Catari, predicta omnia scripsi, in hanc publicam formam redegi rogatus, signumque meum apposui consuetum.

Commemorialium XI. 30, u mlet. arkivu.

Index personarum et locorum.

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

VOLUMEN XII.

LISTINE

O ODNOŠAJIH IZMEDJU JUŽNOGA SLAVENSTVA
I MLETAČKE REPUBLIKE.

NA SVIET IZDALA

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI

KNJIGA VII.

U ZAGREBU 1882

U KNJIŽARI LAVOSLAVA HARTMANA NA PRODAJU.

TISAK DIONIČKE TISKARE.